ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.

Ann. CIƆIƆCCCXXIX—CIƆIƆCCCXXX.

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE,

Ann. CIϽIϽCCCXXIX—CIϽIϽCCCXXX.

HERMANNO BOUMAN,

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,

ANTONIO VAN GOUDOEVER,

SENATUS GRAPHIARIO.

SOL IUSTITIAE ILLUSTRA NOS

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD JOANNEM ALTHEER,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.

1831.

HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR

1) Hac in oratione, pag. 102, versu 5, legatur: *pag.* 67 (41) et pag. 103, versu ultimo, legatur: *pag.* 67 (40).

Responsiones ad quaestiones propositas:

LUCAE, FRIDERICI VERENET, *ad Quaestionem Theologicam.*

JANI, JACOBI HINLÓPEN, *ad Quaestionem Juridicam.*

TJALLINGII, PETRI TRESLING, *ad Quaestionem Literariam.*

LAMBERTI DOEDES, DIDERICI Filii, *ad Quaestionem Mathematicam.*

JACOBI, GERARDI ROOSEBOOM, *ad Quaestionem Chymicam.*

AN-

A N N A L E S

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.

Ann. CIↃIↃCCCXXIX—CIↃIↃCCCXXX.

§. I.

In Academia Rheno-Traiectina, indè a die XXVI *Martii, A.* CIↃIↃCCCXXIX. *usque ad diem* XXVI *Martii, A.* CIↃIↃCCCXXX. *docuerunt*

T H E O L O G I A M

Jodocus Heringa, E. F.
Gabriel van Oordt, *honorifice et ex voto suo dimissus,*
Hermannus Bouman,
Hermannus Johannes Royaards.

IU-

JURISPRUDENTIAM

Hermannus Arntzenius,
Janus, Richardus de Brueys,
Cornelius, Adrianus van Enschut.

MEDICINAM

Janus Bleuland, *propter aetatem honorifice rude donatus*,
Nicolaus, Cornelius de Fremery,
Bernardus, Franciscus Suerman, *h. t. Senatus Academici Graphiarius*,
Janus, Isaacus Wolterbeek,
Jacobus, Ludovicus, Conradus Schroeder van der Kolk,
Philippus, Franciscus Heyligers, *Professor extraordinarius*.

PHILOSOPHIAM THEORETICAM ET LITERAS HUMANIORES

Philippus, Guilielmus van Heusde,
Johannes, Henricus Pareau,
Antonius van Goudoever,
Adamus Simons.

MA-

MATHESIN ET PHILOSOPHIAM NATURALEM

NICOLAUS, CORNELIUS DE FREMERY,
GERARDUS MOLL,
JOANNES, FRIDERICUS, LUDOVICUS SCHRÖDER,
JANUS KOPS,
THEODORUS, GERARDUS VAN LIDTH DE JEUDE.
PETRUS, JOANNES, ISAACUS DE FREMERY, *Professor extraordinarius.*

LECTORES.

SAMUEL NYHOFF, *Linguae Graecae*,
GERARDUS DORN SEIFFEN, *Literarum Humaniorum*,
MARIA, FRANCISCUS, XAVIERIUS D'ANGELY, *Literarum Gallicarum*,
CAROLUS THOMPSON, *Literarum Anglicarum*,
JUSTUS, HENRICUS KOCH, *Linguae Germanicae.*

MAGISTER ACADEMICUS ARTIS GLADIATORIAE,

LAMBERTUS DE FRANCE.

§. II.

§. II.

Quaestiones ad certamen literarium singularum disciplinarum studiosis in Academiis et Athenaeis universi Belgii, anno CIƆIƆCCCXXIX, *fuerunt propositae, his formulis:*

QUAESTIO THEOLOGICA.

Quaenam fuit Hierarchiae Romanae, medio seculo XI, ante Gregorium VII, conditio et auctoritas? Quam subiit, illo auctore, commutationem?

QUAESTIO JURIDICA.

Quum in doctrinam juris hodierni de conventionibus maximam vim habuerit jus Romanum, et tamen in hac ipsa doctrina, insignes sint inter jus utrumque diversitates; quaerit ordo, ut investigetur, quaenam, tum quod ad principia, tum quod ad generaliores conventionum effectus, inter jus Romanum et Hodiernum sive convenientia sit sive discrepantia.

QUAE-

QUAESTIO MEDICA.

Exponantur Recentiorum theoriae de Pseudomembranis, quae aliquando in inflammatione formantur. Indicetur, quaenam ex his maxime sit probabilis.

QUAESTIO LITERARIA.

Disquisitio historica de prudentia Guilielmi I. *Principis Arausiaci, in Republica perturbata.*

QUAESTIO MATHEMATICA.

Exponatur Theoria Tangentium, ejusque usus.

QUAESTIO CHYMICA.

Quales Aceti varietates hodie ad usum cum Chymicum tum Oeconomicum adhibentur? Qualia principia peregrina, praeter acidum aceticum, singulae continent? Quomodo ab his depurari possunt et solent? Quae tandem est compositio Chymica ipsius acidi acetici?

§. III.

Lectionum, inde a feriis aestivis A. CIƆIƆCCCXXIX *usque ad ferias aestivas A.* CIƆIƆCCCXXX *habendarum, haec fuit ratio constituta:*

In FACULTATE THEOLOGICA.

Theologiae Naturalis Historiam tradere perget H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, hora IX.

Historiam Ecclesiae Christianae, inprimis *antiquam*, tradet H. J. ROYAARDS, diebus lunae, martis et mercurii, hora II.

Historiam Dogmatum Christianorum, inprimis *recentiorem*, narrabit H. J. ROYAARDS, diebus lunae hora XI. et iovis hora II.

Patrum Ecclesiae loca selecta interpretabitur H. J. ROYAARDS, die iovis hora I.

Collocutionibus cum provectioribus *de locis Historiae Ecclesiae et Dogmatum* vacabit H. J. ROYAARDS, die lunae hora X.

Disquisitionibus, probationi academicae prae-

praeviis, vacabit H. J. ROYAARDS, die veneris, hora II.

Critices Veteris ac Novi Foederis initia tradet H. BOUMAN, die martis, horâ X. atque aliâ commodâ.

Hermeneuticam Veteris Foederis tradet et, per *selectorum Jesaiae vaticiniorum* interpretationem, illustrabit H. BOUMAN, diebus lunae, iovis et veneris, horâ X.

Difficiliora Euangeliorum loca interpretabitur H. BOUMAN, diebus lunae et martis, horâ IX.

Theologiam dogmaticam docebit J. HERINGA, E. F. diebus lunae, martis, iovis et veneris, horâ XII.

Collocutionibus de *Theologia populari* vacabit J. HERINGA, E. F. die iovis, horis vespert. a VII. ad IX.

Disquisitionibus, cum provectioribus instituendis, probationi, sive academicae, sive ecclesiasticae praeviis, singulares horas destinabit J. HERINGA, E. F.

Doctrinam morum Christianam docebit H. J. ROYAARDS, diebus lunae, martis et mercurii, hora I.

Prae-

Praecepta *homiletica* tradet J. HERINGA, E. F. diebus lunae et iovis, hora VIII.

Exercitationes oratorias sacras moderabitur J. HERINGA, E. F. die saturni, hora I. vel alia magis commoda.

Officia doctorum et antistitum in Ecclesia Christiana exponet J. HERINGA, E. F. diebus martis et veneris, hora VIII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet J. HERINGA, E. F. die veneris, hora XI.

Commilitonibus *orationes* habentibus *sacras*, praesides aderunt J. HERINGA, E. F. die mercurii, hora XII. H. BOUMAN, die lunae, hora I. et H. J. ROYAARDS, die veneris hora 1.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeerunt, alternis hebdomadibus, die mercurii, hora I. alternatim, J. HERINGA, E. F., H. BOUMAN et H. J. ROYAARDS.

G. VAN OORDT, etsi suo rogatu honorifice a Rege dimissus est, libentissime tamen sua officia et consilia, quoad eius fieri possit, offert commilitonibus. Orationes sacras habentibus praeses aderit, diebus et horis et sibi et commilitonibus opportunis.

In

In FACULTATE JURIDICA, docebunt

Institutiones H. ARNTZENIUS, diebus lunae, mercurii, iovis et saturni, hora IX.

Pandectas, Westenbergio duce H. ARNTZENIUS, diebus, lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora X.

Ius Belgicum ad ductum linearum Iur. Civ. Holland. descriptarum a Cl. N. Smallenburg, J. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Historiam Iurisprudentiae Romanae H. ARNTZENIUS, diebus martis et veneris hora IX. et saturni, hora X.

Encyclopaediam iuris J. R. DE BRUEYS, diebus lunae hora X, mercurii et veneris hora XI.

Elementa oeconomiae politicae J. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis et iovis hora XI.

Ius naturae C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X., duce Haus.

Ius publicum universum et belgicum

C.

C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XII.

Ius gentium inprimis *practicum*, horis commodis.

Ius Criminale universum et belgicum C. A. VAN ENSCHUT, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, praeerunt Professores in facultate Iuridica.

In FACULTATE MEDICA, docebunt

Anatomiam J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, hora IV.

Physiologiam J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ VIII. matutinâ.

Dissectionibus Cadaveris Anatomicis, opportuno anni tempore instituendis praeerit quotidie J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Pathologiam exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, hora IX.

Doctrinam de cognoscendis et curandis ho-

hominum morbis J. I. WOLTERBEEK, quater, hora XII.

Therapiam generalem, et apparatum medicaminum, exponet J. I. WOLTERBEEK, quater, hora I.

Pharmaciam, vernaculo sermone, N. C. DE FREMERY, diebus lunae et martis hora II.

Examen aegrotantium et Semeioticam, J. I. WOLTERBEEK, in Nosocomio academico, hora X.

Institutionibus Clinicis morborum internorum vacabit J. I. WOLTERBEEK, singulis diebus, in Nosocomio Academico.

Praxin chirurgicam tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

Operationes chirurgicas demonstrabit B. F. SUERMAN, tempore hyemali, quater per dierum hebdomadem, hora V.

Institutionibus clinicis in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Theoriam artis obstetriciae J. I. WOLTERBEEK, die martis, iovis et veneris hora IX.

Institutionibus obstetriciis, inprimis practi-

ticis in Nosocomio habendis, vacabit J. I. WOLTERBEEK.

Medicinam Forensem tradet N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, Professores in Facultate Medica praeerunt.

J. BLEULAND, licet propter aetatem honorifice rude donatus, commilitonibus, qui explicationem accuratiorem speciminum Anatomicorum et Pathologicorum in Museo praesentium desiderabunt, sua officia, quantum valetudo permittet, offert.

PH. F. HEYLIGERS, quando ipsi per valetudinem licebit, Chirurgiam denuo et Artem Obstetriciam traditurus est.

In FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM,

docebunt.

Logicam J. F. L. SCHRÖDER, die lunae atque saturni, hora II.

Doctrinam moralem atque nonnulla loca se-

selecta ex Metaphysices doctrina, J. F. L. SCHRÖDER, diebus jovis et veneris, hora II.

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae, martis, jovis et veneris, hora X. interpretando cum Ciceronis orationes Philippicas in M. Antonium, tum selecta quaedam loca ex Ovidii Metamorphoseon libris.

De optima cum puerorum instituendorum, tum Literarum Humaniorum docendarum via disputabit A. VAN GOUDOEVER, diebus mercurii h. I. et saturni h. XII.

Antiquitatem Romanam tradet A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae, mercurii, jovis et saturni hora IX.

Exercitationibus Oratoriis praeerit A. VAN GOUDOEVER, die mercurii hora XII.

Literas Graecas tradet PH. G. VAN HEUSDE, interpretando cum *Herodoti* libro I. diebus martis et veneris, hora XI: tum *Platonis Phaedone*, diebus lunae et jovis, hora XI.

Literas Hebraicas docebit J. H. PAREAU, ita ut *Grammaticam* exponat, diebus lunae et jovis, hora IX. eademque hora, diebus martis et veneris, quaedam tractet Capita e *Regum Libris*.

Literas Chaldaicas et *Syriacas* J. H. PAREAU, diebus lunae et jovis, hora XI.

Literarum Arabicarum initia J. H. PAREAU, diebus martis et veneris, hora XI. et *carmina quaedam Arabica antiquiora* tractare perget, die mercurii, hora IX. aut alia commodiore.

Antiquitatem Hebraicam tradet J. H. PAREAU, diebus lunae, martis, jovis et veneris, hora I.

Historiam gentium, praesertim Graecorum et Romanorum PH. G. VAN HEUSDE, diebus lunae, martis, jovis et veneris, h. XII.

Historiam poëseos Graecae, PH. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et saturni, h. X.

Historiam philosophiae, PH. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et saturni, hora XI.

Historiam Patriae, A. SIMONS, diebus martis, mercurii, jovis et veneris, hora VIII.

Historiam Coloniarum Belg., diebus et horis, auditoribus commodis, A. SIMONS.

Literas Belgicas et Eloquentiam, A. SIMONS, d. martis, mercurii, jovis et veneris, hora II.

Narrationes, quae fabulosam spectant

Gen-

Gentium Germanicarum aetatem, A. SIMONS, d. martis et veneris, hora IV.

Praecepta styli bene Belgici tradet A. SIMONS, d. martis hora XII. mercurii, horâ XI. jovis, hora IV. et veneris, hora XI.

Disputandi exercitationibus, sermone Belg. praeerit, alternis hebdomadibus, die jovis, hora IV. A. SIMONS.

Disputandi exercitationibus praeerunt, alternis hebdomadibus, die saturni hora I. alternatim PH. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.

In FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS,
docebunt

Elementa Matheseos J. F. L. SCHRÖDER, d. martis, mercurii, jovis et veneris, hora VIII.

Physicae Mathematicae elementa, J. F. L. SCHRÖDER, diebus mercurii et saturni, hora XI.

Stereometriam atque Trigonometriam Sphaericam, adhibitas ad Geographiam Mathematicam et Astronomiam J. F. L. SCHRÖDER, die lunae atque saturni, hora VIII.

Loca selecta ex calculo differentiali et integrali adhibita ad theoriam curvarum J. F. L. SCHRÖDER, die jovis et veneris, hora IX. aut alia auditoribus magis commoda.

Physicam experimentalem G. MOLL, die lunae, martis, jovis et veneris, hora I.

Astronomiae primas notitias G. MOLL, d. lunae, martis, jovis et veneris, h. XI. vel alia, auditoribus magis commoda.

Astronomiam theoreticam et practicam G. MOLL, iisd. d. h. XII.

Elementa Hydrotechniae, ad praesentem conditionem Patriae adplicata, si sufficiens numerus auditorum adsit, belgico sermone, exponet G. MOLL, hora deinceps indicanda.

Chymiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, mercurii, jovis et veneris, h. XII.

Botanicam et Physiologiam plantarum J. KOPS, diebus lunae, martis, jovis et veneris, h. X.

Historiam naturalem Mammalium, Avium, Reptilium et Piscium exponet Th. G. VAN LIDTH DE JEUDE, diebus lunae et mercurii, hora XI. Caeterorum autem animalium, vertebris carentium, historiam, die martis eâdem hora.

Ana-

Anatomiam comparatam tradere perget Th. G. VAN LIDTH DE JEUDE, die saturni, hora XI.

Mineralogiam et Geologiam N. C. DE FREMERY, diebus jovis et veneris, horâ XI.

Oeconomiam ruralem J. KOPS, diebus lunae, mercurii et jovis, hora I. saturni, hora XII.

Chymiam artibus adhibitam P. J. I. DE FREMERY, diebus et horis deinceps indicandis.

Iis, qui instituendis operationibus chymicis operam dare cupiunt, praeerit P. J. I. DE FREMERY, die saturni vel alio, horâ commodâ.

Disputandi exercitationibus, die saturni hora I, alternatim praeerunt Professores in Facultate Matheseos et Philosophiae Naturalis, singuli in partibus sibi demandatis.

G. DORN SEIFFEN, *Lit. Human. Lector*, diebus lunae et jovis hora V, *Grammaticam Graecam* exponet; iisdem diebus hora VI., aut alia, auditoribus magis commoda, *de rhytmica ratione, tam in Graeco-*

rum,

rum, quam Latinorum, poëtarum carminibus aget.

J. H. KOCH, Linguae Germanicae grammaticam et historiam literariam interpretabitur, horis auditoribus commodis.

Literas Francicas tradet F. M. D'ANGELY, diebus lunae et jovis, hora V.

Literas Anglicas tradet C. THOMPSON, diebus lunae et jovis, hora VI.

L. DE FRANCE, Academicus gladiatoriae artis Magister, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica, diebus lunae, martis, jovis et veneris, ab hora I. in II. diebus mercurii et saturni ab hora I. in IV., et feriarum tempore, singulis diebus jovis, ab hora I. in II., unicuique patebit. Museum quoque zoölogicum, tam hujus academiae, quam privatum in aedibus Professoris Historiae naturalis, cuique roganti patebit.

§. IV.

Inde a die xxvi Martii a. CIƆIƆCCCXXIX, usque ad diem xxv Martii a. CIƆIƆCCCXXX. Doctoris honores in singulis Facultatibus, hoc ordine, consecuti sunt.

Anno CIƆIƆCCCXXIX.

Die III *m. Aprilis*, GERARDUS SCHIMMELPENNINCK, J. F., *Amstelodamensis*, *publice* defenso specimine juridico de eo quatenus feminarum conditio cum Jure Romano, tum hodierno melior sit, quam illa marium, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Eodem die, JANUS, CAROLUS DELBEECK, Rheno-Trajectinus, *privatim* defensis aliquot observationibus ad tit. Cod. civilis de nuptiis, ob doctrinae praestantiam, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die XXIX *m. Aprilis*, LUDOVICUS, NAPOLEON VAN RANDWYCK, *publice* defensa dissertatione de reticentia illorum, ad quorum

rum notitiam laesae majestatis aut perduellionis crimina committtenda pervenerunt, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die I *Maji*, JOANNES, FRANCISCUS, HENRICUS, JACOBUS, ERNESTUS MACKAY, *publice* propugnato specimine de aere alieno hereditario, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die XX *Maji*, ANTONIUS, ADRIANUS VAN OLDENBARNEVELD, dictus WITTE TULLINGH, *privatim* defenso specimine juridico inaugurali, sistente observationes aliquot ad locum de praescriptione inprimis acquisitiva, praecipue secundum codicem legum civilium, ob doctrinae praestantiam, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die XXV *Maji*, JOANNES, IGNATIUS VAN HEES VAN DEN TEMPEL, *publice* defensa disputatione historico-juridica inaugurali de nobilibus ac urbium delegatis sub Comitum Hollandiae regimine ordines constituentibus, Juris Romani et Hodierni Doctor, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, creatus est.

Die

Die X *m. Junii*, PETRUS DE BEAUFORT, *privatim* defenso specimine Juridico de obligatione resarciendi damnum ab aliis datum, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die IV *m. Junii*, HERMANNUS, FRIDERICUS KOHLBRÜGGE, postquam specimen philologico-Theologicum, exhibens commentarium in Psalmum XLV, *publice* propugnaverat, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Theologiae Doctor creatus est.

Die XVI *m. Junii*, PETRUS, JOANNES, ISAACUS DE FREMERY, Medicinae et artis obstetriciae Doctor inque schola veterinaria Regni Belgici, Chymiae et Physices Professor, nuper ab augustissimo Rege hac in Academia Professor Extraordinarius creatus, Mathes. Magister et Philos. Nat. Doctor, honoris caussa, renuntiatus est.

Die XIX *m. Junii*, HENRICUS, JANUS DIGNUS GRAAFLAND, *privatim* propugnata disputatione juridica de mandato secundum Jus Romanum, ob doctrinae praestantiam, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die XXVII *m. Junii*, FRIDERICUS, HENRI-

RI-

RICUS, CORNELIUS DRIELING, *privatim* defenso specimine historico juridico de conditione debitoris obaerati in patria nostra, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die XXIX *m. Junii*, JANUS, JACOBUS, ANDREAS LUCHTMANS, *publice* defensa dissertatione physiologico-pathologica de absorptionis sanae atque morbosae discrimine, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Medicinae Doctor creatus est.

Die XXX *m. Junii*, BARTHOLOMEUS VAN DORP, *privatim* defenso specimine juridico inaugurali de legitima portione secundum jus hodiernum, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die I *m. Julii*, PETRUS, JACOBUS, EVEKINK BUSGERS, *publice* defensa dissertatione inaugurali de instrumentis, quae ad delicta probanda scribuntur ab iis, quibus hoc negotium propter munus publicum, quo funguntur, lege datum est et commissum, vulgo *processen verbaal*, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die

Die II *m. Julii*, SIBOUT, CORNELIUS KLINKHAMER, *publice* propugnata disputatione de bello propter successionem regni Hispanici gesto, pace Rheno-Trajectina composito, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Eodem die idem, *publice* defenso Querolo sive Aulularia incerti auctoris comoedia togata, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude, Phil. Theor. Mag. et Litt. Hum. Doctor creatus est.

Die III *m. Julii*, GUILIELMUS VAN LYNDEN, *publice* defenso specimine juridico inaugurali de praestando damno et interesse ex mora debitoris, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Eodem die, FRANCISCUS, DESIDERATUS, VICTOR MONCHEUR, *publice* propugnata disputatione juridica inaugurali de his, quae in jure sunt inutilia, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die IV *Julii*, JUSTUS VOS, *privatim* defenso specimine juridico inaugurali sistente ob-

observationes ad quaedam loca codicis legum civilium, ob doctrinae praestantiam, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Eodem die, CAROLUS, CHRISTIANUS VAN HEES, postquam dissertationem medicam inauguralem *publice* propugnaverat de ictero praesertim illo, qui ex calculis biliariis oritur, exemplo notabili illustrato, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Medicinae Doctor creatus est.

Eodem die, GERARDUS, BERNARDUS VISSCHER, *privatim* defenso specimine juridico inaugurali sistente nonnulla, quae spectant usum imputationis in jure criminali, ob doctrinae praestantiam, Juris Romani et Hodierni Doctor renuntiatus est.

Eodem die, JACOBUS, DINGEMANS, ALBERTI, *privatim* defenso specimine chirurgico, de cetaceo, ejus historia et usu medico, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Medicinae Doctor creatus est.

Die IX *m. Septembris*, THEODORUS, CORNELIUS, REGNERUS HUYDECOPER, *publice* defensa dissertatione Theologica, de solenni Jesu Christi in urbem Hierosolymorum introitu, ob summam doctrinae praestantiam

mag-

magna cum laude, Theologiae Doctor creatus est.

Die xv *m. Septembris*, Henricus, Carolus Payen, *privatim* defensa dissertatione juridica, de commodato secundum principia Juris Romani atque Hodierni, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor renuntiatus est.

Die iii *m. Novembris*, Alexander, Henricus Metelerkamp, *privatim* defenso specimine juridico de donatione inprimis successionis in contractu nuptiali conjugibus et liberis nascituris constituta, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor renuntiatus est.

Die xvi *m. Novembris*, Joannes, Franco Beyen, Med. Doctor, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Chirurgiae Doctor creatus est.

Eodem die, Janus, Jacobus, Andreas Luchtmans, Med. Doctor, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Chirurgiae Doctor creatus est.

Die xvi *m. Decembris*, Aeneas Mackay, *publice* defensa Dissertatione, historico-politica de triplici foedere anno 1668, inter

ter regem Angliae, regem Succiae et ordines generales foederati Belgii icto, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die XVII *m. Decembris*, JANUS, JACOBUS, ANDREAS LUCHTMANS, Med. et Chirurgiae Doctor, Artis obstetriciae Doctor ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, creatus est.

Die XXI *m. Decembris*, GOSWINUS, JOANNES SCHLUITER, *privatim* defenso specimine juridico de hypotheca legali minoris, qualis Jure Francico constituta est, a legislatore Belgico merito emendata, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Eodem die, JOANNES, HENRICUS DIKKERS, *privatim* defenso specimine juridico, sistente quaestiones Juris Hodierni, ob doctrinae praestantiam, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

Die XXII *m. Decembris*, CAROLUS, LUCIUS, PETRUS METELERKAMP, *publice* propugnata dissertatione Theologica de Paulli ad Presbyteros Ephesiacos oratione valedictoria, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude, Theologiae Doctor creatus est.

Die

Anno CIↃIↃCCCXXX.

Die X *m. Februarii*, PETRUS VAN GALEN, *publice* defensa disputatione Mathematica de pendulo ejusque applicatione ad telluris figuram determinandam, ob summam doctrinae praestantiam magna cum laude, Math. Mag. et Hist. Natur. Doctor creatus est.

Die XVII *m. Martii*, LUDOLPHUS, ANNEUS, JANUS, WILTIUS SLOET, Voorsta-Gelrus, *publice* defensa dissertatione de differentiis Juris Francici et novi Belgici, ratione testamentorum, ob magnam doctrinae praestantiam cum laude, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est.

§. V.

Anno CIↃIↃCCCXXIX.

Die XXIII *m. Junii*, THODORUS, GERARDUS VAN LIDTH DE JEUDE, hucusque Professoris Extraordinarii munere functus et a *Rege Serenissimo* Professor ordinarius creatus, mu-

munus suum solenni oratione adiit, *de Historiae Naturalis inprimis Zoologiae studio, tamquam utilissimo et suavissimo, omnibus bonarum artium cultoribus praesertim Academiarum civibus maximopere commendando.*

Die XXIV *m. Junii*, PETRUS, JOANNES, ISAACUS DE FREMERY, ab *augustissimo Rege* Professor Extraordinarius creatus, munus auspicaturus, *publice* dixit: *de ratione, qua Chymia artibus adhibita in commune patriae emolumentum optime tradatur.*

Die IV *m. Junii*, Rector cum senatu communicat, e Regis decreto, dato Bruxellis d. XXI *m.* Aprilis, in locum desideratissimi de BEAUFORT Curatorum Praesidis, viri amplissimi, Curatorum collegio adscriptum et praepositum esse Nobilissimum G. A. G. P. VAN DER CAPELLEN, virum summis in Republica muneribus functum.

Anno CIƆIƆCCCXXX.

Die XX *m. Martii.* In conventu Curatorum, Rectoris, Assessorum et Actuarii, lecti sunt in annum Academicum subsequentem, Asses-

so-

sores quatuor viri JANUS, ISAACUS WOLTERBEEK, ANTONIUS VAN GOUDOEVER, JANUS KOPS et HERMANNUS, JOHANNES ROYAARDS: Actuarii autem provincia demandata est HERMANNO BOUMAN.

Die XXVI *m. Martii.* Academiae Curatores viri Amplissimi in senatum cum venissent, eorum Praeses CORNELIO ADRIANO VAN ENSCHUT viro Cl. proximi anni Academiae Rectori, postquam hic solenne jusjurandum praestiterat, novam magistratus dignitatem gratulatus est, idemque munere suo jamjam abituro Rectori, HERMANNO BOUMAN viro Cl. pro cura et labore feliciter peracto, in Rectoris munere obeundo, gratias egit: viroque amplissimo apte respondit instantis anni Rector.

Tum Scidulae ab Actuario combustae sunt, eorum nomina continentes, quibus in certamine Literario praemium non addictum fuerat.

Post haec Curatores, universo senatu comitante, HERMANNUM BOUMAN virum Cl. in cathedram deduxerunt, qui orationem habuit, *de historia philosophiae de Deo sapientiae magistra*, atque enarratis, quae,

se Rectore, Academiae acciderunt cum prospera tum adversa, victoribus in certamine Literario, LUCAE, FRIDERICO VERENET, JANO, JACOBO HINLÓPEN, TJALLINGIO, PETRO TRESLING, LAMBERTO DOEDES DIDERICI Filio et JACOBO, GERARDO ROOSEBOOM praemia distribuit, porro pro meritis laudavit JACOBUM MEYER, CAROLUM, FRANCISCUM VAN SETTEN et PETRUM VAN DER VELDEN, qui honorifica laudis testimonia meruerant.

Recitatis tandem Quaestionibus pro certamine literario, in proximum annum, propositis, magistratu se abdicavit, et successorem sibi ab augustissimo Rege datum, Academiae Rectorem proclamavit.

HERMANNI BOUMAN

ORATIO

DE

HISTORIA PHILOSOPHIAE DE DEO, SAPIENTIAE MAGISTRA,

DICTA PUBLICE

DIE XXVI. M. MARTII A. CIƆIƆCCCXXX.

QUUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS SOLENNI RITU PONERET.

ORATIO.

Academiae Rheno-Trajectinae Curatores, Viri excellentissimi, gravissimi! Et qui his ab actis es et secretis, Vir consultissime!

Artium et disciplinarum Professores, Viri clarissimi! Collegae mihi conjunctissimi! uti et Lectores doctissimi!

Qui in regno Belgico, in regione Rheno-Trajectina et hacce in urbe, sive rebus publice gerendis, sive justitiae tuendae, sive militiae faciendae praeestis, Viri spectatissimi!

Doctrinae Christianae Interpretes, Viri venerabiles!

DOCTORES ERUDITISSIMI!

ORNATISSIMI JUVENES ACADEMICI, IN QUIBUS PATRIAE SPES ET EXSPECTATIO EST REPOSITA!

CIVES DENIQUE ET HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO HONORANDI!

Laetissimus hic nobis illuxit dies atque affulsit, Auditores humanissimi! quo Academiae Rheno-Trajectinae centesimum nonagesimum et quartum agimus celebramusque festum anniversarium. Quo solenni die si temporis, quod inde a fundatâ hâc Musarum sede abiit, memoriam repetimus, ac maxima illa emolumenta cogitatione nostrâ complecti conamur, quae ex ipsâ, per duo fere saecula, nullâ non tempestate, in Patriam ac Civitatem eruditam redundârunt; — quales tum quantasque nos gratias Tibi agere par est, O Deus optime maxime! supreme rerum humanarum Moderator! qui, per solidum denuo hunc-

hunccc annum, Patriae eam ac Societati Christianae et conservaveris et utilem fructuosamque reddideris! — Quodsi in caussas inquirimus, Auditores! quibus factum sit, ut Batavorum in Academiis, semper fere laudatissimae quaeque artes ac disciplinae laete florerent; et alias reperiemus, et hanc non ultimam, quod admodum *liberalibus* (1) illac regerentur, dicam, an erigerentur? institutis. Quae liberalitas et aliorum haud paucorum genitrix erat bonorum, et efficiebat, ut, cum Professoribus praecipuae, quae vulgo censentur, singularum disciplinarum partes docendae imponerentur; tum vero ampla iis opportunitas et occasio daretur latius, cum Commilitonibus, in doctrinarum campum exspatiandi, atque alias ipsarum partes, sive interiores eas sive remotiores, institutione suâ complectendi. Quam facultatem cum, patrum nostrorum nostrâque memoriâ, Professoribus bene recepta consuetudo concessisset; diserte eandem iis conservavit vindicavitque optimi nostri Regis sapientia, quae, quinto decimo hujus saeculi anno, res academicas prudentissimis temperavit legibus. (2) Cui liberalissimo instituto Vestri, Collegae clarissimi! disci-

cipuli acceptos referunt utilitatis illos fructus omnes, quos uberrimos ex *extraordinariis* Vestris scholis percipere solent. Sed eadem Academiarum temperatio non Civibus tantum nostris prodest; verum mihi quoque doctori, si de me fateri licet, utilissima fuit estque cum maxime. Cum enim mihi demandatam cernerem *Theologiae*, quae apud nostrates *Naturalis* dicitur, (3) docendae provinciam gravissimam; illa potissimum fuit, quam memoravi, lex saluberrima, cujus admonitione excitatus, ad hujus doctrinae Historiam peculiaribus scholis tractandam adducerer. Quod consilium utrum exoptatissimis meis profuerit Commilitonibus, eorum judicium esto; mihi certe ipsi, pro ingenii quidem mei mediocritate, plurimum profecit. Quod me profitentem ne quis miretur, permittatis mihi, quaeso! ut pauca hâcce horâ dicam de *Historiâ Philosophiae de Deo, sapientiae Magistrâ.* Quam caussam non iccirco potissimum agendam suscipio, ut existimationi Vestrae, Auditores! studium commendem, quod suâ se satis praestantiâ tuetur; aut ut Vestris in animis, Commilitones! pulcherrimae rei amorem excitem: nam id unum extimescere soleo, ut tan-

tantis Vestris ac tam constantibus discendi studiis ego docendo satis digne respondere possim. Id vero mihi volo, ut ex hujusce studii, exempli loco positi, praedicatione laus efflorescat instituti academici, quod si desideraretur, nunquam in hanc discendi aut docendi viam perducti fuissemus. Quod reliquum est, brevitatis sectandae desiderio ductus, adstricto magis, quam copioso dicendi genere utar. Si autem minus probatae Latinitatis vocabula quaedam in hâc caussâ me usurpantem audieritis, id perspicue dicendi conatui potius, quam ignorantiae vitio, Vestra tribuat humanitas et aequitas rogo!

Ea, quam diximus, Historia et *hominis cognitionem nobis impertit;* et *Philosophiam de rebus Divinis saluberrimis moderatur consiliis;* et *Divinam, quae mundum moralem regit, Providentiam admirari docet;* et *Christi de Deo Doctrinam magni faciendam commendat.* Quas laudes si jure me illi tribuisse constiterit, nemo quisquam, confido, egregiam eam sapientiae Ducem esse negabit.

Ad

Ad *hominis cognitionem* comparandam, ut hinc ordiar, adjumenti quid nobis afferre id, quod praedicamus, studium, haud facile quispiam infitias ibit. Sed quam praeclara sit et prorsus singularis haec ejus utilitas, paullo accuratior rei consideratio evincet. Historia quidem Philosophiae, universe spectata, mentem humanam cognoscendam nobis offert, ad verum investigandum intentam, demonstratque tum, quibus veluti gressibus incedens, ad id, quod quaerit, assequendum ea perveniat, tum quibus in generoso suo cursu retardetur impedimentis. Historia illa est, Divinitus nobis concessae, cogitandi ac ratiocinandi facultatis. Si autem de *Divinis* singulatim rebus Sapientum philosophemata cognoscimus; tum demum omnium difficillimos et nobilissimos consideramus veri inveniendi conatus. Ecquae enim Philosophiae pars aut tam arduam sibi propositam habet disquisitionem, aut tam sublime persequitur consilium, quam ea, quae innumera naturae visa, stupenda machinae mundanae miracula, admirabiliores etiam animorum nostrorum dotes, ad unam, eamque omnium supremam Caussam referre, atque ex agnitâ hujus effica-

ca-

cacissimâ vi explicare laborat? Itaque has potissimum ingenii philosophantis disquisitiones, Historiâ duce, contempletur oportet Psychologiae studiosus, qui, quomodo ad sapientiae arcem perspicacissimi quique omnis aevi Viri enixi sint, item, quid eorum acumen haud raro retuderit, velit indagare.

Ex quamplurimis, quae hoc in genere excitari possint, animadversionibus paucas, agite! speciminis loco, prodamus. Juvatne igitur videre, quam vim, in Philosophorum placita de Deo praeparanda, habeat educatio? Epicurum spectate. Puerulus hic, jubente matre, quae artes factitabat magicas, incantandi formulas recitare debuerat. (4) Nec sane inexspectatum vobis accidet, adultâ eum aetate religioni fuisse inimicissimum, et nullas non generis humani aerumnas ex superstitione repetendas duxisse. — Atque hoc ubi me commemorantem audiistis, Viri doctissimi! Vestrum nonnulli sponte suâ, puto, in memoriam redierunt Diagorae illius Melii, cujus adolescentia depressa fuerat crassissimâ, e puerili institutione haustâ, superstitione, maturior vero aetas audacissimo infamata est Atheismo. (5) Verumtamen vulgo notio-

tiora sunt nomina, nec ad nostram rem minus accommodata exempla Philosophorum, qui, superiore saeculo, in Francogalliâ celebrabantur, *Encyclopaedicorum.* Hos enim sanctissimis quibusque rebus ac doctrinis acerbe irrisisse, ii tantum mirari possunt, qui, quali educatione ipsorum plerique usi sint, ignorant. (6) — Quod autem notissimâ Horatii voce dicitur: *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu*; id et in aliis apparuit quamplurimis, et in Spinosa potissimum. Hic nimirum, natione Judaeus, mysticis ac pantheisticis *Cabbalae* doctrinis a pueritiâ innutritus erat. Hanc autem institutionem in eam, quam postea vir commendavit, de Deo doctrinam insignem aliquam vim habuisse, et mihi certissimum videtur, et vero idonei judices existimârunt. (7) — Sed, quo plenius vobis constet, quam arctâ necessitudine cum religionis contemptione superstitio conjuncta reperiatur; in Democritum oculos convertite, scholae *Atomisticae*, quam fundaverat Leucippus, alterum parentem. Ille enim, cum omnia mechanicis caussis, nihil Naturae Divinae, tribuendum esse contenderet; cum impiâ hâc doctrinâ

tam

tam anilem plurimorum *spectrorum*, nescio quorum, metum ac formidinem copulabat, quâ putidiorem vix aut ne vix quidem fingendo comminisci possis. — Sed mavultis fortasse vim considerare, quam in Philosophorum Theologiam vitae genus habeat studiaque inprimis, quae pueri didicerint admirari. Ad binos igitur attendite, omnium, qui unquam fuerunt, celebratissimos, *empyricae* Philosophiae patronos. Aristotelem me dicere intelligitis ac Lockium. *Illi* pater erat *Medicus*; *hic* salutarem artem ipse exercebat. — Quam luculenter porro, in philosophematum de Summâ Naturâ discrimine et diversitate, diversa cernitur ingeniorum conformatio! Socrates et Plato, consentiente plane ratione, in rerum creatarum praestantiâ et utilitate fidem, Conditori habendam, fundabant. Verum Sophronisci filius ea praecipue hîc spectanda ducebat, quae, in hominis caeterorumque animantium salutem, prudenter ac benigne, a naturae Parente constituta sunt. Platonis autem poëticum magis sublimiusque ingenium ita potissimum eandem caussam agebat, ut ad motûs constantiam ac perpetuitatem suspiceret, quae in

in corporum coelestium aequabili illâ et admirabili cernitur volutatione. (8) — Nullâ autem in re clarius elucescit haec, quam memoravi, ingeniorum varietas, quam in *Dei* vitaeque Divinae notione informandâ. Quod ejusmodi est, ut summo jure Carum, Philosophum acutissimum, dixisse existimes, cum: *Qualis est homo*, ait, *talis*, *quem agnoscit colitque*, *Deus. Qualis hominis animus*, *tale*, *quod ipsi placet*, *coelum.* (9) Ubi, in re perspicuâ, uno excitando exemplo, defungi juvat. En vobis Aristotelem denuo et Epicurum! Quorum utrumque beatitatis, quâ Numen utatur, imaginem sibi informantem videamus. Stagirita Persarum Rege beatiorem ita demum semet reputabat, si in vitae philosophicae otio studiisque consenescere posset. Haud aliter igitur Deum descripsit, eo usum laetitiae fructu, ut placidâ sui intuitione gaudeat, nec ullâ turbetur agendi necessitate. Non ita Gargettius senex, quem veteres vocabant. Hic voluptate finem contineri bonorum censebat. Humanorumne? Ita: sed nihilo secius etiam Divinorum: illo enim judice, *Deorum*, quae dicebat, *intermundia* ad amussim hortu-

tulos referebant, ubi suis cum discipulis requiescere ipse solebat ac delectari. — Quid, quod ad Sapientum de rebus Divinis decreta parienda, aut ad eorum certe formam definiendam, vim quampiam habere soleat gentium, ubi exsistunt ipsa, discrimen! Quâ de re si dubitatis, Cartesii perspicuitatem cum Kantii subtilitate comparetis velim; aut universe Germanorum abstrusas, in hoc genere, disputationes cum elegantibus illis scriptis contendatis, quibus idem argumentum complexi sunt, aut, si forte malitis, exhilarârunt Francogalli.

Sed nondum de nexu diximus, quo priorum de rebus Divinis philosophemata cum posteriorum de eodem argumento decretis conjungerentur. Quae sententiarum copulatio ac consecutio observationem habet, cum jucundissimam, tum ad latebras cognoscendas, recessusque, qui in hominum animis inveniuntur, utilissimam. Jam igitur, quomodo alia ex aliis placita fluxerint, et se invicem exceperint, aut universe secuta sint, paucis videamus. Ubi non hoc potissimum mihi volo, quod Praeceptorum philosophemata discipuli il-

illustrârint, exornârint, variâ ratione temperârint; veluti Xenophanis decreta Parmenides excoluit, Alberti Magni Thomas Aquinas, Kantii Reinholdius pater, Jacobii Boutervecius, (10) aliorum alii. Proximam enim cognationem esse, quâ singularum disciplinarum auctores cum earundem alumnis conjuncti reperiantur, tam clare cuivis attendenti elucescit, ut cultissimis id Auditoribus demonstrare necesse non sit. Quamquam, diversissime temperatae hujusce necessitudinis ratione ac caussis indagandis, copiosissimum studii ac doctrinae tanquam pabulum inveniet mentis humanae cognoscendae cupidus animus. Veluti, haud sine nostrâ, ut spero, utilitate, cum Commilitonibus inquirere soleo, quî factum sit, ut ex unius fonte Socratis tot diversissimi fluerent Philosophiae rivuli, atque ut ex ejusdem disciplinâ et Antisthenes progrederetur, qui in unâ *virtute*, et Aristippus, qui in solâ *voluptate* finem bonorum cerni putaret; cum Epicuri contra discipuli uno omnes ore Magistri dictata reddere solerent. — Verum alia accipiatis, ut tenuioribus veluti vestigiis ingenii humani incessum odoremini. Quae igitur

de

de rebus Divinis priores docuerant, haec non raro posteriores *invertendo* imitati sunt. Ita Eleaticos, de mundi origine philosophatos, eum in modum secuti sunt Atomistici, ut horum doctrinam, quod ad illum quidem locum attinet, non minus vere quam concise, *Eleatismum conversum* nuncupare possis. — Nec dissimili ratione, superiore saeculo, Berkelejus, Philosophus, quem novistis, Anglus, quantum eâ aetate plerique, Lockii auctoritatem colentes, sensuum externorum visis tribuebant, tantum ipse ideis dandum censuit. (11) — Sed alia mihi ex aliis ejusmodi *inversionum* exempla succurrunt. De quibus temperare mihi non possum, quin haec etiam excitem. Quo tempore Wolfiani, approbantibus aequalibus atque applaudentibus, mathematicâ fere demonstrandi ratione usi, Theologiae Naturalis decretis objectivam vindicare conabantur evidentiam; en! magnus ille exstitit Doctor Regiomontanus, qui, Dogmatismi illius audaciam indignatus, ita eum convellere non dubitavit, ut in iis, quas dixi rebus, *objectivae* veritatis demonstrationi *subjectivam* fidem substituere juberet. Verum hoc quidem

dem ut omnibus cognitum est; ita fortasse minus pervulgatum est, nec minus tamen memorabile, ubi suâ vice regnare incepisset *critica* illla Kantii ratio, subito ipsi adversarium se dedisse Bardilium; qui, impar scilicet congressus Achilli, eâ, quâ major esse non posset, fiduciâ, per formulas arithmeticas, quasi calculum subduceret, Dei immortalis vitam comprobare conaretur. (12) — Porro luculenter nostra docet Historia, quam mire antiquiorum diversa, eaque non raro sibi invicem contraria decreta conflando *miscuerint* posteriores. Veluti, de mundi natalibus philosophatus, Heraclitus cum Physicorum sive Jonicorum placitis Eleaticorum confundebat doctrinas. Ne Stoicos nunc memorem, qui eorundem Jonicorum, de eodem argumento, decreta Platonicis, ne quis miretur, copulabant. — Sed quando haec *conciliationis* studia spectâstis; non sine animadversione hoc etiam dimittatis velim multorum institutum, quo, inter contrarias sibique invicem adversantes philosophandi vias, *mediam* quandam, tutiorem sibi, ut sperabant, futuram, reperire atque ingredi conarentur. Ita nimirum, inter

Mo-

Monotheismum ac *Polytheismum*, media interjacet Zoroastris aliorumque quamplurimorum doctrina de *duobus*, aeterno secum invicem certamine conflictantibus, *Principiis.* Atque haud valde diversâ ratione, inter eos, qui primigeniae etiam universi *materiae* originem ex liberâ Summi Numinis voluntate repetebant, et inter eos, qui *mundi aeternitatem* propugnabant, medios incessisse Neoplatonicos novimus aliosque multos, qui ex Deo *emanâsse* seu effluxisse omnia affirmarent. — Attendamus tandem, quomodo in hoc, quem lustramus, agro jacentia resurgant, quae defloruere revirescant, emortua in vitam revocentur. Ubi, omissis aliis omnibus, quae hîc vobis obversari puto, exemplis, unum hoc mihi liceat commemorare. Quodsi Schellingii et Hegelii discipulis haud paucis fides habenda sit; *absolutae*, quam vocant, *Identitatis* doctrinam, his demum postremis annis, Duumvirorum illorum cerebrum enixum est. Sed quoniam, quae *eadem* in Naturâ sint, quaerere ipsi amant; in Historiâ etiam id ne negligant velim: nam illa, quam novam esse jactant, sapientia, quod ad summam rei attinet, *eadem* est,

 quam,

quam, ante multa saecula, non Xenophanes tantum ac Parmenides Graecis consignârunt scriptis, sed ipsi adeo, in sacris suis *Vedami* libris, subinde prodiderunt commendâruntque Indorum antiquorum Gymnosophistae. (13)

Haec, quae ex Historiâ Philosophiae de Deo hausimus, observata de ingenii humani cursu cum sapientiae studio conjunctissima esse, nemo facile negabit, qui ea legerit ac perpenderit, quae nuper Tu, clarissime Schrödere! de Psychologiae praestantiâ ac fructibus, pulcherrime et verissime disputâsti! (14) — Verum haec, Auditores! certissima ex nostrâ illâ Historiâ redundat utilitas, ut, eâ monente Magistrâ, videamus perspiciamusque *cum*, quale et quam magnum acumen mortalium ingeniis Natura concesserit; *tum* vero, quam multa sint, in quae penetrare frustra eadem laboraverint; ne vel, nostris de viribus desperantes, inertes desideamus, ac lucentem in nostro pectore tanquam flammam exstinguamus; vel contra, tenuitatis nostrae immemores, Icareis nos alis tollere conemur. Qualis enim et quam ignea in-

ingenii vis erat in Anaxagora, qui, etsi in mediis superstitionis umbris natus educatusque, atque a *Physicis* profectus, in unâ materiâ rerum principium quaerentibus, primus tamen omnium in Philosophis Graecis, *Deum Mentem*, a mundo segregatum, hujus Fabricatorem esse Gubernatoremque, clare videret ac diserte demonstraret! (15) Quis non Platonem et Stoicos miratur, de Providentiâ, non minus eleganter quam subtiliter, disserentes? Cujus non obstupescit animus, ubi Thomam Aquinatem caliginosae, quâ vivebat, noctis tenebras illustrantem viderit per disputationem pro Numinis vitâ probandâ *teleologicam*, cui nihil magnopere ad perfectionem deesset? Quâ veneratione omnes nos, etsi forte longe diversam philosophandi rationem secuti, Cartesium suspicimus, cui sola sufficeret concessa nobis *cogitandi* facultas, quâ et Deum et mundum revera esse evinceret? Quis non se ipso sibi major videtur, ubi Leibnitium dicentem audierit de summo Numine, *Monade* illâ *Monadum*, cui uni omnes, quotquot in immensâ sint rerum universitate, *Monades*, numero infinitas, quodcunque sint habeantque

et possint, acceptum referre oporteat? Quid vero de Wolfio dicam, Deum informanti, qui omnes, qualescunque esse possent, mundos, ut ex cunctis optimum eligeret creandum, uno infinitae mentis ictu, sibi repraesentaverit; — aut quid de Kantio, in necessariâ virtutis felicitatisque conjunctione praesidium *fidei* illi parante, quâ summum sanctissimumque mundi moralis Gubernatorem ac Judicem complecti, *Ratio* nos *practica* jubeat? — Esto sane, Auditores! in his, quae memoravi, magnorum Virorum placitis esse, quae desideretis, aut jure reprehendatis. Neque ego intercedo, aut dissentio; sed, ex iis tamen singulis clarissime apparere idem affirmare non dubito, quorsum et quam profunde argutae mentis penetret acumen!

Verum non minus prudenter ea, quam audiendam commendamus, sapientiae Magistra monet cavetque, ne arrogantiâ inflati, nimis alte evolando, praecipites ruamus. Quotamquamque enim nostrae Historiae paginam legeris, cui non impressas imbecillitatis humanae notas reperias? Nolo profecto magnorum Virorum errores in triumphum ducere. Sed ip-

ipsi novistis, Auditores doctissimi! quam saepe, quae nostrae disciplinae capita egregie illustraverant et, certissimis adductis argumentis, comprobaverant antiquiores, ea denuo obscuraverint atque in dubium vocaverint recentiores, in iisque ii subinde ipsi, qui optime de hâcce doctrinâ meritorum Hominum discipulos sese profiterentur. (16) Quid, quod vulgo notum est, in celebratissimâ illâ Stoicorum Porticu, diutissime tam indefinitam fluctuantemque relictam esse Summi Numinis notionem, ut ipse adeo Seneca (at qualis quantusque Vir!) *Deum* et *Naturam* et *Mundum* plane idem significare existimaret! (17) — Nec vos latet, quot et quam magni Philosophi, a Chrysippo inde ad Mendelsohnium, quin ad Kantium usque, (18) in argumentis ex ipsâ Numinis notione sive *ideá* petendis, quibus necessaria ipsius existentia demonstraretur, operam consumpserint, non laboriosam magis, quam inanem et infructuosam! — Accepistis iidem, quam turpiter et quam diversâ errandi viâ, Deum cum mundo capitalia etiam confuderint ingenia. Ubi et alios multos commemorare possim, et infelicissimum illum Jordanum

Bru-

Brunum. Hic enim, cum in sagacissimis et acutissimis sexti decimi aerae nostrae saeculi Viris excelleret, ita tamen ingenio, ad mystica quaevis commenta amplectenda proclivi, regendum sese dedit, ut *Deo cunctorum caussam contineri* contenderet, *et materialem et formalem et operantem et finalem.* (19) Sed unum recordari hîc nobis sufficiat, qui Brunum, quamvis sagacem, ingenio longe superabat, Spinozam. Hunc rarissimâ eminuisse mentis acie, quis est, qui nesciat? Et huic tamen ipsi cum sese perversa *Substantiae* definitio commendâsset; tantillus error in omnia illa eum pertraxit opinionum commenta, quae haud eluendam ejus nomini infamiam illeverunt! (20) — Alia multa, sciens prudensque, hîc praetereo: nam satis jam perspexistis, Auditores! si quidem vitae Magistra dicenda sit ea, a quâ nostro nos modulo metiri doceamur, in nullam potius disciplinam, quam in nostrum hocce studium, hujus nominis honorem convenire.

Quoniam eximiam hanc esse hujus Historiae lau-

laudem vidimus, quod ea *hominis* nos *scientiâ* augeat; sequitur, ut perpendamus, quam salutaribus *consiliis* eam potissimum *doctrinam* ipsa *moderetur*, *quae Naturae Summae cognitionem sibi propositam habet.* Verum hîc mihi non committendum est, Auditores! ut animi Vestri, qui festo hoc die ad hilaritatem remitti cupiunt, per nimiam disputationis subtilitatem exerceantur aut fatigentur. Et vero eo brevioribus hîc nobis esse licebit, quandoquidem, quae modo ex Historiae testimonio duximus monita, de ingenii nostri viribus nec inique deprimendis, nec immodicâ laude tollendis, haec cum ad universam Philosophiam, tum inprimis ad disquisitiones de Deo regendas vim habere et utilitatem, certum est et exploratum. Haec igitur pauca, minime abstrusa illa, quaeso! teneatis. Qui, per accurate cognita disciplinae gravissimae fata, ad ejus penetralia, quantum homini licet, adeunda sibi viam munierit; ille, ut hinc ordiar, ita notiones *rerum* a *sonorum* notionibus distinguere discet, ut, per ambiguum aut subdolum vocum nonnullarum usum, sibi fucum fieri non patiatur. Quis enim nescit, et olim fuis-

fuisse et nunc esse haud paucos, qui nomina quidem *Dei*, *creationis*, *mentium immortalitatis* aliaque relinquant et crebro usurpent, sed eam iis sententiam substernant, ut vocum umbras et simulacra rerum veritati substituere velle videantur? Quorum sive argutiis seu fallaciis cum alii facile capiantur, non item irretietur Historiae discipulus. — Ad philosophandi autem constantiam et fortitudinem efficacissime impulsum sese sentiet idem, ubi exempla spectaverit magnorum Virorum, qui, difficillimis viventes temporibus, gravissimis expositi capitis periculis, nec minis, nec carcere, nec vitae discrimine a vero investigando deterrerentur. Quali magnanimitate cum alios vario tempore fuisse, nostrâ docente Magistra, comperimus, tum potissimum *Scholasticos* quosdam, qui regnante barbarie viverent, et *Italos* nonnullos, qui ipsius jugo vixdum aequalium collis subtracto, florerent. (21) — Quid quod eâdem instituti scholâ discamus, acerrimos etiam Philosophiae contemptores, qui ex Theologiâ certe illius usum plane proscribendum putarent, ejus auxilium ad refellendos adversarios invocare non dubitâsse, ipsiusque adeo operâ se carere haud

pos-

posse, invitos demonstravisse! Quo in genere, ne de Cypriano aliisque *Ecclesiae* Latinae, qui vocantur, *Patribus* dicam, unum commemorare mihi liceat Tertullianum, de Societate Christianâ meritissimum Virum, sed cui totum hoc de rebus Divinis philosophari vehementer displicebat. Hic enim, qui omnes sine discrimine Philosophos *haereticorum patriarchas* vocabat, philosophis tamen ipse argumentis sibi refutandos esse *Dualistas* existimavit. (22) Quo magis ad magni faciendum et indefessâ operâ persequendum adducimur studium, quod, si per inimicorum voces vituperatur, per eorundem exempla commendatur.

Sed, agite! eum, qui in omnium gravissimo argumento ita versatur, ut ei Historiae lucem afferat, paullo accuratius contemplemur. Hunc ecce! videre mihi videor, in altissimi montis speculâ collocatum, ex quâ in campum, quem praestantissimi quique Sapientes philosophando emensi sunt, latissimus ipsi prospectus pateat, ut quocunque velit oculos convertere possit, veri intuendi desiderio ardentes. Non hic sane, quae suo potissimum tempore celebrantur, placita, haec cuncta, tanquam

ver-

verba non prius audita, omnesque veri numeros habentia, mirabitur; nec eorum imitabitur stultitiam, qui, unius ex ore Magistri pendentes, cujus cum maxime regnet disciplina, hunc unum praedicant, cum hoc natam esse sapientiam clamitant, nec nisi per hujus discipulos ab interitu eam vindicari posse opinantur. Absit profecto, ut haec minutorum animorum angustia eum deprimat, quem spectamus, veri cultorem! Quodcunque enim, ad sanctissimae caussae illustrationem ac confirmationem, omnis memoriae Sapientes contulerunt, id ipsi excutiendum offert temporum illa testis, Historia. Hinc, nihil aut temere contemnens, aut sine probatione amplexus, optima quaeque, suos in usus selecta, delibat;

— *Veluti in pratis ubi apes, aestate serenâ,*
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur.

Illâ facem praeferente Duce certissimâ, videt, quot jam commenta, magno aliquando plurimorum plausu excepta, dies deleverit, et posteritatis vox confutaverit. Quae vero naturae judicia tempus confirmaverit, haec longe concordius, quam historiae ignarus quispiam su-

suspicetur, secum invicem concinere, haud sine laetitiâ animadvertit; praesertim si ea, ex vocum dictionumque *technicarum*, quales novae identidem excogitantur, involucris, ad rerum principiorumque simplicitatem revocaverit. (23) Nimirum, Auditores! firmissima quaeque argumenta, quae pro Dei immortalis vitâ probandâ unquam prodita sint; haec, utut diversa videantur, ex duobus tantum fontibus hausta manârunt; *cum* ex animi nostri naturâ rationali ac morali, cujus nec origo declarari possit, nec dignitas sibi constare, nisi agnitâ supremâ Mente; *tum* vero ex mundi consideratione, cujus ortus et perpetuatio ex summae tantum Caussae, viventis illius intelligentisque, potentiâ ac sapientiâ et bonitate repeti queat atque explicari. Ex utroque hoc fonte, longe minori, quam plerique putant, dissensione, sua quique de rebus Divinis decreta Viri hauserunt, omnibus aetatibus, prudentissimi. Veluti, ut hoc utar, argumentum ac ratiocinationem, vobis notissimam, quae in universi singularumque ejus partium praestantiâ, utilitate, mutuo nexu sapientissimae Caussae fundat agnitionem, atque hinc adeo praesidium quaerit fidei, quae Deo

Deo habenda est, immortali; hanc igitur ratiocinationem non caeteri tantum commendârunt Philosophi; sed ii etiam ipsi, quorum cum universâ disciplinâ placitisque praecipuis haec argumentandi via minime convenire videretur. Ita Aristoteles: » *Si essent*, in-» quit, *qui sub terrâ semper habitavis-» sent, accepissent autem famâ et audi-» tione, esse quoddam Numen et vim Deo-» rum; deinde, aliquo tempore, patefactis » terrae faucibus, ex illis abditis sedibus » evadere in haec loca, quae nos incoli-» mus, atque exire potuissent, cum re-» pente terram et maria coelumque vidis-» sent; . . . . profecto et esse Deos, » et haec tanta opera Deorum esse arbi-» trarentur.* (24) Non minus graviter dixit ille, cujus hanc minime exspectaveris sententiam, Joannes Scotus Erigena: »*Dei*", inquit, » *exsistentia per res probatur, » quas creavit; ejus sapientia per mirifi-» cum earundem ordinem; ejus tandem » vita per earum commotionem.*" (25) Nec facere possum, quin hîc denuo Kantium memorem, qui eo ipso loco, ubi, ad comprobandam Dei vitam, *physico-theologi-*

cum

cum, quod vulgo vocatur, argumentum ingenio philosopho non sufficere affirmat, *dignum* tamen *id esse* profitetur, *quod in uniuscujusque notitiam perferatur*, *atque ad puerorum etiam institutionem adhibeatur.* (26) — Non multo minore sententiarum consensione, ex μικροκόσμῳ illo, qui *animo* nostro continetur, summae Mentis vitam elucescere viderunt Sapientes asseverâruntque. Ubi denuo, haud raro majorem in Viros perspicacissimos vim habuisse pectori insitum veri sensum, quam peculiarem doctrinae, quae cuique propria erat, rationem formamque, admodum mihi memorabile videtur. Quod, uno certe ex multis adducto exemplo, illustrare juvat. Novistis F r e d e r i c u m H e n r i c u m J a c o b i u m gravissimis religionis doctrinis hoc praesidii quaesivisse, ut de iis ἀμέσως nobis constare statueret, per Dei, qui suam ipse imaginem animis nostris impresserit, patefactionem. Sed, ecce! idem Vir optimus subinde ad *vitam* nostram provocavit *rationalem* et *moralem*, ut infinitam esse Rationem Deum, in quo nostra illa vita fundetur, demonstraret. (27) Quod eum fecisse, non favente,

sed

sed adversante potius modo memoratâ doctrinâ, quâcum ejusmodi *ratiocinatio* non optime sane concineret, certissimum mihi esse videtur.

Verum cavendum nobis est, ne justo diutius gratum jucundumque spectaculum nos detineat Philosophorum, de rebus Divinis longe magis consentientium, quam putet quispiam, qui, exterioris tantum formae diversitate, aut verborum locutionumque technicarum discrepantiâ, singulorum decreta aestimaverit. Ex duobus igitur his, quos monstravi, fontibus sanioris de Summo Numine Philosophiae velati flumen deducitur, in innumeros sparsum rivulos, ac tam late fusum, quam Tua patent, o Deus! in mundo physico et morali, opera, omnium admiratione dignissima! — Hanc autem disquisitionis materiam uberrimam ita complectitur Historiae discipulus, ut, prudentissimae hujus Magistrae voci monitisque obtemperans, scopulos evitare conetur, contrarios quidem, sed idem incauto naufragium singuli minantes. Haec enim sapientiae Dux et omnium temporum et nostrae potissimum aetatis Philosophos ita compellat: « Accepistis," ait illa, « quî, antiquo aevo, Stoi-

« Stoicorum ac Peripateticorum « *Dogmatismus* Academicorum pepererit « *Scepticismum;* hic autem ipse in Ale- « xandrinorum abierit deflexeritque *Mys-* « *ticismum.* Novistis, illis temporibus, ex « defatigatis, per diuturna certamina, erudi- « torum ingeniis Plotini istam exstitisse « et Jamblichi ac Procli doctrinam, « ex nullis non Philosophorum placitis gen- « tiumque religionibus conflatam; per cujus « absurditatem tandem in fumum et nebulas, « proh dolor! evanesceret, a summis olim in- « geniis profecta, et per terrarum orbem « celebrata, Graecorum sapientia! Caveatis « igitur," inquit, « caveatis, ne, per late do- « minantem jam *Mysticismum*, quae ex simi- « libus fere, nunc denuo antegressis, caussis ex- « stitit, eadem in Philosophiam de Deo (neque « in hanc tantum!) clades inferatur!" (28)

Nunc ad laetiora veniamus; sed quae, ne Vestrâ abutar patientiâ, levi tantum manu me attingere posse doleo. Quae enim *humanum cognoscere ingenium* docet, ac *de rebus Divinis* prudenter *philosophari*, nostra Histo-

toria; eadem pietatis nobis Magistra est, quae ad *Dei Providentiam*, hominum res gubernantem, ubique *venerandam* nostros animos informet et adducat. Haec nimirum Providentia, cujus testis est et ministra Historia, identidem, justo maxime et opportuno tempore, eos excitavit Viros, per quorum operam verior de Deo doctrina aut excoleretur, aut ab interitu certe vindicaretur. Haec ita non raro maxime perniciosos coërcuit errores, ut ne nimis late ipsi serperent, atque omnium animos occuparent, prudenter atque efficaciter caveretur. Haec denique, ut unâ voce rei summam complectar, effecit, ut, sicuti in *physico* illo, ita in hoc quoque *morali* Supremi Regis imperio, iterum iterumque ex caligine lux, ex procellis purior coeli aërisque temperies, ex ipsis adeo venenis saluberrima exsisterent medicamenta. Vere haec a me dicta esse, nemo Vestrum, Auditores! infitias ibit; quam certis autem rerum testimoniis ea confirmentur, ipsi, quaeso! cognoscite, pauca ex multis momenta historica in memoriam Vobis revocantes. Apud G r a e c o s olim, ad Creatoris Gubernatorisque summi venerationem, si qua supererat, ex aequa-

aequalium animis tollendam, Parmenidis *Idealismus* ita cum Democriti *Materialismo*, quamvis in disparibus utriusque studiis ac placitis, quasi de compacto, conspiravit, ut ne saniores de Deo notiones prorsus obscurarentur, timendum esset; cum praesertim postea Sophistarum, a religionis amore aversorum, argutiae accederent callidaeque captiunculae. Sed qualis haec erat et quam miranda Divinae Providentiae benignitas, quae nunc potissimum integrioris Theologiae decreta, per Anaxagoram inveniendi, aut certe ab oblivione vindicanda; per Socratis deinceps popularem sapientiam in civium domos introducenda; per Platonis tandem incomparabilem eloquentiam doctioribus etiam commendanda probandaque curaret! — Quandoquidem autem de Graecis dicere incepimus, facere non possumus, quin, hîc quoque, Stoicos memoremus; quos, etiamsi minime in omnibus probandos, Deî tamen ministros, qui de religionis caussâ praeclare meruerint, dicere non dubitamus. Metus profecto erat, ne Epicuri placita, quae, cum superstitionis depulsione promissâ, tum voluptatis spe ostensâ, levibus mul-

torum Graecorum ingeniis valde se commendabant, internecinam religioni cladem illatura essent. Nec enim ignoratis, quam turpiter ille curae gubernationique, quâ mundo Divinitus prospicitur, irrideret, et quam acutis objectionum telis gravissimas peteret de Deo doctrinas, quas professos esse modo memoratos Triumviros comperimus. Verum multo majus sine dubio detrimentum ex istis ejus vocibus ac sophismatibus cepisset caussa sanctissima, nisi huic aequalem aemulumque Deus excitâsset Zenonem, strenuum illum Providentiae vindicem; cujus discipuli, si in multis hallucinati sunt, per subtilitatem gravitatemque, quâ Epicuri sive dictata seu dicteria refutabant, plurimos redemerunt errores ac compensârunt. Quid quod, quo accuratius hujusce scholae res ac merita consideramus, eo clarius Deo, cujus Numine diu ea conservata est, gratias agendas esse videamus! Ea enim schola, quae vixdum nata, Epicuro strenue restiterat, postea, cum adulta esset, non minus constanter ab ingeniosis Academicorum dubitationibus Providentiam defendit. Quin, per saniora nonnulla, quae profitebatur et tuebatur, placita, ho-

hominum animos ad Christi Doctrinam amplectendam quodammodo praeparavit. (28*) Postea autem, cum apud Romanos, Imperatorum tyrannide pressos, et religio in contemptum abire incepisset, et moribus turpissima labes illata esset, non fulcire quidem tantam ruinam potuerunt Stoici, at laudabiliter tamen eam retardârunt. Atque hoc igitur vel uno *Porticûs* exemplo, paullo accuratius exposito, satis elucescit, quam sapienter Philosophiae de rebus Divinis fata rexerit potentissima illa, quae cuncta moderatur, Dei Manus.

Quam velim nunc, Auditores! ut in laetissimo hoc disquisitionis veluti campo diutius vobiscum commorari possim! Ecquod enim tempus fuit, ubi non eadem cerneretur Dei cura? Sed quoniam properandum nobis est, pauca tantum, huc pertinentia, ex serioris memoriae annalibus depromam, et breviter attingam. *Medii* igitur *aevi* ignorantiam ac stuporem vulgari voce notari, a teneris audivimus. Nec desunt, qui, lepide ridendis atque exagitandis barbaris istis atque inficetis Scholasticis, mirifice sibi aliisque placeant. Qui, si id agant, ut aequales nostros

ab eorum imitandis vitiis deterreant, sunt sane laudandi. Sin ingenii tantum gloriolam quaerant, et maximos etiam quosque, qui tunc fuerunt, Viros eâdem reprehensione complectantur, a nobis profecto, pulchrum et bonum, ubicunque inveniatur, gratis in Deum animis advertentibus, minime sunt audiendi. Atra fuerit ista medii aevi nox. Non nego equidem. Sed qualibus igitur laudibus nobis Deus celebrandus est, qui, per Thomam Aquinatem, Joannem Duns Scotum aliosque ejusdem palmae socios, ita certe has illustraverit tenebras, ut eas laetior aliquando dispellere posset aurora; quique, per ipsas illas acerrimas Realistarum et Nominalistarum lites, curaverit, ut veri quaerendi cupiditas aliqua et desiderium torpentibus conservaretur ingeniis, atque impedierit, ne talis ea somnus ac veternus occuparet, ex quo, aut nunquam, aut post multorum demum saeculorum soporem, excitari possent atque evigilare! (29)

Recentiora ne hîc plane intacta relinquamus; in Lockium iterum oculos convertamus, eodem, qui Spinozam extulit, anno saeculi decimi septimi natum. Quod si fecerimus,

mus, et utriusque sententias vel leviter comparaverimus, continuo videbimus, quam salutariter, per praesentissimam Summi Numinis moderationem, *illius* late sparsa ac diu propagata doctrina vim et efficacitatem retuderit infregeritque, quàm *hujus* placita, sine hâc aemulatione, in hominum animos habitura fuissent. — Eodem autem providente Deo, factum est, ut Spinozae, naturae mechanismum liberis Numinis consiliis substituere conati, errores, ad *Physico-theologiam* egregie excolendam, Rajum, Nieuwentijdtium aliosque praeclaros Viros adducerent atque impellerent (30).

Sed qualecunque judicium de rebus, quas adhuc attigimus, Vobis ferendum existimetis; Vos certe omnes, Auditores! assentientes habebo, ubi, ad nostra progressus tempora, dixero atque affirmavero, piis gratisque mentibus nobis praedicandum esse summum mundi Moderatorem, qui, hâc potissimum, quâ vivimus, aetate, per Garvium, Jacobium, Friesum horumque discipulos, providerit ac praecaverit, ne ulli Fichtii, Schellingii, Hegelii conatus *Dei viventis atque intelligentis* notionem obliterare possent,

sent, aut ex Philosophorum scholis exturbare!

Hoc malum adhuc avertit ac postea avertet, dummodo recte percepta, Doctrina Christiana; cujus admonitioni purissimas quasque de Deo notitias Philosophi debuerunt, quotquot eam errorum expultricem suos ad animos adhibuerant, aut certe sublimium ipsius decretorum cognitionem aliquam ex primae jam aetatis disciplinâ hauserant. A commemorandis quidem meritis, quibus *Philosophiae* etiam *de rebus Divinis* prorsus singulari ratione profuerit haec Doctrina, aegre me adhuc temperâsse confiteor (31). Verum tanta sunt ac tam eximia haec merita, quae ne disertissimi quidem Oratoris vox, nedum mea, siculi par est, celebrare possit! Vos igitur, Auditores! non me, sed nostram potius sapientiae Ducem, Historiam, consulatis velim, ut, hujus edocti testimoniis, intelligatis, quanto et quam unico Dei ipsius beneficio, illa Magistra hominum generi concessa sit, et quam immortalibus ea officiis *philosopham* quoque *Theolo-*

lo-

logiam sibi devinxerit. Hujus enim annales vobis demonstrabunt, eos demum, quos Christi lux collustraret, nec priores ullos, Sapientes, semper ac constanter et sine haesitatione, Naturae Divinae unitatem professos esse, atque a liberâ Ejusdem voluntate primigeniae mundi materiae originem repetiisse (32). Nisi autem his certa fides habeatur doctrinis, talis agnosci nequit et coli Deus, cui, sine ullâ exceptione, omnia subsint, ad quem tanquam supremam caussam, cuncta prorsus referantur; in cujus sapientissimo et benignissimo imperio firmam atque inconcusssam reponere fiduciam queant, quotquot per incertos rerum humanarum exitus agitati sunt, ac per curarum calamitatumque fluctus jactati, mortalium animi.

Sed, cum in gravissima haec Historiae nostrae testimonia excitanda excurrere non possim; uno tantum allato exemplo, demonstrare mihi liceat, quanta coelestis Doctrinae vis sit et efficacitas, ad discipulos suos puriore rerum Divinarum cognitione imbuendos, quam iis contingat, qui iisdem quidem humanis disciplinis instituti sunt, atque in eodem culturae gradu collocati, sed sapientissima

Chris-

Christi monita ignorant aut non curant. Quâ igitur tempestate praeclara Platonis Philosophia in doctrinam illam abierat, pulcherrimae matris filiam valde degenerem, quae praecipuam *Alexandriae* sedem habebat; quatuor vivebant, aut aequales aut non ita magno temporis spatio disjuncti, ingenio et doctrinâ excellentes, Viri, ex eâdem omnes profecti, quam significavi, disciplinâ Neoplatonicâ. Cum Plotinum et Jamblichum dico, tum Clementem Alexandrinum et Origenem Adamantium; quorum *illi* a sacris Christianis aversi erant, *hi* iisdem nomen dederant, et vitam consecrârant. At quam magnum animadvertes sententiarum discrimen, ubi modo *illos*, mox *hos* de Naturâ Summâ philosophantes audieris! A Plotino enim ejusmodi celebratur Deus, ex quo, nullas partes ipsius agente voluntate, mundus effluxerit, quique quibus argumentis esse probetur, ne quaerere quidem nobis liceat; cum id potius nobis agendum sit, ut, per animi nostri ἄπλωσιν, ad Illius intuitionem perveniamus. Jamblichus autem quaecunque mysticae rationis commenta de Summo Numine prodiderat Plotinus, ea mi-

mirum in modum auxit, et ex insanis fecit insaniora. A Clemente vero et Origene non nulla quidem philosophemata commendata reperiuntur non probanda: non nunquam enim *Alexandrinae* magis, quam *Christianae* doctrinae memores esse videntur. Sed ubicunque *Christo* duce utuntur, quod plerumque eos fecisse apparet, tam puras verasque et sublimes Dei ac rerum Divinarum notiones informant, ut vix aut ne vix quidem credibile videatur, iisdem eos olim, quibus Plotinum et Jamblichum, innutritos fuisse placitis philosophis.

Breviter ut dicam et universe; quo diligentius Philosophiae de Deo Historiam consulueritis, Auditores! eo luculentius confirmatum videbitis, quod, ante hos paucos annos, verissime dixit Franckius, (33) Philosophus idemque Theologus Chiloniensis acutissimus, post Christi demum tempora, bene cohaerentis disciplinae rationem et rite definitum loquendi usum Theologiae Naturali constitisse. Immo per propagatam tantum Jesu doctrinam factum esse reperietis, ut sublimes, quas Ille de Deo, Eoque mundi Creatore, Conservatore, Gubernatore, voces edi-

edidisset, communis boni instar, et indoctae plebi traderentur et acutissimis Philosophis; atque ut ex eodem adeo fonte, ex quo limpidissimam rerum divinarum cognitionem *illa* hauriret, *horum* quoque hortuli irrigarentur. — Ita vero certissime Vobis Historia persuadebit, Jesu Christi Doctrinam, quae ex obscuro, neque ullâ humanae sapientiae luce collustrato, terrae angulo profecta erat; quae vero per placitorum de Deo praestantiam, *priores* Philosophiae Heroës infinito superavit intervallo, quaeque una *posterioribus* ad sapientiae arcem escendendam facem praetulit; — hanc, inquam, Christi Doctrinam nullius humani ingenii filiam fuisse, sed *coelestem* exstitisse et unice *Divinam* veri Nuntiam ac Magistram!

RE-

Rerum academicarum relatio et praemiorum distributio.

Velim profecto, Auditores humanissimi! ut ex festo hoc die integer atque illibatus gaudii laetaeque recordationis fructus in Vos singulos redundet! Verum, dum ad recentissima hujusce Musarum Sedis fata Vobiscum recolenda me converto; haud sine tristitiae sensu comperio, nullum facile nostrorum hominum academicorum Ordinem esse, quin, hoc, qui nunc nobis abiit, anno, suis ex sociis aliquem certe deflendum invenerit. Agite igitur! nostrae ipsorum fragilitatis memores, mortuis justa solvamus!

Sub ipsa jam gesti hujusce mei muneris initia, magna Academiam clades afflixit. Etenim Guilielmus Henricus Beaufortius, amplissimi Curatorum Collegii Praeses optime meritus, tristi nobis morte eripiebatur. Quae res, dictu difficile est, quam gravem permultis, immo iis, qui desideratissimum Virum cognitum habuerant, cunctis luctum pepererit! Nam quanto hic bonorum om-

omnium amore atque existimatione uteretur, et, ipso vivo, nemo fere ignorabat, et, eodem mortuo, planius etiam intelleximus. Qualis ille esset et quam bonus, Tu, clarissime Heusdi! in eruditae *Societatis Rheno-Trajectinae* conventu, ita nobis non descripsisti, sed pinxisti, ut imaginis, quam ducebas, simplicitas, veritas, elegantia ipsius, quem nobis repraesentabas, Viri indolem referre videretur. Duplicem Tu a nobis gratiam iniisti; et quod ita de Curatore nostro dixeris, et quod dicta publici juris facienda curaveris, eorumque legendorum copiam nobis dederis. (34) Qualem igitur, Auditores! Virum optimum universe nobis informavit Collega noster; talem, in Academiae singulatim rebus curandis, sese praestitit. Hanc enim curam, continuo post Academiae instaurationem, Beaufortio demandatam, cum nobilissimis ipse suscepit Collegis, qui tum erant; quibus vero omnibus superstitem eum vidimus. Atque ad hoc ejus munus novum postea accessit honoris ornamentum, cum, magno illi Perponcherio successor datus, amplissimi Collegii *Praeses* diceretur. Hisce autem postremis annis, cum caeteris defunctus esset

pu-

publicis muneribus, doctrinarum commodis curandis totum sese tradere poterat, et vero tradidit. Sed quo non tempore, in gravissimâ hâc provinciâ tuendâ, religiosissime versatus est? Semper enim, sicuti in reliquâ vitâ omni, ita hîc quoque, *esse*, quam *videri* maluit; sibi quidem nullum decus, sed tanto impensius, quod Academiae honorificum esset ac salutare, quaerens; publico privatum postponens commodum; adeo non sibi placens, ut aliorum judicium et libenter exquireret, et, sicubi opus erat, suo haud invitus praeferret; sed idem ita *suus*, atque ita recti justique tenax, ut, si quando, per officii sanctitatem, nonnullorum desideriis deesse cogeretur, neminis cujusquam offensionem aut iram reformidaret. Talem eum Praesidem Vos amisistis, Curatores amplissimi! quos salvos atque incolumes nobis servatos esse, sincere laetamur! Tali nos ipso orbati sumus rerum nostrarum Vindice benevolentissimo, prudentissimo!

Quod Vos, Collegae clarissimi! gravissima ac difficillima munera gerentes, hocce quoque anno, Divinitus adjuti fuistis ac sustentati; quod

quod Professoribus emeritis, sed meritissimis iisdem, Bleulandio atque Oordtio, non nimis gravis fuit senectus; item, quod Heusdius, qui, peregre commorans, periculoso prostratus morbo decubuerat, salvus sospesque et nobis et hisce, ipsius amantissimis, Juvenibus redditus est; — haec aliaque multa beneficia habemus, quae Tibi, O Deus benignissime! gratis animis accepta referamus, quorumque usum ac fructum ut diu nobis conserves precemur! Et vero, si Bruchysius, corporis nunc infirmitate detentus, haec nobiscum solennia celebrare non potest; laetamur tamen, quod hic quoque Vir celeberrimus, etsi, proximo hoc anno, vacillante haud raro valetudine usus, naviter tamen Jurisprudentiae studiosis Juvenibus prodesse potuit profuitque.

Verum quam spem conceperam, fore ut, neminis certe Collegarum obitu, mei magistratûs tempus funestum redderetur; hanc postremi hi fefellerunt dies, ubi tristis ad nos nuntius allatus est, quo de decessu certiores reddebamur Francisci Philippi Heyligers, Viri clarissimi. Cujus nomen ut commemorantem me audiistis, ad miseratio-

nis

nis sensum significandum Vestri mihi vultus componi videntur. Et profecto ferreus sit oportet, qui Viri vicem non doleat, quem ingenio sagacem, mente alacrem, corpore agilem, omnes cognovimus; qui vero nunc in eam sortis miseriam dejectus erat, ut ipsi non tam vita erepta, quam mors donata esse videretur! — Sed hinc ad laetioris temporis memoriam recolendam animos nostros referamus. Qualem igitur et quam assiduam operam addiscendae Medicorum arti olim, in juventute, dederit noster hîc nuper Collega; hoc potissimum argumento elucescit, quod, nobilissimi studii persequendi caussâ, *undecim* adeo, et quod excurrit, *annos*, in Academiis, cum patriis, tum exteris, versatus sit. Cujus operae indefessae tandem, tertio hujusce saeculi anno, maturum fructum edidit, dissertationem *de fabricâ articulationum internâ;* quam docte scriptam esse, gravissimorum judicum testimonio mihi constitit. Nec ejus doctrinae sua defuerunt praemia. Ad Medicinae enim Cathedram ornandam *Frisiacam*, postea etiam *Gelricam*, honorifice invitatus est, et aliorum suffragatione usus, et Geunsii inprimis, Viri in paucis magni.

Ve-

Verum utrique huic honori opportunitates ac spes praetulit, quas, per hancce nostram et urbem et Academiam, sibi vel offerri putabat vel ostendi. Nec spem exitu frustrante, primum *Chirurgiae et artis Obstetriciae Lector*, tum, ante hoc ipsum decennium, *Medicinae Professor extraordinarius* dictus est. Cum enim *prioris* muneris partes, inde a quarto jam saeculi, quod agitur, anno, nec sine aliquâ tamen quietis intermissione, tuitus esset; *posterioris* honor, ejusdem saeculi anno vicesimo, accessit. (35) — Erat Heyligersius, quod, testium luculentissimorum auctoritatem secutus, affirmo, artis cum Chirurgicae, tum Obstetriciae eximie peritus, atque in utriusque subsidium accuratam Anatomiae cognitionem advocaverat. Quibus doctrinae dotibus instructus, non tantum cultro chirurgico, si quando, ad aegrotantium mala lenienda, opus erat, dextre utebatur; sed juvenibus etiam, artis salutaris Studiosis, institutione suâ prodesse conabatur. Verum non longam ipsi vitam, breviorem aliquanto vitae usum sapientissima largita est' Providentia; quae ut a nobis nostrisque cunctis similis cladis

dis avertat infortunium atque averruncet, unanimes precamur omnes!

Sed insalutatos etiam dimittere mihi non licet manes Mariae Francisci Xavierii d'Angely, Lectoris, dum vivebat, experientissimi. Hic sane, si quis alius, Vir variis sortis vicissitudinibus agitatus est. Ex nobili enim Francogalliae gente ortus, plures mundi partes multosque terrae populos sibi visendos esse putavit. Ubi cum haud paucis fortunae casibus, terrâ marique, domi militiaeque, jactatus esset, tandem in hujusce doctrinarum Sacrarii tranquillum veluti portum sese recepit. Hîc igitur, accurate atque eleganter patrias suas Literas docendo, et famae ipse suae consuluit et discipulorum studiis. In quo tamen penso persequendo, postremis hisce annis, fortasse felicius, alacrius certe, versari potuisset, nisi et per res domesticas, non semper valde laetas, et per adversam inprimis valetudinem, saepius se depressum sensisset.

Cum, utroque hoc moniti exemplo viderimus, qualem vim in affligendos artium disci-

plinarumque cultores corporis mala habeant ac dolores; gaudeamus oportet profecto, Academiae Cives ornatissimi ac nobilissimi! quod Vestrum plures, qui variis hocce anno morbis decubuerant, atque in his ii etiam, quorum vitae adeo timueramus, ei jam restituti sint sanitati ac vigori, quo eos cum maxime utentes conspicimus. Quas animi corporisque vires ut et his, et vero Vobis omnibus conservet augeatque Numen Divinum, non Vestri magis, quam Patriae ac Societatis Christianae caussâ, optamus vovemusque! — Verumtamen nec Vestrum Ordinem morte intactum adspicere mihi licet! .... Lugetis enim, et Vobiscum nos lugemus binos eosque optimos Juvenes, Jellium Postma et Johannem Jacobum Metelerkamp; quorum ille lentâ tabe exhaustus, hic vehementissimi morbi vi atque ictu necopinato prostratus, rebus humanis ereptus est. Uterque non Vestrum tantum pluribus amicus, sed nobis etiam Praeceptoribus carus erat. In utroque et pietatem in Deum hominesque, et Sacrarum Literarum amorem earumque, pro juvenili quidem aetate, peritiam probavimus. Uterque, Theologiae jam Candida-

tis

tis laudabiliter adscriptus, id agebat, ut propediem, quam fluxae sint ac fragiles res hominum universae, populum Christianum doceret. Sed, tristi sui obitûs exemplo, nos docuit uterque, caeteris mortalium rebus incertis stabiliorem non esse nec firmiorem aetatis florem, aut virium juvenilium robur!

Plura jam funera luximus! Nec dum tamen justissimum Tuum dolorem commemoravimus, clarissime Arntzeni! qui flebilibus nuper exsequiis Conjugem extulisti, Te dignissimam, quae, per multorum annorum spatium, dulcissima Tibi fuerat vitae, in utrâque sorte, socia, quae liberis Tuis mater erat amantissima, eademque, si hoc addere licet, uxoribus nostris amica dilectissima. — Et vero Tuum etiam luctum, eruditissime Nijhovi! ad nos pertinere censuimus censemusque omnes; cum Filio orbatus sis, praematurâ, ut nobis quidem videtur, morte exstincto, qui, juvenili aetate, eam jam prodiderat *animi fortitudinem*, quam egregiorum esse *Medicorum*, per clarissimi Suermanni eloquentissimam orationem edocti, novimus. (36) Sed et Vos, Viri gravissimi! et caeteros,

 qui

qui carissimorum sibi capitum jacturam dolent, Auditores suavissima erigat persuasio oportet, iis omnibus, qui, sicuti Christianos decet, vixerint, per gratuitum Dei favorem, verae vitae initium mortem esse, et ad beatam immortalitatem percipiendam viam ac semitam certissimam! — Havete igitur, piae defunctorum animae! Havete! Quo Vos abiistis, eo nos tendimus omnes!

(*Musices concentus funebris audiebatur.*)

Jam vero, Auditores! ut mentes nostras, laetari gestientes, ad gaudii sensum remittamus licet et expedit! Multa enim, quae fausta nobis obtigerint, animis ac memoriâ habemus recolenda. Nonnulla jam, quibus amara temperarentur, attigimus. Verum longe plura nobis memoranda supersunt, nec pretio levia illa, nec numero pauca. Quanto enim nos dolore Beaufortii mors perculit, tanto nos gaudio, excellentissime Capelli! honos refecit ac recreavit, in Te, optantibus nobis, collatus. Nostris omnium votis ac desideriis Curatorem Te donatum esse, et Tu novisti, et nobis dictu incredibi-

bile est, quam suave sit et jucundum! Quidni enim de eo gloriemur rerum nostrarum *Praeside* ac Patrono, qui, ne per acerrimi quidem belli, quod, Tuis auspiciis, in *Indiâ Orientali* gerendum erat, molitiones ac strepitum, Musas ibi silere, aut Fautorem desiderare passus sis? Et vero nunc jam, tam brevi, ex quo Patriae nobisque redditus es, temporis spatio, munificentiae Tuae literarumque amori Museum nostrum donum debet amplum et insigne. Accipias igitur, Vir excellentissime! pro hoc Tuo beneficio, et pro hocce Tuo praesertim in nostras res animo ac sensu, sinceras maxime gratias; atque ita Tibi persuadeas, in ardentissimis hoc nobis votis esse, ut diu Academiae salus ex tuo efflorescat praesidio atque ex sapientissimis consiliis, cum Tuis, tum Collegarum Tuorum, Virorum gravissimorum, qui emolumenta, ex Te nobis speranda, suo etiam honori generose praetulerunt!

Ad Vos nunc compellandos mea sese convertat oratio oportet, Viri clarissimi Theodore Gerarde van Lidt de Jeude et Petre Johannes Isaäce de Fremery!

ry! Vos enim, conjunctissimi nobis Collegae! aut novis aut adauctis in Vos collatis honoribus, Vestrorum meritorum praemia tulistis; et feliciter, solemnibus habitis orationibus, haec munera ingressi estis; et vero faustissimis ea auspiciis tueri incepistis. Haec igitur et Vobis gratulor et Academiae et Physicorum ac Mathematicorum Ordini celeberrimo! Quae gratulatio, cum ad omnes pertineat hujus Ordinis socios meritissimos, tum Vos prae caeteris spectat, Nicolaë Corneli de Fremery et Jane Kops, Viri clarissimi! qui, rarâ felicitate, Filium Generumque, in eodem disciplinarum choro, Collegam Vobis adjunctum vidistis! — Sed idem Tu, quem modo compellabam, gravissime de Fremery! eodem hocce anno, quo Pater ex Filii decore suavissimum gaudium cepisti, et quo *Leonis Belgici* adscriptus es *Ordini equestri*; eodem, inquam, anno, publicâ optimi Regis auctoritate, pro salutari operâ, quam in condendâ posuisti *Pharmacopaea Belgicâ*, praemium accepisti valde honorificum; quod utinam Tu diutissime Avus tenellis possis monstrare nepotibus! Nec dubites velim, quin quae Tibi, vel ad animi pa-

paterni sensum grata contigerunt, vel ad honorem ampla, haec eo majorem mihi laetitiam pepererint, quo plura benevolentissimae Tuae curae mea debeat familia!

In similis autem laudis societatem, sicuti par erat, Tu venisti, summe venerande de nostrâque disciplinâ praeclare merite Royaardsi! Tu enim, qui tot bonae spei Juvenibus et ad alias doctrinae theologicae partes addiscendas, et ad Societatis Christianae fata cognoscenda, viam monstrare soles, non minus certam quam jucundam; *patriarum* quoque *rerum Historiographis* ea dedisti monita ac consilia prudentissima, quae quantum Tibi justi honoris attulerunt, tantum illis emolumenti afferant optamus!

Sed nunc alia nobis res attingenda est, cum Academiae salute conjunctissima, quam utinam in laetis hujusce anni fatis commemorare possit celeberrimus, qui mox mihi successurus est, Rector! Novistis enim, clarissimum nostrum Schroederum van der Kolk, ipsis his diebus, publicâ auctoritate, invitatum esse, honorificis non minus, quam lautis positis conditionibus, ut eam, quam apud nos, cum omnium approbatione, occupa-

patam tenet, Medicinae Cathedram cum alterâ commutet, in illustrissimâ Patriae nostrae metropoli, ante aliquod tempus, constitutâ. Timueramus quidem, ut Vir laudatissimus, quem rerum suarum adjuncta retentura videbantur, festo huic conventui interesse posset. Sed eo magis laetor, quod necopinans praesentem Collegam conspicere queo ac compellare. Hoc enim, Auditores! bonum facit augurium, (utinam non cupidius dixerim, quam verius!) quod audiendae certe Academiae voci sese non subtrahendum duxerit Vir celeberrimus! Haec igitur, haec Academiae vox est, quae Te, clarissime Schroedere van der Kolk! Virum non minus generosum magnanimumque, quam doctrinâ nobilem, rogat et obtestatur, ut fortiter illis resistas conditionum illecebris; atque ut ne velis celeberrimum hoc et aliarum disciplinarum et Medicinae Sacrarium, tot nobilitatum magnis Medicis, tam praestantibus cum maxime florens artis salutaris Studiosis, alteri illi Scholae, atque ei, quam ipsa offert, spei postponere! Haec, haec non mea magis vox est, quam Curatorum, Professorum, Lectorum,

rum, Studiosorum atque Academiae adeo universae! (37)

Vos, nobilissimi Academiae Cives! Commilitones ornatissimi! quos nunc laetiori, quam modo antea, animo compello; Vos, inquam, ineunte eo, qui nunc abiit, anno academico, eleganti edito spectaculo mimico, curâstis, ne mentibus, per literata studia fatigatis, honesta recreatio deesset; atque eâ opportunitate, quantopere decori servandi studiosi sitis, luculenter demonstrâstis. — Verum quid de eo potissimum Vestro die dicam? quasi reliqua, quam hoc anno egistis, vita academica minus probanda fuerit! Immo vero hoc inprimis laudamus; atque ut eâ, quae cum pietate Vestrâ conveniat, ratione dicamus, hanc Deo gratias agendi locupletissimam habemus materiam, quod Vestrum longe plerique iis fuerint sintque moribus probatissimis, atque eos fecerint in artium disciplinis progressus, ut ipsorum conatus Patriae ac Societati Christianae profuturos auguremur. Quam spem nostram et exspectationem Vos non eludetis; Deus ipse ratam faciat!

Ve-

Verum Vestra saltem nomina non sine commemoratione mihi dimittenda sunt, Commilitones exoptatissimi! qui reportandis, quae in aliis doctrinarum Sedibus ostendebantur, praemiis, et Vobismet ipsi et huicce Academiae decus quaesivistis! Hujusmodi autem laus obtigit, *Groningae* quidem, Barentio Rienstra, scriptâ *de doctrinâ Sacrae Coenae* commentatione historicâ; tum *Leodii* Hermanno Gunst, mathematicâ oblatâ dissertatione *de Cycloidis ordinariae proprietatibus, tum geometricis, tum mechanicis;* (38) tandem *Lugduni Batavorum*, quam non ultimam commemorare debueram Academiam, et Alexandro Carolo Guilielmo Suerman, scriptâ *de Hygrometris* commentatione physicâ, et Gerhardo Regnero Fockens, astronomicâ scriptâ disputatione, *de definiendâ terrâ marique latitudine.* Immo, quae rara sane erat Academiae nostrae felicitas, idem celeberrimorum Physicorum ac Mathematicorum Leidensium Ordo, qui Suermannum et Fockensium ornaverat, eodem tempore, tertio etiam nostro Civi ornatissimo, Paulo Henrico Holleman, proximum victoriae honorem lar-

largitus est, institutâ ab ipso *de aquae marinae elementis* disquisitione chemicâ. Macte vero! macte Vestro illo honore estote, optimi Juvenes! Gaudeant vobiscum Parentes, Praeceptores, Commilitones! Et vero Tu gaudeas, clarissime Suermanne! qui, cum ipse eximiâ Medicinae laude floreas, duos habeas Filios pios bonosque, ad ejusdem laudis societatem feliciter succrescentes! (39)

Jam instat, ut breviter de academicâ dicamus cum supellectile, tum aedificatione. Bibliotheca igitur et aliis aucta est donis, et *Diplomatum Gelriae libro*, quem Tuae munificentiae debemus atque acceptum referimus, illustrissime van der Borch à Verwolde! — Item alterum accepimus munus, Regis magnae Britanniae nomine, a Barnardio, Viro illustri missum, *Catalogum Bibliothecae Regiae Londinensis*, quatuor maximae formae volumina complexum.

In Horto academico caldarii majoris tubi, calorem afferentes, ita sunt emendati, ut

ut in acerrimo etiam, quo proxima hiems cernebatur, frigore, caldario illi calefaciendo sufficerent. Quo factum est, ut, per gelu saevitiam, detrimenti nihil plantae caperent.

Museum Zoologicum pluribus locupletatum est donis; in quibus id praecipuo nobis loco laudandum est, pro quo, sicuti par erat, illustrissimo Capellio gratias egimus. Continebatur enim *septuaginta avibus Indicis;* in quarum numero eae erant, quibus adhuc caruissemus, quaeque pulchritudine suâ ac raritate commendarentur. — Sed alia quoque, in eodem genere, hîc commemoranda habemus; tum duo exemplaria *Plataleae leucorodiae*, tum *Diomedeae exsulantis* pulchrum exemplar. *Illud* munus Swellengrebelio, Academiae Curatori amplissimo, hoc Schroedero van der Kolk, Professori clarissimo, ita acceptum refert nostrum doctrinarum Sacrarium, ut utrique Viro egregio novi officii vinculo sese obstrictum sentiat. — Tandem aliarum emendarum *septuaginta avium*, in quibus et ipsis plures novae erant raraeque, commodiorem nobis opportunitatem, suâ intercessione, procuravit Davides Boelen Schuurman, Vir specta-

tatissimus; quam ejus humanitatem iis, quibus humanos decet, animis accepimus.

Laboratorium Chemicum, instrumentis ad *Microchemiam*, quae dicitur, pertinentibus auctum, doctrinae illustrandae atque amplificandae rite inservire pergit.

Museum etiam Mineralogicum speciminibus, inprimis *geognosticis* quamplurimis, hocce anno, auctum est.

In Nosocomio tandem academico Medicinae alumnis, qui ad institutiones *Clinicas* accedebant, fructuosa concessa est opportunitas cum puerperis opitulandi, tum vero quotidie aegros visendi, morbis externis aut internis laborantes, sive illic decumbentes, seu aliunde allatos.

Haec igitur, Auditores! nobis recordanda erant laeta Academiae fata. Sed jam diutius me cohibere non possum, quin aliquid memorem, quod hâcce horâ me ipsum incredibili laetitiâ perfundit! Te enim necopinans praesentem hîc adspicio, Clarissi celeberrime! Te, qui Divino beneficio Praeceptor mihi obtigisti! — Si quid in Philosophiâ valeo, si quid in Theologiâ; si quâ sum coelestis Chris-

Christi Doctrinae interpretandae peritiâ; Tibi id ita debeo, ut profecto nemini cuiquam magis! Te adspicio, cujus adolescens admiratus sum doctrinam, quid non complexam? nunc magis etiam admiror magnanimitatem ac fortitudinem, nullis fractam calamitatibus! — O Clarissi! si quando, corporum egressi carcere mortalium, ad animorum concilium coetumque admissi fuerimus, nullâ amplius aut caduci corporis infirmitate pressi, aut aerumnarum saevitiâ jactati; quanto tunc melius res Divinas cognoscemus, Deique paternam, quâ nostra fata moderatus est, bonitatem! Quales tum et quam immortales Deo gratias agam, quod Te, Te mihi Praeceptorem dederit et adolescentiae Ducem!

Verum ignoscatis, Auditores! si, cum improviso Virum adspicerem, cui tantum debeo, commoti pectoris sensu me abreptum vidistis. — Jam, ut legis jussum exsequamur, animorumque nostrorum votis morem geramus, Juvenibus, qui victoriam in certamine reportârunt literato, justa distribuamus praemia. Quod quo jure fiat, ut vobis constet, singulorum Ordinum de allatis ad sese commen-

mentationibus judicia audiatis. Ubi tamen, in antecessum mihi monendum est, Medicorum Ordini nullas, pro praemio obtinendo, oblatas esse dissertationes.

ORDINIS THEOLOGICI JUDICIUM.

Ordini Theologorum sex oblatae sunt Disputationes ad propositam Quaestionem: Quae fuit Hierarchiae Romanae, medio seculo 11, ante Gregorium VII conditio et auctoritas? Quam subiit, illo auctore, commutationem?

Auctor primae *Commentationis, cui Symbolum:* Tempora non raro *cet., parvi pretii nobis obtulit libellum, in quo neque ingenio, neque judicio sese commendavit.*

Secunda *Disputatio, sententia* Horatii *distincta:* Terruit gentes, *versatur in narrandis Ecclesiae et Hierarchiae fatis, Gregorii VII aetate; ipsam vero Quaestionem non nisi obiter attingit. Requiritur in ea justa rerum dispositio, judicii acumen, docta et erudita rerum pertractatio.*

Hisce praeferenda nobis videtur Disputa-

ta-

tatio tertia, *cui lemma:* Stulta est clementia *cet.*; *eo maxime, quod justo ordine procedit in disquirendo auctor; quod prae ceteris cum* conditionem, *tum* auctoritatem *Hierarchiae exponit; quodque literarum se haud sane imperitum demonstrat. Verum diutius in rebus politicis, brevius in rebus Ecclesiasticis exponendis versatur; neque fontes adiit genuinos; desideratur omnino docta rerum pertractatio.*

Quarta *vero Disputatio, cujus symbolum habetur:* Zijt alle menschelijke ordeningen onderdanig *cet.*, *pluribus sese commendat nominibus. Namque, licet in nonnullis accuratius versari, subtiliusque disputare potuisset auctor, vel sic tamen ad propositam quaestionem ita respondit, ut placide procedat in disputando, grata pertractandi simplicitate et concinnitate sese commendet, sedulo Gregorii Epistolis aliisque fontibus primariis usus sit, omnino laudabilem nobis probaverit industriam in adhibendis documentis historicis. Quapropter laudibus dignam hancce Disputationem censuit Ordo.*

Prae-

Praeplacuit vero quinta *Commentatio, cui tessera:* Wie eine Riesenspinne sass Rome im Mittelpunkt der Lateinischen Welt. Heine; *cujus quidem auctor industria, doctrinae copia et subacto judicio magnopere sese commendavit. Optimos diligenter consuluit fontes, et accurate in hisce adhibendis versatus est. Veruntamen unam fere* auctoritatem paparum, *non item* Hierarchiae Romanae universae *exposuit. Praeterea Hierarchiae* conditionem *adumbrare plane omisit. Quamvis item in* altera *Disputationis parte minus accurate fuerit versatus, quam in* priori; *vel sic tamen praemium forte reportasset, nisi*

sextae *Disputationis auctor, et ceteris et huic item palmam praeripuisset. Lemmate usus est:*

Ja! 't pogen zelfs is groot in 't worstelperk der eer. Helmers.

In prima quidem parte nonnulla desiderantur, verum ita universae Quaestionis ambitum cum perspexit, tum explicuit; singulis Quaestionis partibus ita universe satisfecit, et crisin eorum, quae Gregorius

erga Hierarchiam praestitit, ita pragmatice instituit, ut uno omnium consensu praemium reportaverit.

Aperta schedula, nomen exiit:

Lucae Frederici Verenet,
Theol. Cand. in Acad. Rheno-Traj.

qui, instituta probatione, in certamine literario victor fuit renunciatus.

Praeterea quintae *et* quartae *Disputationis auctores publice laudandos censuit Ordo. Ad id invitati, nomina sua nobiscum communicarunt, seque Disputationum auctores professi sunt*

quintae:

Jacobus Meyer,
Theol. Cand. in Acad. Groningana.

quartae:

Carolus Franciscus van Setten,
Theol. Stud. in Acad. Rheno-Traj.

Hic *etiam, disquisitione institutá, laudatae disputationis se auctorem probavit.* Meyerus *vero ornatissimus, per rerum sua-*

suarum adjuncta retentus, probationi se non obtulit. (40)

Tu igitur primus huc accedas, ornatissime Luca Frederice Verenet! — Hoc Tu praemium accipias, liberali Tuae atque accuratae doctrinae debitum. Quam feliciter Literarum elegantiorum amor cum severiorum studiorum subtilitate conjungi possit, et per laudatissimam vitam academicam nobis demonstrâsti, et luculento nunc documento omnibus probâsti. Quod, quam Tibi honorificum est, tam nobis laetum accidisse ac jucundum, me tacente, Tu novisti! Ita autem Tibi Deus adsit precamur, ut ex praeclaris, quas Tibi concessit, dotibus plurimum emolumenti in Christi Societatem quam diutissime redundet! (41)

Tu etiam huc adesto, praestantissime Carole Francisce van Setten! — Ita Tu honorificum accipias laudis testimonium, ut a Commilitone Te victum esse, aetate et cursu studiorum provectiore, eoque *Verenetio*, nequaquam doleas. Laeteris potius velim, quod, tribus aliis praelatus aemulis,

Victor Tu etiam jure dici possis, ac sis revera. Ita vero laeteris oportet et laetaberis, auguror, ut, quodcunque honoris vel gaudii nunc Tibi obtigerit, aut olim obtingat, Deo id acceptum referas, atque in Ipsius honorem hominumque salutem conferas!

Judicium ordinis Jctorum.

Ad quaestionem: Quum in doctrinam Juris Hodierni de conventionibus maximam vim habuerit Jus Romanum, et tamen in hac ipsa doctrina insignes sint inter jus utrumque diversitates; quaerit Ordo, ut investigetur, quaenam, tum quoad principia, tum quoad generaliores conventionum effectus, inter Jus Romanum et Hodiernum sive convenientia sit sive discrepantia; *una modo perlata est ad Facultatem commentatio, inscripta:*

Expedit omnes gentes Romanis legibus operam dare, suis vivere.

Quamquam igitur plures commentationes inter se conferri haud potuerunt, non dubitavit tamen Facultas, praemium regium adsignare oblatae sibi commentationis auctori. Concinna enim et apta par-

partium dispositione, conjuncta cum argumenti tractatione, pro juvenili aetate, satis bona, se Facultati commendavit commentatio.

Apertis autem literis, huic commentationi adjunctis, scriptor apparuit

Janus Jacobus Hinlópen,
in Academia Rheno-Traj. Jur. Utr. Cand.

Qui cum coram Facultate omne suum scribendi consilium accurate exposuisset et declarasset, atque argumenta, ipsi objecta, refellisset, uno et pari omnium consensu, verus commentationis auctor habitus et renuntiatus est.

Escendas igitur Tu, ornatissime Jane Jacobe Hinlópen! — Hocce Tibi tradito praemio, quam feliciter, in Juris Romani atque Hodierni loco gravissimo comparando, versatus sis, palam declaratur. Itaque nominis, in Historiâ Patriae sacrâ et civili et literatâ, clari, nominis, inquam, Hinlópeniani dignum Te haeredem praestitisti. Tu, quo coepisti modo, progredieris. Quo facto, Tuos per conatus, Patri Tuo, Viro amplis-

plissimo, gaudium, genti Tuae novum decus, *Justitiae* vero inprimis caussae sanctissimae praesidium paretur opto!

Judicium Ordinis Philosophici et Literarii.

Quatuor tulit responsa quaestio historica:

de Guilielmi I., Principis Arausiaci, prudentiâ, in republicâ perturbatâ;

quorum, ut nullum Literarum Ordini displicuit prorsus, ita haud fuit, quod ab orationis bonitate et elegantiâ commendaretur magnopere.

Quae symbolo distincta est disputatio: Breng bloemen *caet., aptâ se commendat argumenti in suas partes distributione et lucido, quo procedit, ordine; sed neque rerum scientiâ, neque historiae explicandae ratione sic praestat, ut digna censeri praemio potuerit.*

Uberiorem doctrinam probavit commentationis auctor, cui verba adscripta: una morientis vox *caet., sed defuit ei diligentia disputandi, qua singula apte suoque loco explicaret, et vero sic defuit, ut his-*

historiam magis saeculi XVI. quam disquisitionem de Guilielmi I. *in republicá perturbatá prudentiá scriberet, quod eo magis dolendum, quo crebrius per totam hanc commentationem haud vulgaris eruditionis documenta occurrunt.*

Excellere utrique huic specimini visum est, cui sententia praemissa: Saevis tranquillus in undis, *quo sic probavit auctor cum diligentiam in rebus exquirendis, tum judicium in iis aestimandis et censendis, ut, si non praestantius etiam accessisset specimen, haud indignum praemio judicatum fuisset. Itaque tributus auctori hic honor est, ut documentum ipsi publice traderetur, quod Facultatis de ejus scriptione judicium contineret.*

Ut autem hae commentationes suis singulae laudibus aestimatae sunt, sic quarto responso, cui adscriptum: Parenti Patriae *praemium dari placuit. Unum hoc enim caetera longe superare visum est iis dotibus ac virtutibus, quibus commendari maxime generosorum juvenum scriptiones debent, id est, rerum cognitione, judicio, disserendi facultate.*

Cae-

Caeterum hujus dissertationis auctorem se probavit

Tjallingius Petrus Tresling,
Litt. Hum. et Jur. Utr. Cand. in Academiâ Groningana,

Tertiae vero

Petrus van der Velden,
Litt. Hum. Stud. in hac Academiâ.

Nunc igitur Tu mihi ornandus es, praestantissime Tjallingi Petre Tresling! — Quam eximiam laudem commentationi Tuae, quâ *Patriae Parentem* celebrâsti, idonei maxime Judices impertierint, omnes jam intellexerunt. Per huncce, qui Tibi obtigit, honorem Matri Tuae dilectissimae, et vero Tibi gratam aliquam consolationis materiem dedit Deus. Patrem enim luges optimum, meritissimum, cumque Jureconsultum celeberrimum. Hujus vestigia Tu nunc laudabiliter secutus es. Ejusdem exemplum, reliquo etiam vitae tempore, ita Te imitaturum esse confidimus, ut, per Te etiam, nominis Tui ac gentis fama magis magisque inclarescat.

Tu etiam non sine publicâ honoris testifica-

catione dimittendus es, ornatissime **Petre van der Velden!** — Tu primum hunc agis vitae academicae annum. Et nunc jam aureo praemio haud indignum Te Judices censuerunt. Laetus igitur hoc tantae laudis documentum accipias. Sic autem in studiis pergas academicis, ut, cum cursûs Tui ingressus ita ornatus fuerit, ejus et progressum et egressum majora etiam decora habuisse, omnes aliquando intelligant!

Judicium Ordinis Matheseos et Philosophiae Naturalis.

Ad Quaestionem Mathematicam: Exponatur theoria Tangentium ejusque usus, *unam accepit Ordo commentationem, inscriptam verbis Ciceronis:* Trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque gloria ducitur.

In hac commentatione Tangentium theoria petitur ex considerandis curvis per idem punctum transeuntibus, atque per earum aequationem, adhibito imprimis theoremate Tayloriano, investiganda distantia punctorum, quae communi huic puncto vicina sunt. Hac via priore in parte genera-

rales tangentium proprietates pro curvis simplicis et duplicis curvaturae, atque superficiebus eliciuntur. Ex his positis principiis, posteriore in parte, ubi de usu agitur, derivantur theoremata, quae diversas curvarum et superficierum spectant species et formas. Finem, quem sibi proposuit auctor, accurato ordine et legitima ratiocinatione consecutus est, ita ut non dubitaverit Facultas huic responso, quod meruit, praemium tribuere.

Aperta schedula nomen indicavit

Lamberti Doedes, Diderici Filii,
Theol. Stud. in Acad. Rheno-Trajectina,

qui in colloquio, cum ipso instituto, se auctorem hujus dissertationis omnino probavit.

Ad Te nunc honoris vices volvuntur, praestantissime Lamberte Doedes, Diderici fili! — Tu eam accuratae atque ordine progredientis argumentationis laudem tulisti, quâ Mathematici inprimis censentur. Theologico studio mox operam daturus es. Sed idem Tu, spero, eodem tempore, ad arcem il-

illam Mathematicae disciplinae, *Astronomiam*, adspirabis. Quod si fiat, quantâ cum animi voluptate, *coelestem* illam *Harmoniam* et *Musicam* audire Tibi videberis, a Pythagora Tuo celebratam! Quocunque autem Te studiorum ratio ferat, Deo, admirabilis illius concentûs Auctori et Moderatori, vires Tuas consecrabis ac vitam omnem!

Ejusdem Ordinis Matheseos et Philosophiae Naturalis judicium.

Ad Quaestionem Chemicam: Quales aceti varietates ad usum chemicum et oeconomicum adhibentur? Qualia principia peregrina, praeter acidum aceticum, singulae continent? Quomodo ab his depurari possunt et solent? et quaenam tandem est compositio ipsius acidi acetici? *Facultas unam accepit Responsionem, signatam verbis* Parmentierii: On doit donc considérer le vinaigre *etc. Quaestionis singula capita, probatissimos Chemicos secutus, bene exposuit auctor, ita ut in integra hac dissertatiuncula probabilia laboris, ad studia Chemica adhibiti, dederit specimina; proprium judicium ra-*

rarius adjiciens. Praemium huic operi esse tribuendum judicavit Facultas. Auctorem se, examine instituto, probavit

Jacobus Gerardus Rooseboom,
Medicinae in hac Academia Studiosus.

Ultimus igitur, in hoc laudis stadio, Tu nobis es, ornatissime Jacobe Gerarde Rooseboom! — Ultimum Te dixi, *temporis* tantum, quo te alloqui possim, ratione habitâ. Nam si *merita* spectamus, ita non ultimus es, ut privas etiam ac peculiares Tibi laudes vindices. Priore enim hujusce anni academici parte, eâ valetudinis infirmitate languescebas, ut amicorum Tuorum nemo sperare posset, fore ut, hocce potissimum festo die, id honoris in Te conferretur. Sed noveras Tu, tantam *Chemiae* praestantiam esse, ut ardoris velut flammam in cultorum suorum animis excitet, non nimis facile illam, per infelicia rerum adjuncta, exstinguendam. Ita Lavoisierius praeiverat, Vir immortalis; ita nostras quoque Kasteleynius! — Tu vero, in nobilissimis Tuis persequendis studiis, sic pergas velim, ut Patriae prosis et artium disciplinis!

Haec

Haec Juvenum nobilissimorum, qui nunc praemia reportârunt, haec Civium nostrorum omnium laus sit atque honos! Quod ita ratum fiet votum, optimi Commilitones! si id agatis, ut, quod in amplissimo Beaufortio jure laudavimus, in Vestrum quoque singulos conveniat:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει! (42)

Atque, ita animati, praemia petatis, quae nunc denuo suspenduntur. Jam enim novum committitur certamen literatum. Quod cujusmodi sit, ex praelectis intelligetis *quaestionibus*, quas singuli posuerunt Ordines clarissimi.

Quaestio Juridica.

Distinctionis, inter modos tollendae obligationis ipso jure et per modum exceptionis, e jure Romano tradantur origo et varii effectus.

Quaestio Medica.

Exponantur Recentiorum theoriae de pseu-

pseudomembranis, quae aliquando in inflammatione formantur, indicetur, quaenam ex his sit maxime probabilis.

Ordo Medicorum, nullá ad quaestionem, anno superiore propositam, acceptá commentatione, propter argumenti dignitatem, novam Medicinae alumnis vires suas in ejusdem expositione exercendi opportunitatem offert.

Quaestio Literaria.

Sic enarretur militum Praetorianorum, ab Augusto inde ad Septimium Severum, historia, ut demonstretur simul, quam illi vim, hoc temporis spatio, in imperium Romanorum habuerint.

Quaestio Astronomica.

Exponantur atque inter se comparentur diversae methodi, quibus locorum longitudo in mari definiri possit, eum in finem, ut pateat, quaenam sit plurimum navigatoribus commendanda, atque quam accurata sit hujus longitudinis cognitio, ad quam, his ducibus, perveniatur.

Quae-

QUAESTIO ZOÖLOGICA.

Exponantur succincte et dijudicentur recentiorum, inde a Blumenbachio, *naturae scrutatorum sententiae de generis humani varietate nativa.*

QUAESTIO THEOLOGICA.

Septem illae voces, quas de cruce pendens edidit Christus, ita tractentur, ut singularum et vera sententia accurate definiatur, et minus probabiles interpretationes, a recentioribus inprimis commendatae, refutentur; item, quomodo singulae sanctum magnumque Christi animum prodant, demonstretur.

Extremus restat actus mei magistratûs; quo cum maxime me abdico. Regio enim decreto, in proximum annum, Successor mihi datus est CORNELIUS ADRIANUS VAN ENSCHUT, celeberrimus Juris Antecessor. Quem igitur Academiae Rectorem di-

dico, renuntio, proclamo! — Salve Tu, Vir magnifice! Te Rectore, ita Academiae Rheno-Trajectinae annus agatur centesimus nonagesimus et quintus, ut nullus unquam illi annus fuisse censeatur, aut ad prosperitatem felicior, aut ad gloriam honorificentior, aut ad commoda fructuosior! Tibi vero, O Deus immortalis! qui, hocce denuo anno, tot in nos omnes beneficia contuleris, qui nunc etiam, tam benigno auxilio, infirmo mihi adfueris atque indigno; Tibi gratiae agantur habeanturque sempiternae! Tu et patrias tuearis Academias precamur et Regem optimum et Patriam universam!

AN-

ANNOTATA AD ORATIONEM,

scripta mense Julio, a. 1832.

Per publicas Patriae et privatas meas res factum est, ut serius, quam speraveram, typis describeretur haec oratio. Quod in bonam partem accipiant aequi Lectores, rogo. Nunc brevem subjicere annotationem juvat; quae tamen non ad omnia illa loca referetur, ad quae haud incommode referri posset. Quam rationem si sequar, ubi tandem, in late patente orationis argumento historico, annotandi finem inveniam? Et vero pleraque dicta harum rerum haud prorsus ignaris satis per se clara erunt. Itaque ad ea tantum loca verbulum dicam, ubi major aliqua sive necessitas, seu utilitas id requirere videbitur.

(*Ad priorem orationis partem.*)

Pag. 5. (1) Si cui forte hîc displiceat hujus vocis, item vocabuli, quod mox sequetur, *liberalitas*, usus, conf. quae ad eum vindicandum erudite monuit cel. J. Clarisse, in *annot.* ad *orationes duas, alteram de Theologo vere liberali, alteram de injusto theol. studii contemtu*, (L. B. 1815) p. 57.

Pag. 5.

Pag. 5. (2) Decreti regii, editi *d.* 2. *m. Augusti a.* 1815, quo res nostrae academicae reguntur, innuebam prae caeteris §. 62.

Pag. 6. (3) Quod haec doctrinae denominatio vulgari nostratium usu reciperetur, nisi fallor, factum inprimis est per auctoritatem Christiani Wolf, qui, cum Philosophiae partes, ex Leibnitii ratione, in disciplinae formam redigeret, *Theologiae Naturali* (ita enim Philosophiam de rebus Divinis dicebat) peculiarem locum dedit, eamque de industriâ tractavit in opere, cujus, denuo editi, P. I. a. 1739, P. II. a. 1741, Lips. et Francof. prodiit. — In celebrioribus Germaniae Philosophis ultimus, quantum novi, qui antiquum disciplinae nomen retineret, fuit K. H. Heydenreich; cujus opus, multa, ad Kantii his de rebus Philosophiam illustrandam, valde utilia continens, quod inscribitur: *Betrachtungen über die Philosophie der Natürliche Religion*, Lipsiae editum est, a. 1804, duabus partibus divisum. Ibi enim, in capitum inscriptione et alibi, saepe memoratur: *die Natürliche Theologie.* Postea, apud Germanos quidem, magis magisque in desuetudinem abiit disciplinae nomen, quod, ex disjunctione, ut videtur, *Theologiae Revelatae* ortum, iis, qui hujus nullam magnopere rationem haberent, valde placere non poterat. Atque horum exemplum alios etiam, ut denominationis vadimonium desererent, induxisse videtur. Ita hîc quoque,

que, quod in multis aliis usu venit, sententiarum conversio ad usum loquendi commutandum vim habuit.

Pag. 9. (4) Vid. Diogen. Laërt. L. X. §. 4, collato Tennemanno: *Gesch. der Philos.* T. III. p. 348. Non ignoro, alias etiam caussas fuisse, quae a religione averterent Epicuri animum. Etenim, in pueritiâ jam, ita *Democritum* admiratus erat, ut, docente Cotta ap. Cic. *de N. D.* I. 26, etsi quaedam commutans, pleraque tamen diceret eadem. Item ex *Aristippo*, scholae Cyrenaïcae auctore, quaedam eum hausisse, utriusque de summo bono placitorum similitudo valde probabile reddit. *Democriti* autem et *Aristippi* disciplinae, etsi in plerisque longe a se invicem recedentes, ita tamen conveniebant, ut religioni utraque inimica esset. Nec mirum igitur, Epicurum, utriusque doctrinis innutritum, in fidem, Numini Divino habendam, iniquiorem fuisse; cum praesertim levior ipsius indoles accederet. Vel sic tamen, ad *psychologicam* doctrinae, quam professus est, explicationem, magnam omnino vim habere videtur citatum Diogenis Laërtii testimonium.

Ibidem. (5) Admodum memorabilem Diagorae historiam, in quâ tamen narrandâ dissentiunt veteres, ex horum scriptis retulit Barthelemy, *Peregrin. Anarchars.* T. VIII. p. 200 sqq. (ex

ed. *Stuartii* Batavâ). Sed dignus imprimis est, qui et de hoc consulatur, et de caeteris, qui primâ Philosophiae Graecae periodo fuerunt, Atheis, Imman. Berger: *Geschichte der Religionsphilosophie*, (Berol. 1800) p. 166 sqq. ubi citatur, nec probatur tamen Thienemannus, qui, in Fullebornii *Symbolis in Hist. Philos.* P. XI. p. 15 sqq. Diagoram Atheismi notâ liberare conatus erat. Quod reliquum est, impiae hujus sententiae non inexspectatae nobis accident, si Praeceptorem ei fuisse meminerimus *Democritum*, modo a nobis memoratum, in cujus animo cum *Materialismo* nulla non superstitio conjuncta reperiebatur.

Pag. 10. (6) De *Encyclopaedicis* illis *Philosophis* lectu digna vidd. in opere longe praestantissimo rev. Broes: *De Kerk en de Staat in wederzijdsche betrekking, volgens de geschiedenis*, T. III. p. 180 sqq.

Ibidem (7) V. Bergerus, l. c. p. 399. Cff. quos citavit B. Nieuhoff, Praeceptor meus, cujus semper sancte colam memoriam, in opere: *Over Spinozisme*, p. 261, *annot.* 20 et p. 263, *annot.* 31.

Pag. 12. (8) Haud minus commode h. l. *μετεμψυχώσεως* doctrinam commemorare potuissem, qualem cum

cum Pythagoras, tum Plato informârunt. *Hic* enim *illius* hâc de re placita non dubiâ expressit imitatione; sed eadem ita poëtico suo excoluit ingenio, atque ita ad sua de mentium naturâ decreta conformavit, ut parum absit, quin diversa videantur.

Pag. 12. (9) Cari dictum laudavit F. C. Weise: *Philosophische Religionslehre*, (ex edit. a. 1825, Luneb.) p. 75.

Pag. 14. (10) Non ignoro, affirmâsse Bouterwecium, in praefat. libri: *Die Religion der Vernunft*, p. IV, suam de rebus divinis doctrinam *Jacobianae* potius *sororem*, quam *filiam* dicendam esse. Verumtamen et quae ibidem ab ipso subjiciuntur, et vero universa libri citati ratio tantam utriusque similitudinem esse docent, quâ satis defendantur, quae de laudatissimorum Duumvirorum relatione dixi. Cf. Krugii: *Allg. Wörterbuch der philosophischen Wissenschaften*, II. 331, i. v. Bouterwek.

Pag. 15. (11) Berkeleji doctrina eo potissimum nomine Historici attentione digna est, quod, cum plerique audaciores *Idealistae* religioni non valde faverent, hic contra, per placita sua, plane idealistica, optime et evidentissime illius se tueri posse caussam putabat. De ejus doctrinâ, ne notissimos *Hist Phil.* auctores excitem, accurate egit J. G.

Roo-

Roozeboom, in *Spec. philos. inaug. de Idealismo*, (Hardervic. 1808) p. 81 sqq., ubi plures alii citantur.

Pag 16. (12) De Bardilio legisse sufficiet E. Reinhold: *Handbuch der allg. Geschichte der Philosophie*, T. II. P. 2. p. 165 sqq.; cujus pater K. L. Reinhold placitorum Bardilianorum studiosissimus aliquamdiu Hypopheta fuerat. Quo lubentius illum prae caeteris laudavi; in quem nimirum nulla iniquitatis in Bardilium suspicio conveniat. Hic autem quam acer fuerit rationis Kantianae adversarius, satis ex ipsâ elucescit inscriptione libri, quem, non nimis modeste, dixit: *Grundrisz der ersten Logik, gereinigt von den Irrthümern der bisheriger Logiken überhaupt, der Kantischen insbesondere; keine Kritik, sondern eine* Medicina mentis *&c. Stuttg.* 1800.

Pag. 18. (13) Ex propugnato subinde, in Indorum libris sacris, diversissimorum placitorum feracibus, *Pantheismo* laudes repetendas esse, quas iis impertierunt Schellingiani nonnulli, docet K. W. Stein: *Die Apologetik des Christenth. als Wissenschaft dargestellt*, p. 119. — Caeterum, ubi de reviviscentibus identidem antiquiorum placitis dicebam, nisi brevitatis me studium retinuisset, magnam etiam similitudinem commemorâssem, quae inter objectiones intercedit, quibus doctrinam de mundo a

Deo

Deo creato enervare conati sunt cum Epicurus, tum Fichtius.

Pag. 18. (14) Viri clarissimi innuebam cum orationem, *de nostra cognitione animi comparata cum cognitione rerum corporearum*; (in *Annalibus Acad. Rheno-Trajectinae*, a. 1823—1824) tum commentationem: *Over den aard der Zielkunde en de werking der terugroepende Verbeeldingskracht;* quae praemissa est Schulzii operi psychologico, quod, in nostram linguam a doct. et ven. Riehm conversum, dicitur: *Menschkunde, met betrekking tot de ziel;* Bomel. 1829.

Pag. 19. (15) De Anaxagora, praeter vulgo notos scriptores, dignae sunt, quae consulantur, doctissimae binae commentationes ampl. Hieronymi de Vries, quae in opere inveniuntur, a cl. ten Brink edito: *Bibliotheek van oude Letterkunde*, T. I. p. 351 sqq. et p. 475 sqq. — Quod autem dixi, *Anaxagoram primum fuisse, qui — clare videret ac subtiliter demonstraret;* nemo jure mihi Thaletem objiciet, qui, si Vellejo Epicureo, ap. Cic. *de N. D.* I. 10, fides sit habenda, *aquam dixit esse initium rerum, Deum autem eam mentem, quae ex aquâ cuncta fingeret.* Nam hoc suum testimonium vehementer infirmavit ipse Vellejus, cum mox (ibid. Cap. 11) subjiceret, Anaxagoram, *primum omnium, rerum descrip-*

tio-

tionem et modum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluisse. Et vero diserte affirmat Aristoteles, *Metaph.* L. I. C. 3, non aliam rerum caussam, nisi quae materiâ constaret, a primis quaesitam esse Physicis; cum posteriores demum, ad rerum naturalium originem declarandam, efficientem quoque caussam requiri viderint. Quid, quod ipse Cicero, *Acadd. Quaestt.* L. IV. C. 37, nullâ caussae efficientis notitiâ Thaleti tributâ, simpliciter dixerit, *ipso auctore, ex aquâ constare omnia!* Videtur quidem hicce Philosophus, qui, ex diserto testimonio Aristotelis, *de Animâ*, L. I. C. 5, omnia Deorum plena statueret, in aquâ potissimum Divinam vim quandam insitam putâsse; verum hinc non sequitur, cognitam ipsi fuisse mundi caussam efficientem, a materiâ corporeâ diversam. Ita quoque Tennemannus, l. c. T. I. p. 60 sqq. et Meinersius, in *Hist. doctr. de vero Deo*, P. II. p. 253 sqq. Quae autem dicta de rebus Divinis Thaleti tribuit Diogenes Laërtius, L. I. C. 35, haec spuriae auctoritatis esse, existimârunt idonei hujus rei judices. — Nec est, quod de Hermotimo dicam, quem, ante Anaxagoram, puriorem de Deo doctrinam commendâsse putant nonnulli. Quae enim de eo narrantur, haec adeo sunt incerta, ut Carus, qui in Fulleborni *Symbolis*, P. IX. p. 58 sqq. veterum de hoc Viro testimonia accurate retulit, jure commentationem suam inscribere pos-

posset: *Ueber die Sagen von Hermotimus aus Klazomene.*

Pag. 21. (16) Haud defuerunt, qui ex Anaxagorae, quem modo laudavi, disciplinâ *homoöemerias* libentius amplecterentur, quam doctrinam de *Deo Mente.* In quibus, ne de aliis dicam, Empedocles fuisse videtur. — Platonis sublimia placita in absurdissimas quasque nugas converterunt Neoplatonici. — Alii Cartesii doctrinâ in audaciorem *Idealismum*; alii, Lockii decretis in *Materialismum* deflectendis, sanctae religionis caussae nocuerunt. — Ne de Kantianis dicam, *practicam fidem*, quam Deo habendam commendaverat pius Magister, in *Scepticismum* commutantibus.

Ibidem. (17) Vid. Seneca, *Quaestt. Nat.* L. II. C. 45, coll. loco *de Beneficiis*, L. IV. C. 7. 8.

Ibidem. (18) De Kantio, anteaquam Philosophiam *criticam* profiteretur, Dei exsistentiam *a priori* demonstrare conato, vid. Hennert: *Lessen over de eerste beginselen der Wijsbegeerte*, T. III. p. 281 sqq. — Hujus autem rationis vestigia quaedam aut reliquias deprehendisse mihi videor, in Kantii libro posthumo: *Vorlesungen ueber die philosophische Religionslehre*, (primum a. 1817, nuper, a. 1830, denuo a cl. Pölitzio, edito) p. 73.; ubi ex notione *entis realissimi* Dei unitatem demonstrare

re conatur. — Ut primum autem vulgo cognosci coepta est Philosophia Kantii critica, ab argumentis *a priori* pro Dei exsistentia studiose quaerendis ac dijudicandis destiterunt plerique. Nunc nimirum aliud agendum inveniebant; cum a Kantianis objectionibus ea ipsa sibi tuenda esse viderent argumenta, quae quondam jure certissima habita essent.

Pag. 22. (19) Videantur Jordani Bruni dicta, quae congessit E. Reinhold, l. c. T. II. P. 1. p. 88 sqq. — Eam subinde rationem habet illius doctrina, ut dubius fere haereas, utrum eam *Eleatismum post Eleaticos* dicere oporteat, an potius *Schellingianismum ante Schellingium.*

Ibidem. (20) Vidd. quos citavit B. Nieuhoff l. c. p. 271 *annot.* 60, et quae ipse dixit, p. 285 sqq. Verum inprimis consulendus est Krugius l. c. T. III. p. 750 i. v. Spinoza.

Pag. 24 (21.) Petrus Ramus a. 1572, Parisiis, in nefastâ istâ *S. Bartholomaei* nocte, interfectus est. Jordanus Brunus, a. 1600, Romae in rogo combustus est. Thomas Campanella ibidem, multos per annos, carcere detentus est. Quis non paullo humanior, etiamsi horum Virorum placita improbet, eorum tamen sortem doleat?

Pag.

Pag. 25. (22) Vid. Tertullianus, *de Animâ*, Cap. 3. 7. 23, *de praescript. Haer.* Cap. 7. alibi. Idem vero, *adv. Marc.* L. I. C. 3—5 aliisque locis, *philosophis* argumentis usus, refutare conatur Dualistas.

Pag. 27. (23) Sapientissima sunt Wolfii, de usu loquendi in Philosophia de Deo non temere mutando, monita, quae retulit G. S. Francke: *Grundrisz der Vernunfttheologie*, p. 129 sqq.

Pag. 28. (24) Aristotelis dictum, quod in compendium redactum excitavi, Cicero conservavit *de N. D.* L. II. Cap. 37, ad q. l. recte Davisius: „*Inanis*," inquit, „ *est eorum suspi-* „ *cio*, *qui Philosophum illum similia non tradidisse* „ *confirmant.*" Docet autem ipsa illa suspicio, in dicto cum aliis Stagiritae placitis conciliando haesisse interpretes. Nimirum, quod *physica* et *empyrica* non semper a *metaphysicis* et *transscendentalibus* distinguebat Aristoteles, factum est, ut ipsius de Philosophiâ theoreticâ doctrina dissonantibus valde partibus contineretur. Quod recte monuit cl. Krug: *Geschichte der Philosophie alter Zeit, vornehmlich unter Griechen u. Römern*, (ed. alterius) p. 254.

Ibidem. (25) Vidd. Erigenae dicta, quae contulit Reinholdius, l. c. T. II. P. I. p. 18 sqq.

Prae-

Praeclara illius, quam in oratione commemoravi, sententia non optime concinit cum universâ Viri doctrinâ, qui: (in opere *de Divis. Nat.* L. I. initio) „ *Videtur mihi*," inquit, „ *divisio naturae* „ *per quatuor differentias quatuor species recipere;* „ *quarum prima est, quae creat et non creatur;* „ *secunda in eam, quae creatur et creat; tertia in* „ *eam, quae creatur et non creat; quarta, quae* „ *nec creat, nec creatur.*" Sed clarius, cujusmodi sit ipsius de Deo doctrina, intelligemus, ad hoc attendentes ejus dictum: (ejusd. op. eodem Libro) „ *Cum audimus*, ait, *Deum omnia facere,* „ *nil aliud debemus intelligere, quam Deum in* „ *omnibus esse, hoc est, essentiam omnium subsis-* „ *tere. Ipse enim solus per se vere est, et omne,* „ *quod vere in his, quae sunt, dicitur esse, ipse* „ *solus est.*" Quis eum, ex cujus ingenio haec profecta sunt placita, ea dicturum esse exspectaverit, quae supra eum profitentem audivimus? Sed nimirum, in Viris quidem bonis, subinde efficacior est naturae vox, quae Deum, a mundo diversum, requirit, quam doctrinae (*systematis*, ut vulgo ajunt) ratio. — Caet. jure dixit W. L. G. Baro ab Eberstein: *Natürliche Theologie der Scholastiker*, pag. 9, quod Erigenae placita a Pontifice Maximo repudiarentur, nec a posteris probarentur, hoc religionis caussae profuisse potius, quam nocuisse. Huic enim caussae quid perniciosius, quam *Pantheismus?*

Pag.

Pag 29. (26) Kantii dictum, quod citavimus, invenitur in ejus libro: *Vorlesungen über die Metaphysik*, p. 287; ex quo paullo plenius id retulit A. C. Kretzschmar: *Neue Darstellung der philosophischen Religionslehre*, (Lips. a. 1823) p. 116. Alia Philosophi Regiomontani dicta, ubi physico aut teleologico pro Dei vitâ probandâ argumento laudis testimonium impertit, videantur: *Critik der Urtheilskraft*, T. II. p. 421; *Critik der reinen Vernunft*, p. 651 et alibi. Cff. cel. Clarisse, in Praef. libri Palejani: *Natuurlijke Godgeleerdheid*, p. 37 sqq. G. F. Seiler, *over de Goddelijke Openbaringen*, (ex ejusdem Clarissii ed.) T. I. p. 48 sq. W. Müller: *Critik des physicotheologischen Beweises* caet. in J. F. Röhrii: *Magazin fur Christl. Prediger*, T. IV. P. I. p. 18 sq. Quam honorificum judicium de eodem argumento tulerint Kantii discipuli nonnulli, elucescit, non tantum ex eorum dictis, quae citârunt Clarissius, l. c. p. 41. et Seilerus, l. c. p. 38 sq.; sed inprimis etiam ex iis, quae habet C. W. Snell: *Versuch einer populären philosophischen Religionslehre*, (Giesae, 1807.) p. 16 sqq. — Quod ad ipsum Kantium attinet; universe in libro posthumo, supra citato: *Vorles. über die phil. Religionsl.* de theoreticis pro Dei exsistentiâ argumentis, mitius ac benignius, quam passim aliis in scriptis, judicium tulit.

Pag.

Pag. 29. (27) Qui attente legerit, quae dixit Jacobius: *Von den Göttlichen Dingen und ihrer Offenbahrung*, (ed. alterius, a. 1822.) p. 168—183, non dubitabit, quin vere eam, quam dixi, sententiam Viro praestantissimo tribuerim. — Rectissime de eo Weisius, l. c. p. 82: „ *Der edelste Verklärte*, inquit, *nunmehr in hellerm Lichte* „ *schauende* Jacobi, *kämpfte mit Kraft und* „ *Wahrheit gegen den sich gewaltsam von Gott los-* „ *reissenden unächten Naturalismus der Identitäts-* „ *philosophie, und räumte ihm gewiss noch zu viel* „ *ein, wenn er denselben als speculative Lehre neben* „ *dem Theismus unsträflich dastehen lässt.*" Desperabat nimirum Vir, pietate et ingenio laudatissimus, sed nimium modestus ille, de Fichtio et Schellingio, per argumentationem, in Philosophiae theoreticae veluti acie, vincendis. Quapropter, in alium tanquam campum certamine declinato, gravissimis quibusque religionis decretis in interno quodam, eoque altiore, Divinitus nostris animis indito, *sensu* (quem *patefactionem* etiam dicebat) praesidium parare conabatur. Vel sic tamen ita, ut in oratione diximus, subinde argumentatus est.

Pag. 31. (28) Nonnullis fortasse nostri temporis laudatoribus displicebunt haec Historiae monita. Qui, si minus recte me Magistrae illius praecepta interpretatum esse putent, Boutervecium audiant,

diant, Philosophum et Literatorem sane praestantissimum, nunc et ipsum rebus jam humanis ereptum. Ita igitur Vir gravissimus: (libri laud. praef. p. V.) „ *Wie bei den Juden, als ihr Reich noch* „ *bestand, neben dem Jehovadienste die ägyptische* „ *und phönizische Abgötterei sich erhielt, so hat* „ *sich im Gebiete der Religionsphilosophie bei den* „ *Deutschen der in der neuen Schule des Absolutis-* „ *mus erzeugte All-Eins-Gott neben den Gott ge-* „ *stellt, den Plato, Leibnitz und Kant den* „ *wahren nannten, und der auch in der ganzen* „ *Christenheit bis auf die neuesten Zeiten so hiesz,* „ *wo nicht etwa hier und da ein mystischer Schwär-* „ *mer, wie Jakob Böhme, zum Pantheismus sich* „ *neigte. Mitzuwirken dasz die Altäre dieses Ab-* „ *gottes einer eccentrischen Speulation durch den* „ *gesunden Verstand wieder zerstört werden, ist* „ *die — Bestimmung dieser Abhandlungen.*"

Pag. 35. (28*) Leg. egregia cl. van Lennep commentatio, quâ de *Philosophiâ Graecâ, Doctrinam Christianam praeparante*, agitur, quam edidit cl. van Kampen, in Horreo: *Magazijn voor Wetenschappen, Kunsten en Letteren*, Tomo altero.

Pag. 36. (29) Nescio, an de Scholasticis paullo iniquius tulerit judicium cl. G. E. Schulze in libro, multa bonae frugis continente: *Encyclopädie*

der

der philosophischen Wissenschaften, (Gott. a. 1824.) pag. 269; ubi haec dicentem eum audimus: „ *Die* „ *Absicht*, inquit, *der scholastische Philosophie war* „ *blosz darauf gerichtet, die für wahr und unfehlbar* „ *gehaltenen Lehren der Kirche durch Beweise aus* „ *natürliche Erkentnissen unumstöszlich zu machen* „ *und gegen alle Bestreitung durch die Ketzer sicher* „ *zu stellen.*" Hoc non sine exceptione accipiendum esse, satis docet, ne alia excitem, exemplum Thomae Aquinatis. Hic enim quam ingeniose *Hierarchiae* vinculis se liberare conaretur, prudenter tamen dissimulatâ hâc luctâ, demonstrat ea, quam edidit, *Summa Theologiae;* cujus prioribus duabus partibus, dum fidei doctrinam illustrare ac Patrum auctoritate confirmare videri vult, revera tamen de rebus Divinis philosophatur. — Aequius et verius universe de Scholasticorum Theologiâ judicâsse mihi videtur Ebersteinius, l. c. p. 1—38.

Pag. 37. (30) Cf. Bergerus, l. c. p. 310 sqq. — Haec de Spinoza dicta in memoriam mihi revocant Petrum Bayle, acerrimum quidem illius adversarium, sed cujus scripta fidei, Providentiae Divinae habitae, non minus grave periculum intentârunt. Cum enim *ille* cum fatali, quam propugnabat, rerum mundanarum necessitate nulla libera Dei consilia ac proposita consistere posse contendisset; *hujus*, ex malo physico ac morali ductae, objectiones Divinorum consiliorum sapientiam

tiam ac benignitatem refutare conabantur. Sed per praesentissimam Dei Providentiam, factum est, ut hae ipsae Baylii interrogationes praestantissimum illud Leibnitii opus parerent, quod *Theodicaeâ* continetur. Haec enim fidem, Deo, mundi Gubernatori optimo ac sapientissimo, habitam, in innumerabilium hominum animis confirmavit; ut paucissimi sint libri, qui de religionis causſâ tam praeclare meruerint, quam hoc Leibnitiani ingenii monumentum. De illâ editi operis opportunitate vid. ipsius Leibnitii epistola ad Hanschium, quae et alibi edita est, et in *Theodicaeae* ed. Batavâ (Traj. ad Rh. a. 1772.) T. I p. 1 sqq. ad q. l. cff. quae dixit J. Petschius. Consulatur etiam Fontenellius, in Leibnitii laudatione, ibidem p. 73 sq.

Pag. 38. (31) De hoc argumento digna est, ut legatur venerandi G. Molenkamp *Commentatio, quâ probatur, doctrinam Christianam — Theologiae, quae dicitur, Naturali valde profuisse, et vero de genere humano, hoc quoque nomine, optime meruisse*; quae invenitur in *Annall. Academiae Rheno-Trajectinae, a.* 1828—1829; ubi plures alii, huc pertinentes, scriptores laudantur.

Pag. 39. (32) „ *Licet materiae aeternitatem* „ *respuat etiam recta ratio, et creationem ex ni-* „ *hilo probet; tamen nondum, credo, inventus est* „ *locus aliquis aut testimonium, quo hoc ipsum vi-*

„ *disse aliquem veterum philosophorum*, *possit os-* „ *tendi.*" Ita J. M. Gesnerus, in *primis lineis Isagoges in erud. univ.* (ex ed. Niclasii) T. II. p. 302 sqq. In hoc Gesneri dictum commentarii instar est ea, quae nunc quoque, ut classica, consulenda est, disputatio Moshemii, *quâ solvitur haec quaestio*, *num Philosophorum*, *a verâ religione aversorum*, *aliquis mundum a Deo ex nihilo creatum esse docuerit;* quae invenitur in Cudworthi *System. Intell.* (ed. f. 4tâ) p. 287 sqq. De eâdem quaestione vidd. etiam Reimarus: *Over de voorn. waarheden van den natuurl. Godsd.* (ex ed. Lulofsii Batavâ) p. 149; Wijnperssius, *Instit. Metaph.* §. 1023; Clarissius ad Palejum, l. c. *annotatt.* p. 1. sq. Lotzius: in *Monogramm. Theol. Theoret.* p. 91 sq. Egregia etiam habet Kantius: *Vorlesungen über die phil. Religionslehre*, p. 163 sqq. — Quod negavi, ullos ante Christum Philosophos, semper ac constanter et sine haesitatione, Naturae Divinae unitatem docuisse; nemo me temere, aut ex praejudicatâ quâpiam opinione, dixisse putet. Enimvero ita in Veterum de loco gravissimo placita inquisivi, ut ubique optima quaeque et purissima diligenter animadvertere et cognoscere conarer. Quantopere autem Anaxagoram, Socratem, Platonem admirer, quos Dei unitas non fugisse videtur; supra a me monita satis, ni fallor, demonstrârunt. Nec laudo Tennemannum, qui l. c. T. I. p. 161, aut ini-

iniquius, aut non satis accurate: „ *Pantheismus*," inquit, „ *finden wir in allen griechischen Syste-* „ *men, einige ausgenommen, nur mit dem Unter-* „ *schiede dasz in einigen die Materie Gott, in* „ *andern Gott der Materie an die Seite gesetzt* „ *und untergeordnet ist.*" Quamquam huic assentire videtur cl. G. B. Jäsche: *der Pantheismus*, T. I. p. 1. — Me autem, quod, Historiâ Duce, comperi ac didici, id non dissimulare, sed candide profiteri veri amor jussit.

Pag. 41. (33) V. Francke, l. c. p. 6 sq. ubi alia quoque lectu digna inveniuntur.

(*Annotata ad alteram orationis partem.*)

Pag. 44. (34) Vid. libellus elegantissimus: *Herinneringen aan Willem Hendrik de Beaufort, door Ph. W. van Heusde.* (Traj. ad Rhen. 1830.) — Fato functus est ampl. Beaufortius, d. 21 m. Aprilis a. 1829, aetatis annum agens quartum et quinquagesimum.

Pag. 48. (35) Eorum, quae hîc dixi, nonnulla hausi ex ipsius Heyligersii oratione, *de vero Chirurgo*, (quae invenitur in *Ann. Academiae Rheno-Traj.* a. 1819—1820.) p. 42 sqq. Alia quaedam petii ex cl. Heringae E. F. *annotatione* ad

orationem: *De Auditorio Acad. Rheno-Traj., variam olim fortunam experto, nunc praesenti ejus conditioni adaptato;* (in iisdem *Annall.* a. 1824—1825.) ubi cum passim, de hujusce Academiae fatis rebusque, multa scitu dignissima tradita sunt, tum de Heyligersio strictim quaedam dicuntur, p. 160 sq. — Viri vita accurate enarratur in *Calendario Studiosorum Rheno-Trajectt.* anni 1831, p. 103—108. Ejus scriptorum index huic orationi subjunctus est.

Pag. 51. (36) Innuebam Viri cl. orationem: *De animi fortitudine, virtute Medicis propria, maxime illa in epidemiis conspicua.* (In ejusdem *Acad. Annall.* a. 1826—1827.) Cujus eloquentissimae orationis p. 22, jure celebrantur Juvenes, qui, ut Groningae succurrerent, „ *relictis parentibus moes- „ tis atque amicis, arduum iter susceperunt; in „ auxilium evocati, miseris magno fuerunt sola- „ tio; mortem spernentes, multos cives a morte „ liberârunt.* " Quibus in Juvenibus fuisse eum, cujus mortem memoravi, Isacum Nyhoff, Samuelis filium, elucescit ex *annotatis*, ibidem p. 52 sqq. Obiit Vir juvenis, d. 30 m. April. a. 1829, aetatis anno quinto et vicesimo.

Pag. 57. (37) Haec ubi dicta erant, Academiae Cives, quanti Virum clarissimum facerent, ita significârunt, ut nullus cuiquam honorificentior pos-

sit

sit esse solennis conventus, quam hic nostro fuerit Collegae! — Nec spem meam eventus fefellit: apud nos enim manere maluit, quam alteram occupare Cathedram, Vir laudatissimus. Quod quam gratum sibi esset et jucundum, luculentissime demonstrârunt Academiae Curatores et Studiosi, et ipsi etiam amplissimi urbis Magistratus. Vid. *Calendarium Studiosorum Rheno-Traj.* a. 1831, p. 91 sqq. Eandem rem, nobis omnibus laetam, ut voveram equidem, in faustis Academiae fatis numerare potuit numeravitque Rectoris, qui mihi successit, Magnifici oratio.

Pag. 58. (38) Hermannus Gunst, Vir juvenis doctissimus, qui eximiam, quam sibi comparaverat, Matheseos peritiam jam ad alios docendos felicissime conferre inceperat, d. 17 m. Maji a. 1832, sex et viginti annos natus, diem suum obiit. Quo ejus decessu magnam cepisse jacturam disciplinam Mathematicam, Judices idonei censent.

Pag. 59. (39) Horum clarissimi Collegae nostri filiorum alter, isque natu major, Hermannus Florestan Franciscus Suerman, cum ex militiâ voluntariâ, quam, una cum fratre pro Patriâ capessiverat, rediisset, et jam ad studiorum academicorum, admodum laudabiliter actorum, metam accessisset, d. 6 m. Martii a. 1832, annum aetatis agens quintum et vigesimum, moestis ereptus est

Pa-

Parentibus, quorum amor erat; nec his tantum, sed Praeceptoribus etiam atque Amicis cunctis, qui optimum ac praestantissimum Juvenem, dum vivebat, dilexerunt, nunc mortuum lugent omnes.

Pag. 67. (40) Aliter Deo placuit sapientissimo! Etenim Lucas Fredericus Verenet, cui longam vitam apprecabantur omnes boni, per crebro repetitas haemorrhagiae accessiones debilitatus, tandem, d. 2 m. April. a. 1832, tricesimum et tertium agens vitae annum, et multis aliis et mihi *flebilis occidit!* Speraveramus enim fore, ut ex accuratâ ejus doctrinâ theologicâ ac sincerâ in Deum hominesque pietate, quam magna morum elegantia et dicendi facundia ornabat, multum bonae frugis redundaret in Patriae nostrae coetum Wallonicum, cujus ministerio vitam consecrare decreverat. Nec vana futura esse haec vota videbantur. Nostrâ enim in urbe aliquamdiu Pastoris vicarii Wallonici munere functus, non tantum magnâ cultissimorum Auditorum approbatione utebatur, verum etiam, quod ipse longe magis in votis habebat, utilissimum sese iis Christi Ministrum praestabat. Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή! — Ne de carminibus nonnullis dicam, quae in *Calendariis Studd. Rheno-Traj.* inveniuntur, Venetius noster duo edidit opuscula elegantissima, partim oratione ligatâ, partim solutâ, Francogallice scripta; quorum prius dicitur: *Un jour en Suisse, ou tableau de ce pays dans sa partie la plus*

plus pittoresque; suivi d'un parallèle en vers et en prose entre la Hollande et l'Helvétie. (Amst. 1825.) Alterum opusculum inscribitur: *Charles, nouvelle Helvétienne, suivie de poésies diverses.* (Amst. 1828.) Quo in posteriore libello auctius repetiit carmen, quod antea (Rheno-Traj. a. 1826.) seorsim ediderat dixeratque: *l'Hospice de la vallée des Vaudois-Piémontais.* — Verum per Literarum elegantiorum suavitatem minime a persequendis naviter studiis theologicis retentum esse Nostrum, documento est ejus commentatio, quae infra in hoc ipso *Annalium* Tomo legitur. *Sit illi*, sitque omnibus, quorum, eheu! funera memoranda habui, *terra levis, et molliter ossa cubent!* Quos cunctos unâ cogitatione lugubri complexus, mecum: „Utinam," inquam, „et ego et quicunque haec „lecturi sunt, ita fragilitatis quisque suae recordemur, ut sapientiae Christianae fructu augeamur!"

His jam scriptis, opusculum ad me affertur, quod inscribitur: *Tribut de regrets payé par le Consistoire de l'Église Wallonne d'Utrecht à la mémoire de Mr.* L. F. Verenet, *Candidat du Saint-Ministère;* (Amst. 1832.) ubi et ea legitur, quam ultimam habuit Verenetius, oratio sacra, et ipsi parentavit M. A. van der Bank, Vir venerandus, cujus humanitati multum ille debuit.

Pag. 67. (41) Hic juvenis praestantissimus, qui so-

solennibus nostris interesse non potuerat, postea, a Theologorum Ordine legitimâ cum ipso disquisitione institutâ, commentationis, quam obtulerat, auctorem sese probavit, et honorifico laudis testimonio ornatus est.

Pag. 77. (42) Dictum est A e s c h y l i, *in trag. Septem contra Thebas*, vs. 577, ex ed. min. Schutzianâ, sive, ex antiquioribus edd., vs 598. Locum passim imitati sunt veteres. Vidd. E r n e s t. et cl. Praeceptor meus J. t e n B r i n k, ad *Xen. Memorabb.* L. I. C. VII. §. 1.

PHI-

PHILIPPI FRANCISCI HEYLIGERS,

nati d. 15 *m. Martii a.* 1775, *mortui d.* 28 *m. Febr. a.* 1830, haec edita exstant scripta:

1. Commentatio, quae invenitur in opere, quod Francogallice scriptum, dicitur: *Memoires de la Société Médicale d'Emulation*, (Paris 1798.) T. I. p. 120 sqq. Agit haec Heyligersii commentatio de periculo consuendi intestina, quorum continuitas vulnere laesa fuit.
2. *Quaestiones Medicae inaugurales*, Traj. ad Rhen. 1802. f. 4tâ.
3. *Dissertatio physiologico-anatomica de fabricâ intimâ articulationum*, Traj. ad Rhen. 1803. f. 8vâ.
4. *Oratio de vero Chirurgo, dicta d.* 24 *m. Martii a.* 1820, quae invenitur in *Annalibus Acad. Rheno-Traj.* a. 1819—1820.
5. Commentatio quam, vernaculâ linguâ scriptam, dixit: *Bijdrage ter bevestiging van het nut der Tampons, bij vóórkomende Placenta*, quae reperitur in opere menstruo: *Vaderl. Letteroefeningen*, a. 1826, *Miscellaneorum* p. 11 sqq. et p. 64 sqq.

EMEN-

EMENDATIO.

Pag. 14 versu ultimo, pro *incessum* legatur *cursum*.

PETRI JOHANNIS ISAÄCI DE FREMERY

ORATIO,

DE

RATIONE, QUA CHEMIA ARTIBUS ADHIBITA, IN COMMUNE PATRIAE EMOLUMENTUM OPTIME TRADATUR:

HABITA PUBLICE,

DIE XXIV JUNII ANNI MDCCCXXIX:

CUM

EXTRAORDINARIAM CHEMIAE ARTIBUS ADHIBITAE PROFESSIONEM, IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA SOLENNI RITU AUSPICARETUR,

ORATIO.

Academiae Rheno-Trajectinae Curatores, Viri Amplissimi, Gravissimi!

Qui iis ab actis es, Vir Conultissime!

Magnifice Academiae Rector!

Quarumvis Disciplinarum Professores Viri Clarissimi, Collegae Conjunctissimi!

Lectores Peritissimi!

Qui in Regno Belgico, in Regione vel Civitate Trajectina, vel rebus

GERENDIS, VEL JUSTITIAE TUENDAE PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI, SPECTATISSIMI!

CUJUSCUNQUE DOCTRINAE GENERIS DOCTORES! VIRI FACUNDISSIMI, CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES, VIRI MAXIME VENERANDI!

HUJUS ACADEMIAE ALUMNI, JUVENES ORNATISSIMI, SPES PARENTUM ET PATRIAE!

VOS DENIQUE OMNES, QUI HUC CONVENISTIS, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Non illa est temporum nostrorum ſelicitas, ut quibus antea ad tantam pervenit gloriam Patria nostra praesidiis, iisdem nunc denuo pristinam auctoritatem recuperare possit. Debuerunt eam majores nostri cum rerum politicarum conditioni et studio liber-

ta-

tatis, tum vero magnam partem navigationi et mercaturae. Huic favebat inprimis patriae situs, quae undique mari circumdata fluminibusque irrigata, incolis continuo opportunitatem dedit omnes illas tractandi artes, quae res nauticas spectant. Quo factum, ut illis jam temporibus Batavi terrarum orbem circumnavigarent, quum Anglorum naves parce tantum et raro in maribus viderentur; ut longinquas Indiae regiones Hispanis eriperent sibique submitterent; colonias mitterent in omnes partes, et longe lateque per orbem terrarum, cum auctoritate invalescerent, tum una cum fide famam acquirerent.

Multum sane a florenti et felicissima illa patriae conditione differt hodiernus ejus status. Hanc enim in eam habuerunt vim magnarum rerum commutationes, quas Europa per hos quinquaginta annos subiit, ut mercatura identidem imminueretur et uberrimus ille divitiarum et auctoritatis fons exaresceret; imo, horribile dictu! accidit, ut Bataviae nomen inter gentes, si longinquas Japoniae oras excipias, vix celebraretur amplius. Et quamvis

vis faustissimo rerum eventu factum viderimus, ut cum dilectissimo Principe Arausiaco, Patria et nomen et libertatem recuperaverit; cum illis tamen secunda haud rediit fortuna. Cujus rei nostrum non est caussas exquirere; sed, ut politicorum id indagationi relinquimus, ita hoc affirmamus, nunc quidem novas ineundas esse vias, quibus, si non eundem, aliquem tamen nec contemnendum prosperitatis gradum attingamus. His autem viis intelligimus cum agriculturae, tum imprimis *artium technicarum*, quae dicuntur, studia; nec sane dubitandum, quin his studiis, temporum quae vivimus opportunitates magnopere faveant. Scilicet per hoc novissimum quinque lustrorum spatium insigniter auctas esse illas disciplinas, quibus plurimae artes et augmentum, et emendationem, et perfectionem debent, quis nescit? Hinc accidit, ut illis in locis ubi harum disciplinarum fundamentis artes superstructae fuerint, ipsae hae artes emendatae fuerint et perfectae, quin novae anteaque incognitae extiterint; quae cultoribus maximos fructus largiebantur, uti et

An-

Anglorum et Gallo-Francorum exemplum docuisse satis superque omnibus notum arbitror.

Uti igitur cum prolatis disciplinarum finibus, ipsas etiam augeri artes vidimus; ita perspicimus facile quaenam emolumenta hinc etiamnunc Belgae sperare possent, et vero quantopere huic rei prodesse possit, publica earum disciplinarum, arctissimo vinculo cum ipsis artibus junctarum, institutio. Quae postquam mihi jam in hac Academia tradenda mandata est, quum hac hora munus aditurus sim, hoc loco non indignum videbitur si ex ipsa disciplina orationis argumentum petam. Dicam igitur

De ratione, qua chemia artibus adhibita, in commune patriae emolumentum optime tradatur.

Sed quid est A. A., quod ad vos verba facturus conturbor, totumque me et penitus commoveri sentio? Est et loci et auditorum dignitas. Locus nempe est ille, in quo juvenis saepissime Clarissimos Viros diserte dicentes audivi eorumque ab ore haesi; quem celeberrimi in quacunque doctrina viri

ri tenuerunt, quorum non fugax tempus potuit delere memoriam. Sunt auditores praesertim, qui frequentes hîc adsunt. Si enim in illos oculos converto, video viros, in omni doctrinarum genere clarissimos; hos video aetate, munere, meritis gravissimos et spectatissimos; video praeceptores dilectissimos, quibus me omnia debere sentio. — Hunc igitur locum, hos auditores respiciens, quidni vehementer movear, conscius mihi ipse, quantopere in me desideretur et ingenium et doctrinae copia, quam parca sit eruditio. Quo magis A. A. si quid minus accurate et hujus loci dignitati non plane convenienter dixero, in vestra, erga me meamque aetatem indulgentia, totus acquiesco.

In omni tradenda doctrina, inprimis nobis perspiciendum est, quaenam sit ipsius institutionis finis, quinam sint ii quorum commodis inserviat, quaenam sint item et locorum et temporum opportunitates.

Maxima nimirum est inter varios auditores

res differentia, et facile unusquisque dabit, aetate illos et genere et educatione a se invicem quam maxime diversos, eodem modo omnes, doceri non posse. Aliter omnino provectioribus studio et eruditione, aliter indoctioribus, initia doctrinarum explicanda sunt; et tamen omnes ita instituantur oportet, ut rem rite perspiciant et maximos ex illa capiant fructus. Uti autem in omni doctrinarum genere requiritur auditorum facultatibus accommodata institutio, ita hanc maxime postulant scholae, quae vocantur technicae; quarum quippe alumni longe ab Academica juventute diversi sunt. Hi plurimarum doctrinarum disciplinarumque principiis jam imbuti, antequam ad provectioris ordinis lectiones admittuntur, liberali a teneris fere usi sunt institutione: qua fit, ut plurimarum rerum, uti litterarum variarumque linguarum acquisiverint notitias, quibus homines non bene instituti destituuntur, quasque in provectiori aetate, non nisi maximis curis multisque vigiliis sibi comparat homo. Hinc accidit, ut hi ad plurimarum disciplinarum principia addiscenda, quippe

a te-

a teneris studiis assueti, facile sint aptiores.

Quodsi quaerimus, quinam illi sint, quorum in commodum publice traduntur, chemicae disciplinae, artibus adhibitae, principia; minus sane sunt illi exculti; et si quid video, in tali inprimis instituenda disciplina id spectandum est, ut ipsi operarii varias, quas nunc usu acceptas habent operationes, penitus cognoscant: ut de earum indole, fine, usu, difficultatibus, commodis, certiores fiant, nec rudes et indocti, labores sustineant, quos dijudicare et explicare penitus non possunt, imo de quorum utilitate et dignitate, ne levissima quidem extitit in eorum animis cogitatio. Hinc illis principia, quibus diversae nituntur operationes, explicanda videntur.

Neque quis dicat parum et societatis et ipsorum artificum interesse, ut ita isti homines instituantur: Societati jam sufficere si operarii, ad operationes perficiendas quae ipsis committuntur, sint apti: ipsis artificibus ejusmodi institutionem nil commodi esse allaturam, imo vero ad vanam doctrinae speciem illos excitaturam, qua saepius

pius nec sorte contenti sint, et minus ad labores apti reddantur, quos contemnere ita incipiunt, quare id eos sibi continuo esse propossituros, ut ex inferioris ordinis conditione ad majorem perveniant; quod, nisi cum universae societatis detrimento, fieri non potest.

His respondendum arbitror, si quando accidat ut ejusmodi sit nostrae institutionis vis, hanc ei cum omnis generis institutione, qua inferioris ordinis homines utuntur, communem esse, neque tamen negari posse, maximopere societati profuisse variarum disciplinarum, magis quam pristinis temporibus, inter plebem sparsa principia. Neque concedendum puto, perversitatem istam ex hac institutione orituram esse, quam potius imperfectae disciplinarum cognitioni levioríque earum tractationi tribuam. Quo magis enim accurata habetur rei notitia, eo magis apparent ejus dignitas et difficultas; et is profecto, qui semel rei dignitatem, utilitatem, commodum rite perspexit, non facile hanc negligenter tractabit, sed contra majori illam ardore prosecuturus videtur.

Ple-

Plena igitur illarum rerum, quas continenter tractant, notitia, operariis et artificibus ipsis tradenda videtur, ut quid et quare id faciant ipsi perspiciant; unde non solum ipsorum commodo et cultui prospicitur, sed maximum inde in ipsos fabricarum possessores redundet emolumentum, necesse est. Scilicet quando ejusmodi utuntur operariis, qui rerum perficiendarum sunt periti, easque plene noverunt, tum sine dubio ipsae operationes et citius et melius et cum minimis expensis perfici poterunt. Quod si fiat, opera ipsa et magis expetentur, quippe perfectiora, et viliori pretio vendi poterunt, quippe breviori tempore et minori sumtu confecta.

Ne vero quis putet, quae de institutionis quam dixi utilitate praedicavi, vanis niti nec experientia confirmatis opinionibus: ipsos quaeso itineratores narrantes audiatis, quomodo praesertim in Anglia saepius admiratione obstipuerint, cum ipsos audirent operarios, in diversissimis fabricis, ita de operationum fine, indole, commodis, noxis loquentes, ut fere dixisses, ipsos illos homines,

nes, perfectissimam, et theoreticam et practicam, harum rerum sibi comparasse notitiam. Quae si animo volvitis et cogitatis artes in Anglia plurimas, ad tantum pervenisse perfectionis gradum, ut earum opera ab aliis haud facile superari posse videantur, tum vos et mihi facile concessuros persuasum est, istiusmodi institutionem sua non destitui laude. Neque tamen me arbitrari credatis velim, artifices illos ita esse instituendos, ut iis perfecta et absoluta ab omni parte tradatur disciplina, tum theoretica, tum practica. Id et arduum saepius foret et parum utilitatis allaturum videtur. Id inprimis in illa institutione spectandum censeo, ut cuique illas disciplinae partes explices, quarum necessaria ei est ad labores rite sustinendos notitia. Fabro, ut hoc utar, ferrario metalli, quo quotidie utitur, omnes monstrari dotes debent: hunc ferri varietates a se invicem dignoscere doceas: ita harum varietatum diversitatem ex variis, quae ferro insunt, materiebus pendere, videat. Illi explicetur quibus usibus varia illa inservire possint, quaeque sit variorum corporum cum

fer-

ferro combinatorum in ipsum metallum vis: quomodo ita sulphur cum ferro junctum metallum igni admotum fragile reddat; quomodo huic opposita sit phosphori vis, qui metallum fragilius facit quam par est, si frigidum tractetur. Ut autem haec ignorare non debet, ita haud ei necessarium, ut cognoscat quomodo metallum ex minera acquiratur; nec illi methodi sunt enarrandae, quibus ab inquinantibus corporibus ferrum liberari possit: quod iis relinquas, quibus metallum ex terrae penetralibus afferendi cumque purum reddendi est officium.

Sed haec de operariis ipsis dicta sufficiant. Sunt autem et alii, quorum nostra uti institutione interest, eos volo, qui vel ejusmodi fabricarum et operum sunt possessores, vel quibus harum curam gerendi, labores dirigendi, et producta ad majorem evehendi perfectionem officium est: hos, si rite munere fungentur, non levem oportet et operariis sufficientem disciplinae notitiam sibi comparasse, sed plenius sciant necesse est omnes illas disciplinae partes, quae in operationes vim habere possunt. Penitus hi

cog-

cognoscant omnes conditiones, quibus operationes, aut majori cum facilitate peragi, aut impediri poterunt, quaeque iis prosunt, quaeque obstant. Ita historicos disciplinae adeant fontes, ut inde videant, quomodo ista negotia jam a variis populis peracta sint, et quomodo idem illud nunc obtineatur: quaenam fuerint diversarum methodorum sive commoda sive incommoda; quomodo ipsa disciplina invaluerit, ad nostram harum rerum cognitionem, amplificandam, augendam, emendandam; quomodo cum aucta disciplina, pariter auctae sint artes atque emendatae. Haec omnia obtineri non posse, sine ampliori totius disciplinae tractatione, facile apparebit; idque ita demum fiat, si universae disciplinae principia sibi comparaverint isti homines, et harum perfectam acquisiverint notitiam, simulque magis attenderint ad ea, quae firmiori nexu cum rebus, in quibus toti versantur, junguntur.

Sic etiam disciplinis tractandis, talia facile instituent experimenta, quibus, phaenomenorum superstructis theoria, haud raro et ipsae disciplinae auctae fuerunt et simul inven-

ventoribus magnum emolumentum paratum est. Tali ratione eo pervenit *Bertholletus pater*, ut vulgari telas depurandi et naturali colore detrahendi modo, alium longe faciliorem substitueret, adhibita nempe chlorici principii solutione. Qui agendi modus, tantam utilitatem afferre visus est, ut universe sit hodie usu receptus et per totum fere terrarum orbem *Bertholleti* consilium iuvaluerit.

Similibus tentaminibus celeberrimus *Thenardus* eo pervenit, ut Gallo-Francis novam indicaret cerussae parandae viàm; chemicâ nimirum sub-acetatis plumbi decompositione, quae si non universe praeferenda videtur agendi ratio, tamen id effecit, ut nunc in ipsa Francia materies illa paretur, quam Gallo-Franci antea ex aliis regionibus plerumque petere solebant.

Diximus quales illi sint, quibus tradenda est disciplina nostra; proximum est, ut qua ratione haec iis accommodanda sit, dispiciamus. Primum, in tradenda disciplina chemica, artibus adhibita, praemittenda omnia illa videntur, quae universe in omnes artes vim

vim habent. Huc pertinent, quae ad aëris terrarum orbem ambientis atque ubique penetrantis cognitionem faciunt; huc referenda, quae diversarum aquarum compositionem, earumque vim spectant: quae tanta in nonnullis reperitur fabricis, ut saepe facillime perficiantur perfectissima opera, quae in alia regione, nec curae nec vigiliae multae nec ardui labores efficere possunt. Sic, ut hoc utar, diversae cerevisiarum species in unaquaque regione parari non possunt, sed harum dotes variis locis quam maxime differunt, quamvis idem in iis parandis servetur modus; quod nulli alii videtur causae adscribendum, nisi diversae aquarum, his locis, compositioni.

Quaecunque haec disciplinae fundamenta et quaecunque universae sint utilitatis, non leviter tangenda sed diligenter tractanda videntur, ut penitus cognoscantur: quod ita maxime consecuturi sumus, si haec omnia non tantum enarramus, sed plurimis variisque institutis experimentis confirmamus. Experimenta enim plurimum valent ad rem illustrandam, ad auditorum animos attentos

reddendos doctorique conciliandos: quod non levis pretii habendum censeo; si inter auditores sint, erunt autem complures, qui nunquam in studia incubuere; ita et disciplina grata iis fiet et ejus utilitatem percipient facile. Quodsi prius gratam utilemque disciplinam cognoverint, longe facilius operam sunt iis doctrinae partibus daturi, quae aeque utiles, minus tamen jucunditate se commendant.

Post hanc universam rerum tractationem, quae omnibus pariter auditoribus necessaria videntur, porro in nostra institutione procedendum videtur ad variorum corporum, sive simplicium, sive compositorum explicandam conditionem; quo cujuscunque corporis utilitas breviter ita ostendatur, ut omnes rem vel necessariam, vel utilem, vel gratam esse, persuasum sibi habeant. Nec tamen in illis enarrandis longum esse oportet doctorem. Id enim semper rite reputandum est, non omnes disciplinae partes paris esse omnibus auditoribus utilitatis. Aliae enim artes cum aliis chemiae partibus arctius conjunctae videntur. Quocirca quae iis conveniunt, quorum labores in variis versantur

me-

metallis conjungendis et depurandis, aliis non sunt necessaria, qui telas variis inbuere coloribus student. Et sane saepius auditores impensi temporis et operae poeniteret, si omnes chemiae partes, eodem cum iis tractares modo. Itaque satius videtur, post breviorem cujuscunque corporis expositionem, speciatim de eo denuo agere, si in artium usus adhibeatur, et hic omnia illa exponere, multisque institutis experimentis confirmare, quae ad perfectam ejusmodi artis tractationem pertinent. Ita postquam breviter actum erit de materiebus, quae in arte tingendi in genere adhibentur, tum demum progrediemur ad ipsius artis tinctoriae principia exponenda, et seorsim agendum de singulis quae hic in sensum veniunt corporibus; ita ut cujuscunque corporis in hac arte usus, ejusque adhibendi modus, satis demonstretur.

Sed ut auditorum in hac institutione respicienda est peculiaris conditio, ita et locorum et temporum ratio habenda videtur. Nam quae huc pertinent omnia, neque singulis convenire regionibus, neque

omnibus esse accommodata temporibus, facile quisque vel me tacente intelliget. Si enim variarum gentium regionumque conditionem spectamus, facile nobis apparebit, et varias artes variis temporibus a diversis populis fuisse excultas, et in singulis quibusque regionibus fuisse in his artibus, quae singulari quadam industria a regionis incolis excolerentur. Quae ex peculiari cujuscunque regionis terraeque indole, et ex habitantium vivendi ratione et ingenio, repeti posse videntur.

Sunt enim perquam a se invicem diversae regiones, et perquam est varia rerum copia, quae explorari et elaborari debeant; quocirca accommodanda huic diversitati omnis est instituendi ratio. Stulte, ut hoc utar, ageret, qui in Suecia, de Auri Argentique tractandi modo verba faceret, et Ferrum Cuprumque negligeret: qui nostris temporibus in Hispania metalla nobiliora, quae dicunt, effodere cuperet, Hydrargyri vero mineram relinqueret: qui in septentrionali nostrae Patriae parte fusius de fossilium metallorumque extrahendorum et depurandorum ageret metho-

thodo: in meridionali vero longe a maris littoribus distanti, sodam ex plantis marinis extrahere doceret.

In omni igitur regione *has* nostrae disciplinae partes tractandas esse, unumquemque mecum arbitrari censeo, quae ipsi conveniant regioni. In plurimis ita Americae tractibus, in Mexicana, Columbiana, Chiliana, Brasiliana regione, in Asiae montibus Uralibus, agetur de extrahendo et a se invicem separando, Auro, Argento, Platina, Rhodio, Iridio Osmio, deque novi metalli Plurani dicti nuperrimeque detecti, acquirendi modo. In Leodiensi, Namurcenci, Luxemburgensi patriae provinciis, de tractandis metallis et fossilibus quae ibi occurrunt, sit sermo, uti de Ferro, Zinco, Plumbo, Cupro, carbonibusque fossilibus deque illis fabricis, quae cum ejusmodi laboribus facile conjungi possunt; ita facile quemadmodum Leodii fit, alumen obtinetur, ubi sulfuretum ferri cum argilla et aliis ferri mineribus conjunctum acquiratur: sic in nostris regionibus, de methodo sal ex aquis marinis, deque simul obtinenda magnesia, et

aci-

acido hydrochlorico, uti jam ante hos quadraginta annos, celeberrimus noster monuit *Driessenius*, cum fructu dicatur.

Si quis igitur chemiam, artibus adhibitam traditurus est, probe illum et regionis et loci et incolarum tenere indolem oportet. Namque alios populos, ad alios sustinendos labores, aliasque excolendas artes, aliis esse aptiores, nemo negabit. Batavorum quod ab intio diximus curae, a primis temporibus in rebus nauticis versatae sunt; quaeque huc spectant, singulari ab iis tractata sunt industria; itaque excelluerunt in illis: eaedem vero res nauticae nulla plerumque successu a Gallo-Francis tractatae sunt, quippe non satis cum gentis indole convenientes. Quod tamen non ita accipiendum, quasi ea sint tractanda, quae plane regionis populique indoli sunt consentanea, caetera vero omnia prorsus rejicienda. Saepius enim fit, ut cognita rerum dignitate, utilitate, commodo, accepta homini fiant, quae prius negligere et parvi habere solebat; quibus semel perspectis maximo ardore ea tractare incipit. Ita nostrates, felicibus illis tempori-

bus,

bus, quibus omnia ad rerum nauticarum et mercaturae commoda referebantur, magis quam par erat, agriculturam neglexerunt; quum vero infelicium temporum opportunitates efficerent, ut non eodem quo antea ardore, gens Batava sese totam mercaturae et rebus nauticis traderet; agricultura magis excoli, amplificari, extendi coepit; quamquam utilissima illa ars non ita cum nostratium indole convenire videtur, ut tantos in illa Batavi facturi progressus videantur, quantos a Flandriae incolis factos fuisse omnes agnoscunt. In qua regione tanta excoluntur res agrariae cura, ut harum provinciarum incolas hac in re omnes fere terrarum orbis gentes superare diceres. Haec facile concedimus omnia, sed illud volo, non eas tractandas esse artes, quae et regionis et incolarum indoli plane repugnare videantur.

Si quis igitur recte ad regionis et populi indolem attendat, prae caeteris eas disciplinae partes tractare studebit et earum quam latissime extendere cognitionem, quae cum regione et loco maxime conveniant. Ita ubique locorum maxime interest, fundamenta

qui-

quibus ars aedificia condendi superstructa est, accurate teneri a variis harum artium cultoribus. Fabrum lignarium, artem ligni scindendi in aptamque formam redigendi noscere non tantum decet; ut faber murorum lapides invicem conjugat non solum oportet; sed hi etiam plene sciant, quid regio, aër coelum aliaque faciant aut ferant. Faber v. c. in nostra regione, ubi temperatura varia, athmosphaera plerumque humida, mutationes tempestatum subitaneae sunt, noscat quaenam diversae ligni species maxime sint accommodatae ut in usum adhibeantur; quaenam ejusmodi aëris conditioni resistere possint, quaenam huic non respondeant fini. Sic in aliis regionibus facillime lapides, qui aedificiis aliisque operibus condendis adhibentur, invicem conjunguntur, et huic proposito usurpata jam argilla sufficit. Aliter in patria: enumeratae jam prius causae efficiunt, ut hic plus impendere laboris necesse sit. Hic igitur murorum faber, et de diversorum lapidum dotibus et de illis rebus, quae ad lapides conjungendos requiruntur, uti de variorum cimentorum speciebus, de cimenti solidio-

dioris dotibus, de diversis calcis generibus perfectam sibi comparet notitiam. Sciat quomodo res illae invicem sint conjungendae, ut illas subeant mutationes chemicasque combinationes, quas invicem ineant necesse est, ut varias aëris aquarumque vicissitudines perferre possint, quod majoris etiam esse momenti patebit, si attendamus quanta opus sic industria, ut nostrae regiones, ab aquis tum maris tum fluminum inrumpentibus, vindicentur. Quot hic exstructa sint opera hydrauli ca! quot cataractae! quot canales!

Sed arctiori etiam limite nostra videtur definienda institutio, quae si quid inde sperari poterit, primum ipsius loci quo traditur necessitatibus accommodetur necesse est. Facilius enim erit rem praesentem amplificare et emendare, quam quae deëst condere. Igitur primae versentur curae in cognoscendis iis quae exstant: atque illas oportebit adire fabricas, quae sunt in ipso ubi instiutio tradenda est loco; recte omnes agendi modi cognoscantur, invicem comparentur, comparentur et cum iis, quae vel

in

in aliis locis, vel in aliis regionibus obtineant; videatur, quid in illis desideretur, quid prae caeteris utile habeant. His rite perspectis, facile in tradenda ipsa disciplina, haec omnia auditoribus ita exponi poterunt, ut, quae ad emendandas et perficiendas fabricas requirantur, videant; simulque iis haec cognoscendi et peragendi dabitur occasio. Neque videtur istiusmodi agendi ratio cum justo ordine pugnare, quo cujuscunque disciplinae principia exponenda sunt. Illae nimirum partes facile aut praetermitti, aut leviter tantum tangi poterunt, quae minus sunt utiles nec loci necessitatibus accommodatae; fusius contra et absolutius perpurgabuntur, quae aut sunt usus magis universi, aut plane cum loci opportunitatibus conveniunt. Ita tamen hoc fiet, ut quae ad totius disciplinae fundamentorum cognitionem pertinent, utique praemittantur. Itaque in nostra regione Trajectina, si ad chemicam corporum animalium historiam accesseris, fusius dicetur de iis combinationibus, quas plurimae corporis animalis partes cum principio ineunt, quod coriarium appellare consueverunt:

de

de corii parandi methodis agetur; recencebuntur hi omnes, quibus et antiquiores et recentiores uti solebant. Hoc proposito indicentur corpora, quae hoc principium, plerumque cum acido gallico junctum, contineant; enumerentur ex iis, quae huic consilio prae caeteris maximo cum fructu usurpari possint, explicantur chemica artis coriariae principia, et videatur quid disciplina contulerit ad artem excolendam et augendam. Ita *Seguini* indicetur agendi modus, qui eo pervenit, ut corium paucarum hebdomadum spatio pararet, cum antea ad idem efficiendum pluribus mensibus vel integro subinde anno opus esset. Sed semel ad corii hac ratione parati dotes attendatur, ut ita pateat, num ipsum corium, omnibus utilitatibus tam bene inservire possit, quam corium quod antiquiori methodo fuerit paratum; qua de re adhuc dubitandi locus est. Prudenter ita nostra disciplina, artibus adhibita, et regionis et loci ipsius indoli accommodata, utilior longe erit, et fini cui destinetur inservire posse videtur.

Superest tandem A. A. ut paucis moneamus

mus, quid temporum opportunitates in nostra valeant institutione. Aliter enim artes et disciplinas variis se habuisse temporibus, alio modo eas saeculo XVI, alio saeculo XIX excultas fuisse, quia aliae prioris, aliae posterioris temporis fuerint necessitates, quis non videt? Illa nempe negotia, quae priori illo tempore et utilissima erant et gratissima, nostris temporibus inutilia et ingrata vocari, quotidiana experientia docet. Qui igitur hoc sibi proponeret, ut nostra institutio utilis fiat et fructuosa, is varias temporum mutationes recte cognoscat. Et vero duplici modo illas consideret oportet, primum enim animum advertat ad mutatam cum ipsis temporibus disciplinam, tum videat quid temporum mutationes, quid rerum conversiones, in illas effecerint res, quibuscum disciplina affinitate conjungatur, quibusque adhibeatur.

Quodsi attendamus ad disciplinas illas, quae artibus praecipue adhibentur, facile patebit omnes, et prae caeteris chemiam, saeculo XVIII et ipsis quibus vivimus temporibus insigniter fuisse auctas. Quid? quod chemiam plus semel formam penitus fere mutavit

vit et revera per quinquaginta hos annos doctrinae formam accepit novam? Scilicet ineunte Saeculo XVIII *Stahlius* vir summus chemiam ita tractavit, ut ad disciplinae notas accederet; idem tamen phaenomenorum causas non satis accurate perspexisse videtur, et magis quam par esset hypothesibus doctrinam superstruxisse, uti facile ex ejus combustionis theoria et quod phlogiston diceret efficitur: itaque post praeclaras *Scheelii*, *Cavendishii*, *Priestleyi* aliorumque observationes et experimenta, summus et acutissimus *Lavoisierius* his nitens, novam prorsus et phaenomenis convenientem magis disciplinae expositionem indicavit, ejusque theoria praestantissimis *Fourcroyii* et *Bertholleti patris*, operibus, maxime et elaborata et aucta fuit. Quae nova phaenomenorum explicatio ita placuit ut sensim ab omnibus chemiae cultoribus usurparetur.

Verum et illam diu auctoritatem habere theoriam non siverunt eximii quos fecit chemica disciplina progressus; novam haec enim formam induit, postquam celeberrimus Anglorum, his ipsis diebus eheu! disciplinis ereptus,

tus *Davyus*, et Succorum *Berselius*, eodem fere tempore detexere, alcalia et terras quae vocabantur, metallica gaudere basi; et chlorici principii simplici perspecta natura, monente prius eodem *Davyo*. Et vero novas chemiam subituram mutationes, facile ii mihi concedent, qui ad novos in disciplina chemico-physica novissimis hisce annis factos progressus attenderint, e quibus monuisse sufficit de dignitate fluidi electrici, in promovendis vel impediendis chemicis corporum combinationibus, deque his in rebus *Berselii* meritis; ut et de iis, quae praeclare *Oerstedius* de vi fluidi electrici in magnetismum docuit; praesertim vero de acumine *Becquerellii*, in minimis fluidi galvanici observandis quantitatibus, in chemicis fere omnibus corporum combinationibus conspicuis.

Quodsi tantae fuerint mutationes, quas ea subiit disciplina, non est quod miremur, aucta ipsa et emendata, semel etiam ejus usus magis fuisse extensos, et artes quae cum illa firmiori junguntur nexu, pari modo fuisse auctas; imo novas plures extitisse artes, quae magis cognitis disciplinae fundamentis ori-

originem debuere. Ita antiquae gentes et proavi nostri, ut in tenebris lucem haberent, oleo in lucernâ ope fili cujusdam accensi, utebantur, cui postea candelarum ex adipe plerumque animalium confectarum usus successit. Magis autem cognitis illis quae ad combustionis phaenomena pertinent, accuratiori chemiae tractationi, denuo ad oleum reditum est, quod in lucernis prorsus comburitur, patente ubivis et in media flamma libero aëris oxygeniique accessu, et depurato ipso oleo. Postea detectis gaz hydrogenii percarbonati proprietatibus, et illo accenso ad aedificia et urbes integras luce illustrandas uti inceperunt, et continuo etiam novas usurparunt modos illud gaz parandi, ut et flammam clarissimum lumen spargentem producerent et viliori pretio gaz comparari posset. Hinc primum illud ex carbonibus fossilibus, postea ex vilioris olei specie, nunc et ex resina cum prioris cumbustionis residuo paratur. Ejusmodi ex oleo paratum gaz egregie fini respondere et vos omnes testes habeo, qui in aede hujus urbis Dominica egregio ejus lumine gaudetis, et nullus dubito quin mecum consentiatis,

maxi-

maximas hujus operis instauratori, *Bekio* nostro, gratias deberi, qui hac in re quid ars valeat quid indefessus labor, denuo docuit.

Ita cognitis iis quae in plantarum praesertim ligni destillatione producuntur, novus exortus est modus Aceti parandi, quod multis dotibus, aceto acida fermentatione producto excellit; quod et ab inquinantibus materiebus orbatum, et cum iis junctum, egregii est usus. Illud *Mollerati* inventum jam in patria nostra translatum fuit, et in Namurcensi regione hoc modo acetum parari coeptum est, et in communem usum concedi.

Sed alia quoque temporum in nostram institutionem vis videtur, praeter illam quae ipsius spectat disciplinae mutationes. Scilicet haud raro accidit, ut temporum angustiae homines coëgerint se ejusmodi addicere artibus, quas prius aut plane non tractaverant, aut quae aliis peragi solebant modis; ut eos sibi vel naturae vel industriae fructus compararent, quorum usum vel necessitas postulaverat vel consuetudo induxerat. Hinc uberrimus etiam artium extitit fons; ut

ut illarum rerum contemplatio in nostra institutione, omni attentione digna esse videatur. Haec omnia ergo tenenda. Saepius enim factum est, ut res quae minoris momenti videbantur, egregium possessoribus illis temporibus attulerint emolumentum.

Ita cessante inter Franciam ejusque colonias et regiones transmaritimas commercio, per bellum illud saevissimum quod per tot annos inter Gallo-Francos et Anglos gestum est, plura sunt inventa et in usum vocata, quae illis substituerentur proventibus, quos antea ex longinquis regionibus accipere solebant Gallo-Franci, in quibus fuere quae tanto successu producebantur et tantum commodi largiebantur, ut hodieque in usum manserint.

Hac ratione materies saccharina ex radice betae extrahi et chemicis encheiresibus depurari, praeeunte inprimis *Achardo* coepit; tali cum successu, ut saccharum hoc modo paratum, omnibus dotibus optimo ex arundine sacharifero acquisito saccharo, aequiparandum fuerit; et tanta quantitate jam in usum publicum concedi potuerit, ut usui quo-

tidiano sufficere videretur. Adeo simul perfectae sunt omnes operationes huc spectantes, et tantum emolumentum largiuntur, ut his temporibus et in Francia plures extent fabricae, in quibus hac ratione saccharum ex betis paratur, nec desint illae item in patria nostra.

Hîc utilissimum illud *Raymondi patris* inventum reticere non licet. Magnis adhibitis curis, multisque laboribus eo pervenit, ut in locum exotici et maximi pretii illius pigmenti, quod Indigo dicunt, quo ad telas coeruleo pulcherrimo imbuendas colore utuntur, aliam materiem illamque vilis pretii substitueret. Primus enim docuit in tingendi arte ad easdem fines cyanuretum ferri et potassii adhibere, quod ope sulfatis peroxydi ferri solutionis infixum telis, pulcherrimum et constantem coeruleum illis dedit colorem, quem omnibus cognitum coerulei Berolinensis nomine censeo. *Raymondo patri*, id successit tantum, ut illum colorem telis ex serico, gossypio et lino confectis rite adhiberet, sed patris premens vestigia *filius*, superiori anno etiam post mul-

tos

tos labores et frustra instituta experimenta, methodum invenit, qua illa materie et lana impregnari potuit; atque ita magis etiam hujns utilissimi inventi usus extendatur necesse est.

Satis superque igitur A. A. probatum arbitror, et vos me consentientes habere censeo, in nostra institutione et ipsius disciplinae, et auditorum, et locorum, et temporum rationem esse habendam. Quodsi factum rite fuerit et si quid inde utilitatis extiterit, sive ad artes emendandas et perficiendas, sive ad novarum inter nos artium proventum adjuvandum, sive ad nostratium commodum augendum, illam non inutilem prorsus institutionem esse, et ad patriae etiam felicitatem promovendam posse conferre, quin omnes sint judicaturi, non est sane quod equidem dubitem.

Sed hujus diei solennitas me vocat, et vero ipse meus animus me incitat, ut vobis publice gratias agam, hujus Academiae Curatores, Viri Amplissimi! Vestra enim factum

tum est cura, ut optimo Regi placuerit in nostra urbe scholas disciplinarum mechanicarum et chemicarum artibus technicis adhibendarum, constitui, unde ut uberrimos capiat fructus et ipsa Civitas et Regio Trajectina fore speramus. Sed vobis inprimis gratum animum publice profiteor, quorum consilio et auctoritate chemicas hujus institutionis partes, ab optimo Rege, quem incolumem diu servet Deus Optimus Maximus, in me collatas video. Probe mihi conscius sum, quantum absit ut tali sim honore dignus, quam parca sit mihi doctrinae copia, et quam parum tali muneri vires meae pares sint; sed idem scio sancteque vobis Viri Amplissimi, polliceor, nil arduum mihi visurum, et me omnes vires esse adhibiturum, ut tanto honore non indignus habear, benevolisque vestris respondeam consiliis. Faxit D. O. M. ut vos salvi sitis et res vestrae, et vestris sub auspiciis magis magisque floreat Academia.

Jam ad vos me convertens, hujus Academiae Professores Viri Clarissimi! nescio fere quo me ducat et praesentis et praeteriti tem-

temporis cogitatio. Amplissimo me video hoc die vestro adscribi ordini: ante hos autem decem annos plurimis vestrum adfui in scholis discipulus. Quid igitur? Tantis me viris *collegam* adjunctum esse gloriabor? Imo vero, ut *discipulus* agnoscam, omnes quos fecerim progressus, eos me debere vobis vestrisque institutionibus, consiliis, familiaritate. Nam hoc credatis velim Clarissimi Heringa, Heusdi, Bleuland venerande senex, qui me a prima infantia semper amore es prosecutus: hoc credatis velim Cl. Suerman, Wolterbeck, v. Goudoever, Simons, vestrorum beneficiorum in me collatorum, vestrarumque institutionum tempus nunquam deleturam esse memoriam, et gratissimam mihi semper futuram temporis in hac Academia peracti recordationem.

Vos vero omnes Viri Clarissimi rogatos velim, ut me vestrum denuo accipiatis discipulum, ut vestris frui consiliis, monitis, amicitia denuo liceat, ut me quamvis eruditione et viribus disparem, tamen collegam accipiatis, qui studiorum amore ductus id

prae

prae caeteris studebit, ut vestro utar exemplo omnesque videant, quid tantorum virorum exemplum, commercium, amicitia, ad rite tractandas disciplinas et litteras valeat.

Sed in vestro ordine dilectissimum licet conspicere Patrem. Quid tibi, O Carissime, debeam, quaenam sint et fuerint semper grati mei animi affectiones, imo pectore sentire, non verbis declarare possum. Tu mihi vitae auctor non tantum fuisti, sed et infantiae et juventutis dux. Tu me continenter et monitis, et praeceptis, et exemplo, semper ad virtutem et ad litterarum amorem incitasti. Quid plura? Nam quid beneficia tua hic recensere coner, cum sint innumera; cum nec dies, nec hora praeterierit, qua non quid a te acceptum beneficium recorder. Omnia igitur me tuo debere amori palam profiteri posse gaudeo, id unum in votis habens, ut mihi tua premere vestigia concedatur, ne tanto patre indignus prorsus habear filius. Sit tibi vita felix sorsque beata.

Tuum hic reticere nomen, O dilecte Kopsi, quem alterum mihi appellare patrem con-

conceditur, foret religio. Multos jam annos tuo licuit amore, familiaritate, consiliis, institutione frui, ut id unum optem, ut diu deinceps mihi liceat eandem experiri caritatem et benivolentiam erga me tuam. Me semper gratum et pium agnosces filium. Sis et ipse salvus et optima cum tuis experiaris Summi Dei beneficia.

Vobis arctiore etiam nexu conjungi me sentio, Clarissimi disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Professores, quorum Ordini adscriptum me video. Id prae caeteris in votis est, ut vos omnes, qui tam egregie de patria et his disciplinis meruistis, mihi viam monstrare velitis, quam sequens aptus fiam ad illas disciplinas et rite tractandas, et in commune patriae et civium emolumentum adhibendas. Quod et tibi praesertim dictum velim Cl. Moll qui puero jam mihi singularis tuae institutionis usum concessisti, qui per integrum studiorum decursum amicissimus mihi dux fuisti. Cum jam mechanicae disciplinae, artibus adhibitae, partes tibi sint traditae, tu me doceas quomodo illae sunt tractandae disciplinae ut fini

res-

respondeant. Quod eo magis te rogo, quo magis ipse in variis regionibus et gentibus videris, quomodo ibi artes tractentur, et ita videris, ut non facile aliis videre conceditur; mihi tua frui experientia liceat et ne tuam mihi negare velis amicitiam iterum iterumque rogo.

Tecum quoque firmioribus etiam conjungi vinculis me video Cl. van Lidth de Jeude, in munere quod nobis in hujus regni Schola Veterinaria impositum est Collega conjunctissime. Jam a teneris utilissimo tuo uti commercio licuit et grata semper inter nos fuit amicitia: eadem semper maneat; et sic etiam tecum Clarissime Numan, Collega gratisime, cujus utilissimi, in arte veterinaria labores ab omnibus jure celebrantur, arcte conjuncti, omnes in nostrorum discipulorum usum vires impendamus.

Tandem Vos mihi compellandi estis, hujus Academiae alumni, Juvenes Optimi! Quamquam probe scio, disciplinae partes quae mihi sunt traditae, vobis primo loco non esse destinatas; tamen id sciatis velim, me dilectissimae hujus Academiae discipulum, ni-

nihil vehementius petere, quam ut quocunque etiam modo, aliquid ad vestram promovendam utilitatem conferre mihi liceat, nec quicquam mihi arduum esse visurum modo illud mihi contingat. Si ergo vel institutione vel consuetudine aliquid me hac in re vobis posse prodesse arbitrabimini, libere me adeatis quaeso. Ita autem semper de utilissima nostra agemus disciplina, ut magis ego videar amicus amicis, quam praeceptor discipulis viam monstrare; nos autem per hanc progredi ad communem utilitatem studeamus. Sitis vos et maneatis Belgicae juventutis studiosae decus atque ornamentum.

DIXI.

ERRATUM.

pag. 21. regula 4 a parte inferiori
mineribus *lege* mineris

COMMENTATIO
HISTORICO-THEOLOGICA

DE

COMMUTATIONE,
QUAM SUBIIT HIERARCHIA ROMANA,
AUCTORE GREGORIO VII.

SCRIPSIT

L. F. VERENET.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD JOH. ALTHEER,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.
1832.

L. F. VERENET,

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM

HISTORICO-THEOLOGICAM,

IN CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXIX
PROPOSITAM A PLURIMUM VENERANDO
THEOLOGORUM ORDINE

IN

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA:

,, *Quaenam fuit Hierarchiae Romanae, medio seculo*
,, *XI, ante Gregorium VII, conditio et auctoritas?*
,, *Quam subiit, illo auctore, commutationem?"*

PRAEFATIO.

Haud facile aliquid reperias, quod nostris temporibus magis omnium animos adverterit, quam in dies accrescens Pontificis Romani et universe Clericorum potentia. Quae, prostrata nuper, velut monstrum Lernaeum, ex ipsis detrimentis vires assumsit easque summo conatu adhibet, ut latius etiam, si fieri possit, quam antea dominetur. Non enim amissa solum recuperare, sed et aliena invadere nititur. Et invadet profecto, nisi ab alterâ parte aequales vires cum eâdem constantiâ ei opponantur. Hunc in finem, ut corroborentur animi, nihil utilius excogitari potest, quam ipsa Hierarchiae bene perspecta historia, quae, luce clarius, quam nulla sint Paparum jura, quamque futilis eorum auctoritas, ob oculos ponit. Docet enim illa unumquemque, cujus mentem non in-

fuscarunt opiniones praejudicatae, quique integer judex ad rem confiderandam accedit, celebratam illam et facrofanctam! fcilicet potestatem ex audaciâ cleri et laicorum ignaviâ originem duxisfe, neque ullo alio fundamento niti, quam jure fortioris, callidioris et impudentioris.

Quocirca ad hujus aevi conditionem accommodate egit Veneranda Theologiae Facultas in Academiâ Rheno-Trajectinâ, quaestionem in certamine literario hujus anni proponens:

„ *Quaenam fuit Hierarchiae Romanae, me-*
„ *dio feculo XI, ante Gregorium VII, con-*
„ *ditio et auctoritas? Quam subiit, illo*
„ *auctore, commutationem?*"

Quae quidem quaestio, cum in originibus et incrementis *despotismi* Papalis describendis verfetur, in Historiae Ecclefiasticae tractatione maximi est momenti. Nullius viri conamina majorem, per omnia deinceps faecula, vim exferuerunt, majoresque in Ecclefiae non folum conditione, verum in totius fere orbis terrarum ftatu effectus habuerunt, quam Gregorii VII molitiones, quae, nifi accurate investigatae fint, quam parum reliqua Ecclefiae Historia intelligi posfit, non opus est ut pluribus dicam.

Mihi autem, hanc ftudiorum partem tractanti, pergrata illa quaestio accidit, quae, et ftudiorum promovendorum, et honores confequendi occafio-

nem

nem obtulit. Nam, etsi nulla hucusque in docto scribendi genere consuetudo audacem me reddidisset, incitabant tamen aliorum in simili periculo prosperi successus. Deterrebant quidem laboris difficultas, oratio parum exercitata, rebus tractandis circumfusae saepe tenebrae, judicii ingeniique diffidentia; sed studiorum utilitas et, in prospero eventu, honoris magnificientia, quarum illa quidem nunquam me falleret, magnis illecebris animum tentabant. Quid multa? Ad scribendum accessi, satius esse ducens virium mearum facere periculum, quam nil periclitando nihil accipere.

Vos igitur, Viri Clarissimi, hunc meum qualemcunque laborem, quem dijudicaturi estis, accipiatis, quaeso, tanquam a discente, non a docto, profectum. Sed quale verbum excidit? Quasi Vos ignoretis juvenibus a Vobis propositam esse quaestionem; quasi non omnem a Vestrâ humanitate indulgentiam sperare mihi liceat. Procul absit illa cogitatio! Relinquo igitur absque ullâ anxietate meam Vestro judicio scriptionem; quod si minus laetum evenerit, videtis quam habeam laboris non prorsus infructuosi consolationem; cogitatio enim animum recreabit:

„ *nec tam*
„ *Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum.*"

De ipſo autem opere mihi liceat paucis Vos ante monere.

Quo melius qualis, medio ſaeculo XI, fuerit Hierarchiae conditio innotesceret, primum, quam brevisſime historiam moderaminis Eccleſiastici enarrandam esſe putavi. Nec minus hâc in cauſâ perſcrutanda erant anteriora, quod multa in iis continentur, quae Gregorio VII ad extendendam potestatem auxilio fuerunt, quodque ita demum viam cognoscere poteram, quâ ad illud auctoritatis fastigium posteriore tempore pervenerint Episcopi Romani. Dein, quaestione duce, exponere conatus ſum, in qualem, cum Europae politicae conditionem, tum Eccleſiae et Paparum inprimis auctoritatem Gregorius inciderit. Porro ipſius vitam privatam et Eccleſiasticam enarravi, illud praeſertim, quoad potui, propoſitum ſervans, ut investigarem, quomodo Hildebrandus ipſe ſibi viam muniverit, quâ postea Gregorius ſtupendos progresſus fecit. Perſpectis tandem hujus Papae inter omnes clarisſimi variis rebus gestis, earum effectus et ſequelas perſequendo munere defunctus mihi viſus ſum. Atque his totidem capitibus ſcriptionem abſolvi, ut potui, non ut volui.

Superest, ut de libris, quos conſului, pauca dicam. Ut quaestionis propoſitae univerſum argumentum mente melius tenerem, ad ipſos quaestionis fontes escendere conſtitui; horum itaque aucto-

torum, maximam partem ipſius Hildebrandi aequalium, opera ſummâ cum voluptate pervolvi, facile animadvertens, ea non ſine prudentiâ in meam rem adhiberi poſſe:

Gregorii VII, *Epistolarum Libros IX.* in *Harduini Actis Conciliorum*, Tom. VI. Part. I. pag. 1195 ad 1516. Pariſiis 1714.

P. Damiani, *Opera omnia* ſtudio C. Cajetani, Baſſani 1783.

Lamberti Schafnaburgenſis, *De rebus gestis Germanorum* ex bibliothecâ J. Piſtorii, Vol. I. pag. 149 ad 265, Francofurti 1583.

Ottonis, Epiſcopi Friſengenſis, *Annalium Libros VIII.* ibid. Vol. II. pag. ad 187.

Ejusdem, *De rebus gestis Friderici I, Imperatoris*, Lib. II. ibid. Vol. II. pag. 193 ad 346.

Sigeberti Gemblacenſis, *Chronographiam*, cum appendice Roberti, Abbatis de Monte, ibid. Vol. I. pag. 477 ad 681.

Hermanni Contracti, Comitis Veringenſis, *Chronicon*, ibid. Vol. I. pag. 85 ad 148.

Paſſim etiam hac opportunitate alios ſcriptores, ex ſtudiis literariis jam notos, novâ adhibitâ curâ paſſim conſului; fuerunt igitur illi:

Annae Comnenae, *Alexiados*, in corpore Hiſtoriae Byzantinae Phil. Labbei, Tom. XII. Pariſiis 1648.

B. Platinae, *De vitis Pontificum Romanorum*, Coloniae 1593.

Har-

Harduini, *Acta Conciliorum et epistolae decretales*, Parisiis, 1714.

Caesaris Baronii, *Annales Ecclesiastici*, Tom. XI. Moguntiae, 1606.

A. Pagi, *Critica in Annales C. Baronii*, Tom. IV. Antwerpiae 1705.

Zonaras, *Annales* in corpore Historiae Byzantinae, Hier. Wolfii 1563.

L. A. Muratorii, *Antiquitates Italicae medii aevi*, Mediolani 1740.

J. Febronii, *De statu Ecclesiae*, Vol. I et II, Francofurti 1770.

W. A. Soardi, *De Romani Pontificis auctoritate*, Heidelbergae, 1793.

Recentiorum tandem optimae frugis auctorum compendia iterum non sine diligentiâ legi; quaenam fuerunt haec opera], allatis scriptorum nominibus cuicunque Historiae Ecclesiasticae amanti satis patebit; qualia censentur H. Venema, G. J. Planck, J. C. L. Gieseler, E. Gibbon, J. Voigt, J. A. and A. Theiner, Heeren, W. Robertson, C. Villers, Millot, L. T. Spittler, alii, suo loco laudandi.

Ceterum ex auctoribus, in ipsâ Commentatione allatis satis superque patebit, quosnam duces secutus sim; veri enim studio indulgens, *nullam* horum sententiam aut probandam aut refutandam arbitratus sum, quam non ipse inspexissem, atque ex ipsius auctoris libro hausissem.

IN-

INTROITUS.

§. 1.

Hierarchiae aetates.

Hierarchia e discrimine clericos inter et laicos, atque ex accrescente prae his illorum auctoritate universe est repetenda; hoc discrimen, a saeculo inde II. in Ecclesiâ exortum, diversis temporibus diversum habuit characterismum; habuit enim hierarchia suas aetates et indolem, variis aetatibus diversam. Sic ab Apostolorum inde tempore ad medium saeculum XI, tres potissimum hierarchiae periodos discernimus:

Primam, ab Apostolis ad concilium Nicaenum, ab anno C. N. 33 ad 325.

Secundam, a concilio Nicaeno ad Stephanum III, 325 ad 754. (1)

Ter-

(1) Cum de Hierarchiae singulatim spectatae, non vero de universae Historiae Ecclesiasticae aetatibus hic agerem, secundam periodum, non ad Muhamedis usque tempora, cujus vis in se-dem

Tertiam, a Stephano III. ad Gregorium VII. 754 ad 1073.

Hierarchia etiam pro variis his aetatibus varias ſuscepit regiminis formas; fuit enim

Primâ aetate, Democratico-aristocratica.

Secundâ, Aristocratico-oligarchica.

Tertiâ, Oligarchico-monarchica.

Horum hierarchiae progresſuum cauſas et opportunitates breviter attendere juvat, ut ita, in mediis rebus collocati ac firmis ſubſidiis inſtructi, ad quaestionem propoſitam, pro viribus disſolvendam, gnaviter accingamur.

§. 2.

Aetas prima.

Hierarchiae forma democratico-aristocratica.

Ab Apostolis ad Concilium Nicaenum (33-325).

Apostoli, in coetibus Christianorum condendis regundisque, auctoritate magis, quam potestate, uſi erant; mandato enim Christi morem gerentes, abierunt, et docendo multos ad ſacra Christiana adduxerunt; divino auxilio, ipſâ divinae doctrinae indole, et gentium ſtudiis adjuti, ſuc-

dem Romanam, ſaeculo ſaltem ſeptimo, nondum magna fuit, ſed ad auctoritatem Paparum civilem usque perducendam esſe existimavi.

ſuccesſus habuerunt prosperos; vestigiis Divini Magistri incedentes, charitatem mutuumque amorem nullâ non opportunitate Christianis commendabant. Qui vero iis ſuccesſerunt, ulterius procedentes, hoc fraterni amoris vinculum ita adhibebant, ut e Religionis Christianae asſeclis ſodalitatem ſeparatam conderent eorumque antistitibus jura ſua tribuerent; hi, clerici dicti, legum inſtar J. Christi dicta proponebant, ita tamen ut Eccleſiam magis monitis moderari, quam auctoritate ſuâ regere, viderentur; ceteris enim Christianis exemplo, quod dabant, pio ita praeire ſtudebant, ut virtutis praecepta factis ipſi ſuis exprimerent; nec minus mirâ conſtantiâ in perſecutionibus, pietate erga Deum, obſequio erga magistratus, amore erga omnes conſpicui erant (1). Laici vero cultu Dei ſimplicisſimo ostendebant ritus externos internae pietatis exercitia a ſe haberi, non vero ipſam pietatem; primo diliculo hymnos canebant, Apostolorum epistolas legebant prospiciebantque pauperum inopiae; disciplinam ſatis rigidam habebant, quae delicta puniebat, et in lapſos maxime ſaeviebat (2).

In his igitur inſtitutis initia jam cernimus ſtudii, quo Apostolorum ſuccesſores religionis Christia-

(1) Conf. Theiner, *Einführung der Priester-Eheloſigkeit*, 1ſter Band pag. 85.

(2) Conf. Spittler, *Handboek van de geſch. der Christelijke Kerk*, pag. 46. et, de primorum Christianorum cultu, pag. 47.

tianae placitis magis magisque humanae doctrinae formam dederunt (1).

Secundo vero ſaeculo, Episcopi, qui ſimul cum Diaconis et Presbyteris Apostolorum *administri* fuerant, ſenſim prae aliis auctoritate invaleſcebant, cum διοικησεως magis minusve extenſae curam gererent, atque Chorepiscopis ſeu Episcopis ruralibus praeesſent (2). Hinc gradus auctoritatis inter clericos diverſi conſtituebantur; cum enim ad conditionem civilem eorum potentia in Eccleſiâ informaretur, pro discrimine dignitatis, quâ in variis Imperii Romani provinciis fruebantur, majore minoreve auctoritate in diverſis muneribus Eccleſiasticis etiam uti poterant: ſic tranſiit regiminis ratio a democraticâ ad aristocraticam formam. In ſynodis autem provincialibus Episcopi Metropolitani prae ceteris caput extollebant, et Patriarchis, deinceps exortis, viam late patentem ſternebant ad maximam auctoritatem.

Attamen Societas Christiana publicum deſiderabat praeſidium, ut tandem a perſecutionibus dirisſimis et calumniis liberaretur, quibus Imperatorum iniquitate, plebis inſanâ rabie et magiſtratuum libidine obnoxii erant Christiani. Hâc periodo ad finem vergente vulnera illa, quae letalia esſe videbantur, Divino Numinis auxilio ſanabantur; quin

(1) Conf. Planck, *Geſch. der Geſellſch. Verfasſung*, Erster Band.

(2) Conf. Villers, *Esſai ſur la Réformation de Luther*, pag. 382.

quin et sanguis martyrum semen Ecclesiae fiebat (1). In mediis ita cruciatibus vis patuit promissi Jesu: *Adsum vobis usque ad mundi finem* (2).

Aetatis igitur hujus indoles mirâ simplicitate et heroicâ constantiâ, primo maxime saeculo, se commendavit, et, nisi in omnibus, in gubernationis saltem ratione aurea illa Christianorum aetas, haud satis caute laudibus ab aliis cumulata, nobis miranda est. Cum haec periodus ipsius Christi aetati proxima esset, ita doctrinae ejus, minus adhuc institutis humanis commixtae, maxime congruit.

§. 3.

Aetas secunda.

Hierarchiae forma aristocratico-oligarchica.

A concilio Nicaeno ad Stephanum III. (325 - 754)

Hierarchiae conditio e Conciliorum formâ optime dijudicatur. Erant enim illa κοινωνίαι novae, qui-

(1) Hoc Tertulliani dictum eleganter ingenioseque expressit Huygensius noster, qui persecutiones religionis causâ detestatur, dicens:

„ 't Was misverstand,
„ Al dat gebrand,
„ Om trouw en waarheid:
„ Die flam gaf klaerheid;
„ Want één te vier,
„ Onstack er vier."

IX. B. sneld. N°. 67.

(2) Matth. XXVIII: 20.

quibus novi Archontes, illique Sacrosancti, praeerant. In concilio inprimis Nicaeno ratio aristocratico-oligarchica, quam Ecclesiae regimen accepit, conspicua erat; quod Concilium, quippe totum orbem Christianum amplectens, *Oecumenicum* deinceps dicebatur, nomine omnino consentaneo Ecclesiae *Catholicae*, verae fidei patronae ac rectrici (1). Eo Episcopi, a Spiritu Sancto ducti, non vero a Christianis, ut antea, missi, convenerunt, atque, utpote divinâ auctoritate instructi, instituta divina pro lubitu permutare coeperunt (2). Primarium tamen locum in hoc Concilio occupavit Imperator Constantinus, ipse Christianus, qui clericorum decreta auctoritate sua sancivit, quique etiam, quippe homo Orientalis, pompam orientalem, ad quam pronus erat, in Religionis Christianae ritus externos induxit. Constantini autem successores, excepto Juliano, eandem viam ingressi, quin ulterius etiam progressi, gentilium religionem abrogarunt, et eo suas intenderunt vires, ut Religio Christiana, quae privatis conatibus praecedenti periodo propagata fuerat, publicâ auctoritate omnibus praedicaretur, atque totius Imperii Religio constitueretur.

Inter Episcopos in Ecclesiae gubernatione praeva-

(1) Villers, l. c. pag. 384 et 385.

(2) Conf. Theiner, *Einführung der Priester-Ehelosigkeit*, Erster Band, pag. 83.

valentes, quatuor, e primariis Europae, Aſiae et Africae urbibus metropolitanis exorti, prae aliis ſeſe non minus re, quam nomine, evexerunt, Patriarchae dicti; hi variarum provinciarum dioeceſes ſibi ſubjecerunt, atque ad civilem Imperii Romani formam ditiones auctoritatemque ſuam compoſuerunt (1). Exstitit ita regimen quoddam oligarchicum, quatuor conſtans rebuspublicis Christianis, quae ſingulae in Synodis provincialibus ſenatum ſuum habebant, in Oecumenicis vero ad Eccleſiam univerſam referebantur. Hierarchiae igitur muneribus hâc periodo functi ſunt Episcopi Dioeceſani, Metropolitani et Patriarchae, maxime Romanus et Conſtantinopolitanus.

Heroicis ſtudiis, quae praecedenti aetate conſpicua fuerant, alia ſuccesſerunt. Anachoretae enim, perſecutionum tempore exorti, ad vitam coenobiticam ſe convertebant; monachorum deinceps regulis adſtricti, quietae pietati animum intendebant, atque ſemina melioris conditionis, emendationis ſaltem, quae per totam historiam Eccleſiasticam animadvertimus, hoc aevo ſpargebant. (2)

Hujus aetatis indoles optime dijudicatur e vinculo, id temporis civilem inter et Eccleſiasticam auc-

(1) Conf. Villers, *Essai sur l'influence de la réformation de Luther*, pag. 388 et 389.

(2) Conf. Theiner, *Einführung der Priester-Ehelosigkeit*, Erster Band pag. 96. sqq.

auctoritatem orto; Religio enim Christiana, initio hujus periodi, publicâ auctoritate omnibus commendabatur; nimirum imperii civilis optimates, quum clericorum progressibus resistere non possent, cum his sese conjunxerunt, ut sibi invicem opem praestare possent. Ab hoc inde tempore Hierarchia, latioribus limitibus circumscripta, ordinum gradibus, dignitatum ambitu, et clericorum numero in dies increvit.

§. 4.

Aetas tertia.

Hierarchiae forma oligarchico-monarchica.

A Stephano III ad Gregorium VII. (754-1073).

Hujus periodi historia omnis fere in auctoritate Pontificis Romani, in dies novis subsidiis invalescente, versatur. Hierarchiae enim forma, quae antea oligarchica fuerat, fiebat monarchica, Papa saltem principatum, quem jam diu appetiverat, tunc magnam partem obtinebat. Nimirum divisio Imperii Romani in Orientale et Occidentale multum contulerat ad auctoritatem Pontificis Romae degentis prae aliis promovendam; in Occidente enim solus imperabat Episcopus Romanus, in Oriente quatuor aderant Episcopi, qui, mutuis litibus nimis occupati, suam ipsorum auctoritatem negligebant. Horum tres, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolomitanus

eva-

evanuerunt, cum Arabes, novae religionis novique in Oriente Imperii auctores, exſtiterunt. Praeſidia, quae in promptu erant, et alia, quae fortuna afferebat, ſedulo adhibuerunt Episcopi Romani, ut monarchiam ſuam conderent ſtabilirentque (1). Solus igitur ſupererat Episcopus Conſtantinopolitanus, potestatis Pontificis Romani aemulus; frustra hic ſeſe Patriarcham Oecumenicum dixit, qui titulus cum ſede labente non congruebat. *Papae* hoc nomen, quod antea antichristianum dixerat Gregorius magnus (590), ſibi proprium ſumſerunt Romani, postquam de hâc re acriter cum Patriarchis Conſtantinopolitanis contenderant, qui devicti e palaeſtrâ recesſerunt. Et ab hoc inde tempore monarchia Romana, ab omnibus agnita, locum primarium in orbe Christiano tenuit.

Medio tandem ſaeculo VIII, monarchia illa, quae hucusque eccleſiastica fuerat, civilem asſecuta est auctoritatem, cum Papae dominium terrestre obtinerent; hi enim, hujus aetatis initio, auxilium adversus Longobardos ab Imperatore Orientali iterum iterumque frustra flagitantes, ſeſe tandem ad reges Francicos contulerunt. Pepinus, palatii praefectus, Stephano III. opem praeſtitit, qui grati animi cauſâ coronam Francorum Pepino ob-

(1) Conf. Planck, *Geſchichte der Geſellſch. Verfasſung*, zweyter Band, p. 658. ſqq.; et Villers, l. c. p. 392.

obtulit; hic, voti compos, vice ſuâ Exarchatum Ravennenſem (1), a Longobardorum invaſionibus liberatum, Papae concesſit (755). Melioris condi-ditionis ſtudia, quae vi ipſius Religionis Christianae ſunt tribuenda, ſimul cum depravatione, a vitiis hominum ortâ, cernebantur. Conſpicua fuerunt haec ſtudia, tum in monasteriis, ſeveriori regulae adſtrictis, inprimis in congregatione Cluniacenſi (910), tum in conſtitutis Canonicorum capitulis (2); vitia vero, quae in his coenobiis vitare ſtudebant monachi, in hos ipſos ſenſim irrepſerunt. Propagatio etiam Religionis Christianae, ſolis clericis, monachis maxime ex Pontificum auctoritate mandabatur, quo munere doctores inprimis Anglici in partibus Germaniae remotioribus functi fuerunt. Carolus magnus aliâ ratione meliora quaeque ſtudia promovit; ope enim fidei Christianae, quam armis iis obtrudebat, gentes cultiores reddere voluit; ſed ſuccesſorum debilitate et Normannorum invaſionibus factum est, ut nihil fere proficerent ejus conamina. Normanni vero, fixas ſedes nacti, eodem modo, quo gentes barbarae ſaeculo quarto ad

(1) Conf. Planck, l. c. Zweyter Band, pag. 766. ſqq., Villers, l. c. pag. 404. Spittler, l. c. pag. 167. ſqq.

(2) Conf. Planck, *Geſchichte der Geſellſch. Verfasſung*, Zweyter Band, pag. 552—566, et Spittler, l. c. pag. 174. ſqq.

ad ſacra Christiana profitenda ſenſim adducebantur.

Hujus aetatis indolem et characterismum expresſit hierarchiae conditio, quae primum civili imperio ſubjecta, postea huic conjuncta, ipſa tandem formam asſumſit civilem: ditionem enim terrestrem in hâc mortalium ſede tenere non recuſarunt illi, qui Jeſu Christi vicarii haberi volebant; hanc vero *St. Petri patrimonium* dixerunt, ut praejudicatae de ſede primariâ, ab illo Apostolo conditâ, opiniones, hâc etiam in cauſâ, vim haberent. Multa autem hâc periodo Paparum facta ſunt atro carbone notanda. Nonnulli enim, ſaeculo maxime decimo, vere *ferreo* dicto, voluptate diffluentes, virtutem ac fidem Christianam, exemplo, quod dederunt, pernicioſo funditus everterunt; licita atque illicita nullo discrimine habuerunt; nihil flagitii, libidinum nihil omiſerunt (1).

Commutata hierarchiae facie, ipſius Societatis Christianae forma commutabatur; omnia enim in doctrinâ disciplinâque ad monarchicam ſedis Romanae rationem informabantur. Manſit tamen hierarchia etiamnunc imperio civili ſubjecta; nec Nicolai I conamina, anno jam 860, qui primus Episcopum *Catholicum* ſe dicens, auctoritatem papalem prae regibus et ſynodis evehere conatus est

(1) Conf. Gieſeler, l. c. II. Band, erſte Abtheilung, pag. 209—215, et auctores ibi citati. Videantur etiam, quae de

est (1); nec illa Johannis VIII (872), qui sibi jus Germaniae Imperatores eligendi competere contendit, satis valuerunt (2); ad tanta perficienda audacioris fervidiorisque ingenii viro opus erat, qui tempore magis opportuno imperium civile evertere eique despotismum papalem superstruere posset. Jam vero, qui talis esset et tanta perageret, exeunte saeculo XI. exstitit Gregorius VII.

de hâc Paparum pravitate narravit Theiner, *Einführung der Priester Ehelosigkeit*, Erster Band, pag. 485. seqq.; et Spittler, l. c. pag. 183. seqq.

(1) Conf. Planck, l. c. Dritter Band, pag. 35. seqq.

(2) Conf. Planck, l. c. Dritter Band, pag. 169. seqq.

COM-

COMMENTATIO

DE QUAESTIONE THEOLOGICA:

Quaenam fuit Hierarchiae Romanae, medio saeculo XI, ante Gregorium VII. conditio et auctoritas? Quam subiit, illo auctore, commutationem?

PARS PRIOR.

Quaenam fuit Hierarchiae Romanae, medio saeculo XI, ante Gregorium VII. conditio et auctoritas?

CAPUT I.

Europae conditio politica, medio saeculo XI.

§. 1.

Disputationis ordo.

Hierarchia et imperium civile tam arcto vinculo conjuncta fuerunt, ut quicunque *illius* conditionem et auctoritatem rite percipere velit, *hujus* vim et ambitum primum exponat necesse est.

 Ve-

Verumtamen non nostrum est consilium, ut hic gentium singularum rationem numeris suis absolutam describamus, sed tantum ut illarum vim in hierarchiam, et hierarchiae in his auctoritatem saeculo undecimo paucis exponamus (1). Quod ut rite fiat, Romae et Constantinopolis, duarum orbis, tum civilis, tum Ecclesiastici, μητρόπολεων, conditio politica et hierarchica *primum* describenda videtur, *tum* vero ceterarum Europae regionum vis et imperium exponenda, ut *tandem* de ipsius hierarchiae singulatim spectatae conditione et auctoritate, medio seculo XI, ex industriâ agamus.

§. 2.

Roma et Constantinopolis (2).

Roma et Constantinopolis, utraque metropolis, de principatu in Imperio et Ecclesiâ non certare non po-

(1) Ad hujus saeculi historiam rite percipiendam optimae frugis sunt historiographi mox laudandi, quos J. Pistorius in bibliotheca duobus vol. contulit, et Francofurti 1583. edidit. Tum Caesaris Baronii, *Annales Ecclesiastici*, Tom. XI. Moguntiae 1606; et opus, ab illo non disjungendum, A. Pagi, *Critica in Annales* C. Baronii, Antwerpiae 1705. Opera tandem L. A. Muratorii, Annae Comnenae, Zonarae, aliorum, lucem haud dubiam in tantis tenebris afferunt.

(2) Occidentalis et Orientalis Imperii Romani conditionem describendam, et utriusque metropolis, Romae et Constanti-no-

poterant; illa, orbis antiqui quondam decus, ſplendorem ſuum maximam partem amiſerat; effetae erant ejus vires, ſed, occidentis ſolis inſtar, ſeſe contemni aegre ferebat, quippe quae coli conſueverat, et colebatur etiam nunc a multis; haec, ſol velut oriens, Imperii Romani nova metropolis ſurgebat; ſitu amoenisſimo Europae Aſiaeque praeesſe videbatur, et robore ac ἐνέργειᾳ, quae ibi vigebant, plurimorum animos allexerat; ſimul cum Imperatoribus aulicos, magistratus, doctiores ad ſe traxerat, atque ad ſummum potentiae gradum pervenisſet, niſi opportunitates externae obfuisſent eodem tempore, quo Hierarchiae Romanae faverent multa. Roma enim, quae ſuis orbata fuerat inſignibus, ad novum jam ſplendoris gradum perveniebat illius Religionis ope, quam per tria fere ſaecula tam acriter impugnaverat; Conſtantinopolis contra, quae in orbe christiano primarium occupaverat locum, non modo non potuit invalescenti hierarchiae Romanae ſeſe opponere, ſed, postquam primum ab illâ ſchismate distracta fuisſet, tandem magis magisque corruit (1); quod, quomodo factum ſit, fuſius narrare juvat.

Po-

nopolis, fata primo loco exponenda esſe existimavi, ut deinceps, de vinculo Hierarchiam inter et civile imperium disputantes, de ſola Hierarchia *Romana* et Eccleſia Christiana *Occidentali* ageremus.

(1) Imo infelicisſima, ſaeculo XV, infidelium metropolis evaſit.

Poteſtatis ſpecies, quam ad ſaeculum VIII usque in Episcopos Romanos exercuerant Imperatores Orientales, non tantum prorſus evanuerat (1), ſed postquam Papae, Pepino et Carolo magno auctoribus (755 et 800), dominium civile nacti esſent, adauctae ſuae auctoritatis effectus, in Oriente etiam, re et factis oſtenderunt. Nicolaus enim I. (860) in litibus, quae unam Conſtantinopolitanam ſedem ſpectabant, Photium inter et Ignatium (2), ſupremum judicem ſeſe gesſit, et Johannes VIII. (872) in ipſos Imperatores ſe erigere coepit. Eo autem facilius Pontifices Romani prae Conſtantinopolitanis tanta jura ſibi arrogare potuerunt, quo magis metu vicinorum Muhamedanorum, jamjam adventantium ac animos efferentium, Graeca Eccleſia torpescere ac ſenescere videretur; terrore enim et ignavia afficiebantur omnes, qui Islamismum, religionis Christianae adverſarium acerrimum, in Aſia ſenſim invalescentem et Europae minitantem cernebant (3). Litibus porro cum Latinis ſedis Conſtantinopolitanae vires exhauriebantur; haeretici enim habebantur qui, ab Eccleſiâ catholicâ

re-

(1) Conf. Planck, l. c. II. Band, pag. 714. ſeqq.

(2) Conf. Gieſeler, l. c. II. Bd. Erst. Abth. pag. 291. ſeqq. et Theiner, l. c. I. Band, pag. 571. et Spittler, l. c. pag. 180.

(3) Conf. Annae Comnenae, *Alexiados*, Lib. I. pag. 3. in corpore Historiae Byzantinae Phil. Labbei, Tomo XII.

recedentes, huic ſalutis matri renitebantur. Praeterea Papam Romanum Europae pars, quam ſibi ſubjectam tenebat, adjuvabat; Patriarcha vero Byzantinus foris omni ope destitutus erat, nam in Aſiâ, non ipſa viguit doctrina Christiana, ſed ſectae tantum Jacobitarum, Nestorianorum, aliorumque disperſae aderant, quas Muhamedani mercaturae cauſâ ferebant potius, quam tuebantur.

Medio tandem ſaeculo XI, Michaelis Caerularius, animo erectior Patriarcha, duas ſcripſit epistolas, quibus probare conabatur Romanae Eccleſiae doctrinam a genuinâ Christianâ esſe alienam ac Graecae plane oppoſitam (1); primo, quod Latini pane azymo, Graeci vero fermentato in Coenâ Sacrâ uterentur; ſecundo, quod Papa ſacerdotum nuptias disſolverat (2); tertio, quod jejunium, die ſaturni antiquis canonibus vetitum, Latinae Eccleſiae ſociis praeſcriberetur, aliaque plura. Papa Leo IX haec non redarguit, ſed regis inſtar ad Imperatorem, Conſtantinum Monomachum (1053), legatos miſit, Fredericum Archidia-

(1) Conf. Theiner, l. e. II. Band, lſte Abth. pag. 85. ſeqq. et Spittler, l. c. pag. 199.

(2) Eccleſia videlicet Graeca ſacerdotes post acceptum ſacerdotium uxorem ducere prohibebat; ſed, ducta uxore antequam fierent ſacerdotes, ad divortium eos non cogebat. Conf. Theiner, l. c. pag. 38. ſeqq.

diaconum aliosque, qui de injuriâ, quam ſedi Romanae Patriarcha intuliſſet, conquererentur, et disruptae amicitiae vinculum reſarcirent. Verum enim vero haud proſpere cesſerunt haecce conamina; legati Romani a Monomacho, id temporis Patriarchae ſuo favente, ne auditi quidem, dimissi ſunt; hi, Conſtantinopoli abeuntes, ſecundum Christi mandatum Apostolis datum (1), pedum pulverem excusſerunt, et iram divinam in perjuram hanc urbem imprecati ſunt (2). Anteaquam vero Romam rediisſent ac irriti ſui itineris rationem Leoni retulisſent, Papa ſupremum jam obierat diem (3).

Ab hoc inde tempore Eccleſia Graeca, a Romanâ ſchismate distracta remanſit, formamque Reipublicae liberaliorem ſibique magis conſentaneam retinuit; hierarchia vero Romana, monarchicam auctoritatem appetens, aliis vestigiis inſtitit, et Latinorum rationem prorſus expresſit.

(1) Matth. X: 14.

(2) Lambertus Schafnab, *de rebus Germ.* ad annum 1053.

(3) Conf. Gieſeler, l. c. pag. 305. ſeqq.

§. 3.

§. 3.

Europa meridionalis.

In meridionali Europa hîc fpectamus potisfimum Italiam et Hispaniam.

Italia, medio faeculo XI, in tres partes divifa, a totidem dominorum ftirpibus regebatur; fuperiorem partem, inde ab Ottone I, Imperatores Germanici tenebant; in mediâ auctoritatem fupremam Papae exercebant; in inferiore, prae Saracenis Normanni fenfim invaluerant. — Longobardi, jugi impatientes, iniquo animo Imperatorum dominium ferebant; liberiore animo fefe erigebant, et opportunitatem expetebant, quâ Imperatori fe opponere posfent; rei nauticae peritisfimi, mare, fibi prae Germanis patens, futuram falutis viam, quod re comprobabatur, habere jam coeperant (1).

In mediâ Italiâ Urbem Romam et Exarchatum Ravennenfem, quibus conftabat patrimonium, quod dicebatur, Sti Petri, Papae primum posfederant; fed hanc ditionem idemtidem auxerant. Disfidia fcilicet in hâc maxime Italiae parte inter magnates fubinde oriebantur, qui de dominatione acriter contendebant. Papae his litibus fefe immiscebant, ne eorum auctoritas contemni videretur, et, judicis

(1) Alma lux libertatis in Rebuspublicis Venetiarum et Genuae brevi post oriebatur.

cis partes opportuno tempore agentes, unum alterumve principem contumacem anathemate percutiebant, cujus ditionem, seu in suam ipsi clientelam committebant, seu saltem alteri, dummodo hic beneficii memorem se praeberet, concedebant; ita nonnunquam hostem sibi timendum amoverunt (1). Exemplo sit callida Paparum agendi ratio erga Normannos, de quibus nobis jam agendum est.

Normanni, Europae septentrionalis colluvies, multas regiones, maxime maritimas, piratarum instar, infestaverant (2). E Galliâ orientali in Italiam transierant (1017), cum Guimarus, Salernitanus princeps, a Saracenis obsessus, Robberti Guiscardi, Ducis Normannorum, auxilium implorasset. Saracenis profligatis, Normanni, regionis amoenitate capti, in inferiorem Italiam ultro processerunt; cum vero, fulminum papalium ignari, Sancti Petri patrimonium invadere coepissent, a Papâ primum excommunicati, postea eâ absoluti sunt conditione, ut, tributo promisso (3), Papae se subjicerent, ac, mediâ Italiâ relictâ, in Calabriam Apuliamque, quibus potiri licebat, recederent.

(1) Videatur istiusmodi agendi rationis exemplum in iis, quae de Nicolao II. narravimus, hujus Commentationis Parte prima, Capite III. §. 4.

(2) Tantâ rabie regiones has aggrediebantur Normanni, ut diu post harum incolae precibus addere solerent: *Domine! libera nos a furore Normannorum!*

(3) Tributum erat equus albus additâ exiguâ pecuniae summâ.

rent. Normanni, mandato haud repugnantes, eo ſe continuo contulerunt, easque provincias, Papâ auctore, injuste occupaverunt (1); quid! quod Nicolaus II. jure ſuo Siciliam, quam adhuc retinuerant Saraceni, in antecesſum Normannis promitteret. Ab hoc inde tempore Robbertus Calabriae et Apuliae, atque futuri Ducis Siciliae titulum asſumſit (2).

Hispania incolarum indole, moribus, ac religioſis maxime ſtudiis ad Europam latinam vulgo refertur; medio tamen ſaeculo XI, maximam partem a Saracenis occupabatur. Hi enim, in Galliâ a Carolo Martello devicti (731), in Hispaniam ſe receperunt et hac regione, exceptis Asturiis, potiti fuerunt. Cum vero a communi Muhamedanorum ſede longius abesſent, ſenſim corruit novum hoc imperium; Hispanorum contra animi vicinitate Christianorum indies adverſus Saracenos magis incendebantur; quos parvis primum copiis aggredientes, crebris proeliis ita lacesſiverunt, ut nonnullas tandem provincias recuperarent, quae ſingulae ducibus, Saracenorum victoribus, iisque regis titulo ornatis concedebantur. Exstiterunt deinde praeter

(1) Conf. E. Gibbon, *The history of the decline and fall of the Roman Empire*, Vol. X. pag. 254.

(2) Conf. Planck, a. a. O. IV. I., pag. 63, 64, et ibi nota (6).

ter Asturias, utriusque Castiliae, Leonis, Navarrae et alia regna, de quibus postea disputandum.

§. 4.

Europa Germanica.

Infigni hâc Europae parte non tantum Germaniam, proprie fic dictam, comprehendimus, fed regiones etiam, quae univerfe trans Rhenum et Danubium ad mare Balticum usque fitae funt. His varii principes titulis diverfis praeerant, quorum fingulorum fata recenfere longum est. Ne igitur in his diutius, quam par est, haereamus, Imperii Germanici, cui omnes hi principes magis minusve, medio faaculo XI, fubjecti erant, conditionem copiofius, maxime quod ad hierarchiam adtinet, exponemus.

Otto magnus, Imperator (962) a Papâ, Johanne XII, coronatus, tali titulo dignum erga hierarchiam fefe gesfit; Johannem enim, horrendum illum pontificem, e fede papali (964) ejecit, ac loco ejus Leonem VIII. conftituit (1). Mirum fane accidit Imperatores Germanicos, tantâ auctoritate gauden-

(1) Conf. Planck, III. Band, pag. 262.

dentes, Ottonis exemplum imitari non ſemper fuisſe auſos, cum nonnullos Papas moribus perditis ac vitâ ſcelestâ foedatos viderent; animadvertendum tamen est regimen Germaniae electorale fuisſe, unde ignavia nonnullorum Imperatorum erga Papas et horum audacia, quâ ipſos Imperatores ſaepius aggresſi ſunt, facile explicantur; metuebant illi ne, ſi auctoritati Pontificis Romani reniterentur, anathema ſibi contraherent, quo, exſecratione in ſe concitatâ, alius quis continuo eligeretur; cujus rei documentum luculentisſimum in Henrici IV. vitâ deinceps videbimus. Ceteroquin gens Germanica, pro altiore ſua indole, Imperatorum conaminibus adverſus Papas ſaepe favit; comitia item, in quibus gentis vis maxime erat conſpicua, lubenter principes, hierarchiae abuſibus ſeſe opponentes adjuvabant. His ita ſubſidiis nixus, Henricus III. fortiter erga Papas ſe gesſit; hic, Niger a faciei colore cognominatus, puer quinque annorum Aquisgrani (1) Imperator a patre Conrado II. deſignatus est (2), quo duobus annis post de vitâ decedente, ille in matris clientelam ve-

(1) Patriae nostrae pars, quae ad Galliam Belgicam referebatur, a Carolo inde Magno maxime inclaruerat. Imperatores Aquisgrani ſedem ſuam diu habuerunt, et maximi momenti concilia ibi tunc convocabantur.

(2) Fecit illud Conradus cum morbo gravisſimo urgeretur, ut Imperium electivum haereditario jure ad filium transmitteret.

venit. Deinceps vero, ipſe Imperii habenas tenens (1346), Romam iter fecit, ut lites inter tres Papas eodem tempore ortas componeret; Benedictus enim IX, Sylvester III et Gregorius VI. ſinguli de ſede papali occupandâ acriter contendebant; hos ſimul expulit Imperator (1), Suidgerumque, Epiſcopum Bambergenſem, Papam, nomine Clementis II, deſignavit, eique ſedem Romanam conſtituit. Hic vice ſuâ Henricum Auguſtum coronavit et Romanos jurejurando Imperatori obſtrinxit. Convococato deinceps Romae concilio praefuit Henricus, qui multa emendandae Eccleſiae cauſâ pro arbitrio ita ordinavit, ut univerſus clerus populusque Romanus ejus auctoritatem et ſapientiam venerarentur (2). Cum hic fortis Imperator ſupremum diem obiisſet (1056), impuberis filii loco, Agnes, Henrici vidua, ſummam, quam votis jam ambierat, nacta est poteſtatem; haec, ſuadente Guiberto Cancellario, omnia conturbavit, imperium ſuperbius adminiſtravit, vaſallos, aegre jam ferentes regimen penes mulierem eſſe, vexavit, et brevi diſcordiae ſemina in va-

(1) Conf. Gieſeler, a. a. O. II. Band, I. Abtheilung pag. 176—179; et Planck, a. a. O. III. Band, pag. 387. §. 15 et 16.

(3) De hoc concilio videantur Harduini, *Acta Conciliorum*, Tom. VI. Pars I. pag. 926; et Planck, l. l., IV. Band I. Abschnitt, pag. 11 ſeqq.

variis provinciis sparsit. Hanno tandem, Episcopus Coloniensis simul cum Trajecti et Moguntiae Episcopis res novas moliens, Henricum IV, puerum admodum libidinosum et male institutum, abduxit eumque juvenem (1072), Agnite Guibertoque imperio exutis, ad arripiendam Imperii administrationem adegit (1). Imperator ab hoc inde tempore frustra vitia virtutibus compensavit, ut sibi subjectorum animos conciliaret; vasalli enim, qui superbiâ Agnitis exacerbati fuerant, a partibus matris alienati, filio nunquam addicti fuerunt. En opportunitates ad Hildebrandi consilia promovenda satis accommodatas! (2).

§. 5.

Europa Occidentalis.

Europam Occidentalem memorantes, gentes cis Rhenum sitas cogitamus, quae nec Germanorum nec Latinorum indolem prorsus referentes, ad utrosque tamen quodammodo pertinere videntur. Harum Galli et Belgae meridionales, qui ad Latinos, et Angli, qui ad Germanos proxime acce- de-

(1) Conf. Planckius, a. a. O. IV. I., pag. 88 et 82.

(2) Conf. Theiner, a. a. O. II. I., pag. 162 et 163.

debant, primarium, medio ſaec. XI, tenebant locum. Utriusque igitur regni conditio et fata jam nobis ſunt enarranda.

Regni gerundi onus, quod Caroli magni ſucceſſores pro ſuâ debilitate haud amplius ſuſtinere poſſent, Hugo Capetus (1) non tantum levavit, ſed probante Papâ totum ſibi ferendum ſumſit (987). Hunc qui exceperunt, Robertus II (996) et Henricus I (1031), domeſticis atque inteſtinis litibus impliciti ad imperii ſplendorem parum contulerunt (2). Henricus I. fruſtra Normannorum in Galliâ occidentali invaleſcentium progreſſus cohibere conatus eſt, ab iisque plus ſemel profligatus, Gulielmo Debellatori (1045), Galliae provinciam, quam ab anno jam 912 tenebant, Normanniamque dixerant, concedere coactus fuit. Nec feliciter magis emendationem, quam ſpectaverat, cleri, exſecutus eſt. Henrici filius, Philippus I, qui patri, anno 1060, ſuccedens, ad annum usque 1108 regnavit, diuturno hoc principatu magis, quam praeclaris factis, inclaruit. Vidit enim metuendam jam Gulielmi Debellatoris poteſtatem valde adauctam, cum Dux ille Normannorum Angliam (1067), ſub im-

(1) Conf. Planck, pag. 297 ſeqq.

(2) Regis hujus cum Papâ, Benedicto V. lites de Berthâ uxore dimittendâ fuſe narravit Planck, l. c. III., pag. 331 ſeqq.

imperium ſuum redigeret, neque rex tantae hoſtis futuri fortunae ullo modo obſiſteret. Brevi virium Normannorum increſcentium effectus ſenſit Philippus; Angliae enim Debellator in mediam Galliam arma tulit, et totâ regione fortasſe potitus fuisſet, niſi mors victorem intercepisſet. Eundem Philippum erga Gregorium ignaviter se gerentem, in altera hujus commentationis parte inveniemus (1).

Anglos, ut jam diximus, Germanorum indolem, magis quam Gallos, retulisſe, cuicunque utriusque gentis mores, characterem et fata reputanti facile patebit. Ex ſeptem regnis, *Heptarchia* dictis, in hâc regione a Saxonibus conditis (440), unum, auctoribus Danis, exſtiterat regnum (1017). Ultimus ex ſtirpe Danorum rex fuit Eduardus (1043); quo ſine prole defuncto, Anglia rurſus cuicunque magna ſuscipienti ac fortuna fidenti patebat. Talem opportunitatem negligere non erat Normannorum; Guilielmus ita continuo hanc regionem cum copiis haud contemnendis aggresſus est, et, devicto Milcolumbo, Scothiae rege, expulſo competitore Edgardo, occiſo aemulo Heraldo, regnum ſibi ſubegit Anglosque plus ſemel rebellantes domuit. Pacatâ tandem hâc regione, res publicas ordinavit, animos ſedavit, et *Treugae* edictum, quo certis diebus jus privatae vindictae exercere vetabâ-

(1) Conferatur hujus Commentationis Part. II. Cap. II. §. 4.

batur promulgavit (1); has autem leges linguâ Normannicâ, quam fubactae genti obtrudere volebat, edidit (2). Anno 1087 diem fupremum obiit et regnum Guilielmo, cognominato Rufo, reliquit.

Victorem ingenio rebusque fecundis ferocem offendere non erat ex re Gregorii VII; circumfpectius ita Debellatorem tractavit; fed vel fic tamen non adeo industrius ac follers fuit, ut Normannorum Ducis benevolentiam captaret; disruptam enim concordiam inter Papam et Guilielmum deinceps videbimus (3).

§. 6.

Europa Septentrionalis.

Paucis, quae de hujus Europae partis conditione, medio faeculo XI, memoranda funt, abfolvemus, quandoquidem hae regiones nullam fere vim in res hierarchiam fpectantes hoc aevo habuerunt. Septentrionales enim Europae gentes, anteaquam, fautore Ludovico Pio, praecone Ansgario (826) et Viscelino (866), religionem Christianam accepisfent, vix nisi rapinis alibi innotuerant.

(1) Conf. fupra, Part. I. Cap. III. §. 3.

(2) Hinc lingua Anglica ex Anglo-Saxonicâ, Danicâ et Normannicâ conflata est.

(3) Videatur fupra, Part. II. Cap. II. §. 4.

rant. In Scandinaviâ partim habitantes, Sueci, Norvegi, Dani, seu universe *Normanni*, dicebantur; partim in Russia ad Lapones, Finnos, Lithavos aliosque referebantur.

Horum barbarorum principes vel duces nonnulli famam facinoribus extenderunt; in his maxime Canutus, Danorum rex, inclaruit, qui, occiso Ethelrede (1014), Angliam invadens, et, depulso Olao (1018), Norvegiam depopulans, cognomen Magni adeptus est. Melioris conditionis auctor exstitit Wladimirus, Russiae Dux (987); sacra Ecclesiae Graecae amplexus, gentis suae mores religionis Christianae ope emendavit, quod regina Helena (941), ejus mater, et Adelbertus, praeco a Germaniae Imperatore missus, efficere frustra tentaverant (1). Successus tamen magis diuturnos habuissent Wladimiri conatus, nisi ipse coeptis nocuisset; dividit nimirum (1015) regnum suum inter filios, qui, dissidia inter se moventes, plebis imbecillitate ad suum commodum abuti magis, quam hujus emendationi inservire studuerunt. — Melius res in Sueciâ cecidit. Olaphus, hujus regionis rex, multum ad religionis Christianae in remotâ hâc Europae parte propagationem contulit (1019). Quâ in re feliciter Sigfridi, Episcopi, ope usus est, qui non tantum inter Suevos op-

(1) Conf. Gieseler, *Kirchengeschichte*, II. Bd. I. Abth. pag. 274.

optimae doctrinae cognitionem egregie promovit, ſed etiam, ut fides in Norvegiâ et in adjacentibus inſulis disſeminaretur, praeclare curavit.

De disſidiis Boleslaum I, Poloniae regem inter et Gregorium VII. dicere non hujus est loci.

Ceterum novi illi religionis Christianae asſeclae, doctrinae loco Pontificis Romani auctoritatem et Eccleſiae catholicae efficaciam nunquam non praedicari audientes, non tantum hierarchiae paruerunt, ſed ſaepe ſervorum inſtar ei fuerunt obſtricti.

§. 7.

Europa Orientalis.

Quod antea de labante Graecorum imperio et de Turcis in Europâ orientali invalescentibus diximus e politicâ utriusque gentis conditione manifesto probatur.

Conſtantinum Monomachum, cujus lites et ſchisma cum Eccleſiâ Romanâ jam expoſuimus (1), Theodora uxor excepit (1054). Fuit illa mulier prudentisſima, quae ipſa jus dicens legatosque audiens bene de imperio meruit. Aulicorum tamen ſua-

(1) Vid. hujus Commentationis, Pars I. Cap. I. §. 1.; et Theiner, *Einführung der Priester-Ehelosigkeit*, II. B. I. Abth. pag. 34 ſeqq.

ſuaſu Michaeli Stratioto ſeni ſocietate ſe junxit (1059), ut ſub hujus nomine imperium adminiſtraret; Michaelis contra, ipſe dominandi ſtudio ductus, pro lubitu et arbitrio omnia ordinavit, ſenatum honorifice, plebem clementer, milites vero juſto asperius tractans, hòrum in odium incidit, qui ducem ſuum, Iſaacum Comnenum, Imperatorem crearunt (1057). Hic inſignis dynaſtiae auctor, admodum ad avaritiam pronus, fiscum diſſolutiore liberalitate et coenobiis exſtruendis donandisque exhauſtum reddidit; majora praeſtitisſet, niſi omnia uno impetu efficere voluisſet. Anno jam 1059, dignitatem abdicavit et imperii habenas Conſtantino Ducae commiſit, qui, alienus a bello, Turcas, non militum ope, ſed pecuniae vi arcendos esſe duxit; verum enim vero, ut alio modo ſumtibus parceret, milites demiſit, atque ita futuris Turcarum jam adventantium progresſibus egregie favit. — Eudoxiae uxori ac tribus impuberibus filiis (1), imperium reliquit (1067); cum haec ſe hoſtibus ubique imminentibus imparem videret, forti ac bellicoſo viro, Romano Diogeni, nupſit (1068), qui cum Turcarum Sultano continuo conflixit (2); infeliciter vero dimicans, ipſe vulneratus et a Turcis captus eſt. Huic tandem ſucceſſit Michaelis VIII. qui

(1) Conf. J. Zonaras, Cap. 9.

(2) Idem l. l. Cap. 9 et 10; in corpore *Hiſtoriae Byzantinae*, a Hier. Walsio, confecto, Tom. III. pag. 175.

qui musis magis quam armis deditus parum hoc tempore imperio profuit, ac in odium procerum incurrit.

Orientalium fortitudo longe vires hujus Imperii, in ruinam proni, excedebat; locum ita primarium, quem appetebant, in ipsâ Graeciâ brevi capessiverunt. Orientales enim, phantasiâ et fanatismo ducti altioraque spirantes, ad magna quaeque praestanda impellebantur, religionem his studiis faventem habebant, et, sacram tunc viventes aetatem, Europam saltem orientalem ad sua placita adducere studebant (1). Quomodo igitur ruens Graecorum imperium (2), cum talibus hostibus colluctans, eodem tempore tantis hierarchiae Romanae opibus, tanto ambitui, tantisque subsidiis adversari potuisset?

(1) Operae pretium est animadvertere Turcarum hâc aetate in Graeciam invasiones cruciatarum expeditionum, hujus saeculi fine a Christianis susceptarum, sacram fanaticamque rationem prorsus retulisse.

(2) De tristi Graecorum imperii conditione videatur Annae Comnenae, *Alexiados*, Lib. I. pag. 3; in corpore *Hist. Byzantinae*, Phil. Labbei, Vol. XII. Conf. Gibbon, l. c. Vol. X. pag. 348 seqq.

CA-

CAPUT II.

Hierarchiae Romanae, medio saeculo XI. conditio et auctoritas universe spectata.

§. 1.

Hierarchiae Romanae conditio.

Haud diu remansit apostolica illa et aurea regiminis forma, quam primi religionis Christianae doctores, monitis potius paternis, quam legibus jure suo latis, constituerant; auctoritatem, quâ usi fuerant Apostoli ne quid detrimenti coetus caperent, sibi propriam a Spirituque S^to^ datam, primis jam Ecclesiae saeculis nonnulli viri, ceteroquin plurimum venerandi, sibi vindicarunt. Cum hi vero sacro-sanctos sese praedicarent, et primarium locum in regundis rebus sacris occuparent, hanc sanctitatis ac principatûs notionem uno vocabulo, ceu titulo, servare cupientes, facile se *ἱεράρχας* et regimen suum *ἱεραρχίαν* nuncupari passi sunt (1).

Eo

(1) Etiamsi hic graecis vocibus usi simus, non est quod in his haereamus, et illorum sententiam sequamur, qui, antiquitatis graecae amantissimi, societatem Christianam initio constitutam Rerumpublicarum veteris Graeciae rationem *prorsus* retulisse volunt. Vocabula nimirum, qnibus regiminis forma et dignitatis gradus in Ecclesiâ designabantur, erant graeca, gu-

Eo pervenerat hierarchia illa, medio saeculo XI, ut Ἐκκλησία, quae coetus omnium credentium primum dicebatur, ad solos clericos illosque romanos referretur, qui, in hac voce arcani quid invenientes, se Ecclesiam efficere sibi persuaserant. Hi itaque, a ceteris Christianis nomine distincti, vestimentis, vivendi ratione et moribus ab his etiam diversi erant; dignitates, jura, munera immunitatesque sibi in Ecclesiâ vindicabant, et, ut laici sese totos clericis permitterent obsequiumque, ceu unicum officium, iis praestarent, nitebantur.

Omnium vero clericorum primarium locum tenebat Papa Romanus. Fama enim illius *Urbis*, quae tantopere invaluerat, non poterat non, etiamsi ruinam dare videretur, per multa personare saecula, et in animos gentium vim habere magnam; atque aetas sacra, quam hae tunc vivebant, opinionem inveteratam Paparumque commentis diligenter alitam, de principatû videlicet quodam a Petro Apostolo condito, egregie promovebat. Hae aliaeque causae, hic non commemorandae, effece-

gubernationis vero ratio in multis a Graecorum indole erat aliena. Historiae documenta et res ipsa suadent, ut maximam partem e veteri Synagogâ Judaicâ hanc formam tutius ac verius repetamus, licet Graecorum studia in hâc causâ non sint rejicienda. Vid. de hâc re Muntinghii, *Hist. Eccles.*, Periodi I. Cap. II. §. 7; et van Heyst, *Dissertatio de Judaeo-Christianismo*. pag. 14.

cerunt ut universa tandem occidentalis Europa decretis Conciliorum statueret: „ Sanctam Romanam et apostolicam sedem post Dominum Jesum caput esse omnium Ecclesiarum Dei " (1). Papae, tantam auctoritatem nacti, omnibus eo facilius persuaserunt extra Ecclesiam Romanam nullam esse salutem, ac secundum illam omnes actiones esse instituendas; ita sensim hujus Ecclesiae assectis libertas cogitandi ac sentiendi fere ademta est; charitatis, quae vinculum Christianorum omnium esse debebat, locum occupavit monarchia illa, cui omnes subjecti essent, quamque centrum commune haberent. Unitas ita Ecclesiae, quae doctrinam spectaverat, ad solam jam hierarchiae unitatem referri videbatur. Clerici, qui antea populi favorem venati fuerant, hunc ne attendebant quidem; laicorum auctoritati in Ecclesiâ sensim repugnabant, et principum imperium in rebus sacris, etsi minime neglectum, certe clericorum imperio postponebatur. Hierarchiae Romanae administri, rebus suis lautis prospicientes, crassâ, quae tunc grassabatur, superstitione abutebantur; ritibus, ceremoniis ac diebus festis pietas absolvebatur, atque in cultu hisce referto omnes requiescebant (2).

Or-

(1) Sunt ipsa verba decreti a quatuor conciliis lati, seu confirmati. Conf. Villers, *Essai sur la réformation de Luther*, pag. 388 et 389.

(2) Conf. Gieseler, l. c. pag. 209—215.

Ordinatio clericorum, mysticâ ratione conſtituta, unum corpus ex variis dignitatis gradibus conſtituebat; omnes ita hierarchiae ſocii, honorum cupidi, viam ſibi late patentem videbant, quâ ad auctoritatis fastigium pervenire et dominium in ſaeculares, quod ſibi competere dicebant, tenere posſent. Ut porro huic dominandi ſtudio faveretur, muneribus eccleſiasticis, ad majus coetuum emolumentum primum conditis, alia nullius fere momenti addebantur, quae omnia, ad ſedem Romanam pertinentia, hierarchiam Romanam, non Christianam, effecisſe recte dicuntur. Dividebantur igitur, ſaeculo medio XI, ditiones, quas ſpirituali auctoritate regebant Clerici, in primatus, dioeceſes et archidiaconatus; his accesſerunt parochiae, quibus patroni, tanquam horum coetuum conditores, praeerant (1); hi exinde ſibi jus collationis ſumebant, ac, pretio conſtituto, munera Eccleſiastica nullius pretii hominibus tradebant. Habemus hîc abuſuum litiumque fontem uberrimum, qui nobis postea pluribus est memorandus (2).

Cum hierarchiae indoles *cultûs* et *doctrinae* ratione optime dignoscatur, verbo haec attendere li-

(1) De horum origine Conf. Planck, l. c. II. B. pag. 619—634. de eorum progresſibus, l. l. III. Band, pag. 169 ſeqq.

(2) Conf. quae de Simoniâ ſunt dicenda, hujus Commentationis Parte II. Cap. II. §. 2.

liceat. Pompa in cultu et cultus, pietatis loco, in Ecclesiam medio hoc saeculo maxime irrepserant, et, quae antea moris tantum fuerant, omnibus jam tanquam leges imponebantur. Ex ingravescente superstitione sententiae manabant ineptissimae; de Mariae meritis, de Reliquiarum veneratione, de Sanctorum cultu, absurda quaeque proponebantur (1); Mariam enim alteram Dei hominumque mediatricem, Sanctos multorum millium captivarum animarum redemtores, Reliquias fide ad salutem efficaciores ipsi Christianorum antistites praedicabant (2).

Doctrina hujus aetatis barbariei itidem consentanea erat; de dogmate Trinitatis, quae dicebatur, doctiores in primis acriter contendebant; alii, in his Roscelinus, Tritheismi cujusdam fautores, dicebant in Deo tres animas seu angelos esse recensendos; alii, quorum erat Anselmus, aliâ ratione subtiliter philosophantes, unam tantum in Deo agnoscebant substantiam, tribus tamen personis divisam, quarum singulae varia sibi propria habebant attributa. — Lites de processione Spiritûs inter Graecos et Latinos renovatae sunt, et schismatis, nisi causa, saltem opportunitas evaserunt (3); de satisfac-

(1) Conf. Gieseler, l. c. pag. 245—252.

(2) Conf. Annae Comnenae, *Alexiad.*, Lib. V et VII.

(3) Dicebant scilicet Graeci S. Spiritum ἐκπορεύεσθαι e solo Patre, non e Filio; Latini vero hunc non tantum a Filio dari, μεταδίδοσθαι, sed etiam ex eo progredi.

factione Christi et de praedestinatione accuratius etiam disferuerunt, auctore maxime Anfelmo; de calice, laicis denegando, necne, jam loqui coeperant; fed eo, ut denegaretur, nondum pervenerant (1); de dogmate tandem praefentiae Christi in Eucharistiâ diverfae fuere fententiae, de quibus uberius, haerefin Berengarianam exponentes, disputabimus (2).

§. 2.

Hierarchiae Romanae auctoritas.

Variis hierarchiae aetatibus clericorum dominandi ftudium, temporum opportunitatibus accommodatum, animadvertere jam potuimus; primâ enim aetate Christianorum antefignani ubique coetus condiderunt, iisque duces praepofuerunt; fecundâ, principum favorem nacti, hierarchiam jam conftitutam ftabiliverunt; tertiâ tandem hierarchica monarchia exftitit, quae fummo ftudio prae principibus ditionem fuam fpiritualem extendere ftuduit.

Ex barbarorum enim colluvie nova exftiterant reg-

(1) Quae de hac re hujus Commentationis Parte II. Cap. II. §. 5. pag. 73. nota (4), dicta funt, ad hanc fententiam tuendam etiam faciunt.

(2) Conf. hujus Commentationis, Part. II. Cap. II. §. 5. pag. 74 et 75.

regna novaeque gentes, quae, torrentis inſtar, civilia imperia evertentes, Eccleſiastico ſe addixerant; nimirum moralia religionis Christianae placita eorum mentes adverterant, et, cum melioris conditionis ſemina proferrent, ſacra Christiana amplectentes, hierarchiae ſimul imperio ſe ſubmiſerunt (1). Pontifices vero Romani, his opportunitatibus diligenter utentes, monarchiam ſuam indies firmiorem reddere continuo ſtuduerunt (2).

Attamen ſua ſtudia ſiugulae gentes in religionem Christianam transtulerunt, et diverſa pro his ratione ſeſe erga hierarchiam gesſerunt. Auctoritas enim clericorum, quae in Italiâ ſuprema evaſerat, in aliis regionibus, medio ſaeculo XI, magnopere restringebatur; imo tot modis principes rebus ſacris ſeſe immiscebant, tanta jura in Eccleſiam ſibi vindicabant, et vinculo tam arcto praepotentium clericorum dominium cum imperio civili connectebatur, ut multi tunc temporis de Laicorum auctoritate in rebus Eccleſiasticis minuenda, nemo vero de hâc prorſus tollenda, cogitare auſus fuisſet.

Quo rectius de Hierarchiae Romanae auctoritate in variis regionibus diverſâ judicemus, lubet hanc in

(1) Conf. Robertſon, *The history of Charles* V., Vol. I. Sect. I. pag. 65.

(2) Conf. Villers, *Esſai ſur l'influence de la Réformation de Luther*, pag. 398 et 399.

in gente Italâ, Gallicâ et Germanicâ majori minorive jure gaudentem attendere.

Religio Christiana, quae, rite intellecta, optima quaeque ſtudia alit, quae hominum facultates explicat, nec ſinit esſe feros, male adhibita ad ſuperſtitionem et inde ad ignaviam Italos adduxerat; omnes fere ibi dominationi Pontificis Romani ſervili ratione tunc ſubjecti erant, quem ſervum ſervorum Dei dicebant, ſed ſimul tanquam J. Christi vicarium, et S^ti Petri ſucceſsorem inepte colebant. Imperatoris Germanici in Italiâ ab Ottone I. inde auctoritas, et, in ipſo S^ti Petri Patrimonio, factio Thuscana, quae dicebatur (1), Hierarchiae dominium quibusdam limitibus circumscribebant; ceteroquin Papis in hâc regione via ad despotismum late patebat.

Hierarchiae Romanae auctoritas in Galliâ, medio ſaec. XI, nulla fere fuisſet, ſi Caroli, temporum ratione habitâ, vere Magni, ſucceſsores hujus vestigia presſisſent; corruebat vero ingens illud, quod condiderat, imperium (800); tantae ſustinendae moli debilitas Ludovici pii (814) ejusque ſucceſsorum haud par erat. Verum enim vero Papae ſummâ auctoritate in hâc regione nondum pollebant; Galli enim, memoriâ rite tenentes Pon-

(1) Conf. Planck, l. c. II. Band, pag. 246 et 366 ſeqq. Factio haec *Thuscana*, *Guelphorum*, quae Papis favebat, oppoſita, *Gibelinorum* vulgo dicitur.

Pontifices Romanos auctoritatem civilem a Pepino et Carolo accepisſe (1), monarchiae ultramontanae moderandae curam retinere cupiebant; Papae vero, beneficii immemores, ſuam terrestrem ditionem lubentius ex fictâ quâdam Contantini donatione (2) repetebant, et ſummo odio peculiaria Eccleſiae gallicanae jura proſequebantur, quae tamen adverſus Papas in Eccleſiâ univerſe regundâ, in Synodis auctoritate ſuâ convocandis (3), in Christianorum coetibus et Clericorum bonis administrandis nonnulli Galliae reges, adjuvantibns haud raro ipſis Episcopis, fortiter ſibi vindicarunt (4).

Clericorum vero auctoritas in Germaniâ multo magis circumſcripta erat; imo hierarchia ibi civili imperio ſubjecta videbatur; jugo extraneo Paparum repugnabant Germani, qui, cum variis gentibus coalescentes, indolem tamen ſibi propriam retinuerant; imperium illud ſpirituale liberalioribus ſuis ſtudiis et ſenſui justi, quem jam exſerebant, plane adverſabatur. Praeterea imperii occidentalis ſe-

(1) Conſ. Planck, l. c. II. B. pag. 766 ſeqq.

(2) Conf. Gieseler, l. c., II B. Erſte Abth. nota (r), pag. 147.

(3) Johannes VIII. (872) primus contenderat penes ſolos Papas esſe concilia convocare, ſed fruſtrâ; principes, ad Gregorium VII. usque, hoc jus in ditionibus ſuis ſinguli retinuerant. Conf. Planck, l. c. III. B. pag. 412 ſeqq. l. c. IV. B. Erſte Absch.

(4) Vid. Planck, l. c. III. B. pag. 35 ſeqq. et 169 ſeqq.

ſedes illiusque ἐνέργεια, ab anno jam 962, in Germaniam tranſierat, unde hujus regionis Imperatores Paparum eligendorum jus ſibi ſolis tribuebant; porro, ex fundis clientelaribus, ad bona Eccleſiastica pertinentibus, *Investituram* (1) Episcoporum, aliaque multa jura ſibi competere contendebant; etenim clerici, in variis Germaniae regionibus disperſi, multa posſidebant bona, quae, et coenobilia et pastoralia, e donis ſuperſtitione ſeu metu poenarum ultimo vitae ſpatio concesſis, ſeu dolo raptis, ut plurimum, orta fuerant (2). Clerus ita ſenſim rebus politicis immiscebatur, et a principibus haud raro conſulebatur, cum hi illius auxilio, ad bellum gerendum aut pacem ineundam, indigerent. In his ditionibus, quas jure ſuo regebant Episcopi, privilegio fori etiam fruebantur, et lites inter Clericos et laicos dirimendas ſibi ſumebant. Inde patet hierarchiae formam, extra Italiam, ante Gregorium VII, monarchico - aristocraticam fuisſe (3).

(1) De *Investiturae* jure, conf. hujus Commentationis, Part. II. §. 1 et 2. et Planck, pag. 128 ſeqq.

(2) Conf. Planck, l. c. II. B. pag. 196—205, et III. B. pag. 445 ſeqq.

(3) Conf. Heeren, *Gevolgen der Kruistogten* 1823, pag. 65. fine.

§. 3.

§. 3.

Hierarchiae Romanae subsidia.

Varia fuerunt variis temporibus hierarchiae subsidia; in quibus, medio saeculo XI, recensentur cum auctoritas Paparum legislatoria, tum ritus Ecclesiae Romanae sacri, denique monachorum ordines.

Quod ad *primum* attinet, jura, quae e fictis Sardiceni cujusdam concilii (344) decretis sibi immerito adjudicaverant Papae, jam palam et aperte, ope Canonum, saeculo IX ortorum, sibi vindicabant; haec supremam ei tribuebant auctoritatem in causis cognoscendis, in litibus dirimendis, et in Episcopis eligendis. Excitabant ita clericos, ut a judiciis civilibus ad Romanum Pontificem provocarent, omnibusque universe perfugium offerebant (1). Ex iisdem Canonibus Episcopi pallio, tanquam debitae obedientiae signo, a Papis ornari, horumque ad usum tributa Sti Petri, quae dicebantur, solvere debebant. Cum vero sese judices supremos fallique nescios praedicarent Papae, concilia oecumenica magis magisque evanuerunt; in tali enim regimine monarchico senatu haud opus erat; doctrina videbatur constituta, et decreta jam lata legum vim

(1) Conf. Planck, l. c. III. Band, pag. 531 seqq. et 805 seqq.

vim habebant; quod si novis decretis opus esset Papis, mox pseudo-decretalia, ante multa saecula conficta, forte fortunâ inveniebantur (1). Synodi provinciales, quae auctoribus Papis indicebantur, ad solas fere haereses in Ecclesiâ ortas, non vere ad societatem Christianorum universam, attendebant; haeretici enim habebantur, qui, religionem Christianam profitentes, partim a catholicis Romanis discrepabant; quin et illos futurae salutis expertes dicebant, cum extra Ecclesiam, salutis matrem, viverent. Aliis telis populi contumaces, aliis principes, auctoritatis papalis adversarii, petebantur; anathemate hi, interdicto illi continuo percutiebantur (2). Praeterea Papae in singulas regiones vicarios seu officiales mittebant, qui hierarchiam semper et ubicunque vindicare latiusque extendere conarentur. Hi, e mandatis suis, rebus alienis se immiscentes, iisque auctoritatem papalem nimis superbe interponentes, ipsorum Episcoporum querelas nonnunquam excitarunt.

Porro Ecclesiae Romanae ritus auxilium hierarchiae progressibus praebebant validissimum. Reditus Clericorum, ope missarum, sacrificiorum, aliorum, in dies augebantur; bona Ecclesiastica sacra esse videbantur, atque ita a tributis, exactionibusque immunia;

(1) Vid. Gieseler, l. c., II B. I. Abth. pag. 135—147; Planck, l. c. pag. 800 seqq.; Spittler, l c. pag. 175 seqq.
(2) Conf. Planck, l. c. II. B. pag. 311. §. 7—11.

nia; unde exſtitit fiscus ingens Eccleſiasticus, qui reſervationibus, indulgentiis, et innumeris privilegiis ſenſim cumulabatur. Confesſione auriculari clerici arcana quaeque facinora perſcrutabantur, intimorum uniuscujusque conſiliorum conſcii fiebant, et omnia hâc ratione patefacta ad maximum adhibebant hierarchiae commodum incrementumque, quod inprimis ſpectabant; inde oriebatur discrimen inter peccata privata, quae ſoli confesſori innotuerant, et publica, quorum et alii haud ignari erant. Disciplina inani conſtabat poenitentiâ, quae, nomine Dei impoſita, ab hominibus pro lubitu ſolvebatur; praestitis jejuniis, peregrinationibus ac precibus iteratis, horrenda quaeque flagitia condonabantur (1).

De munere Christianos docendi, quod ad Apostolorum ſuccesſores inprimis pertinebat, Clerici ne cogitabant quidem; imo ſuperſtitionem potius et ignorantiam laicorum alebant, ut ſuam ipſi augerent auctoritatem.

Tandem Monachici ordines hierarchiae haud contemnendum fulcrum poſuerunt; a laicis, ad quos primum pertinuerant, in cleri ordinem ſenſim transiebant Monachi; votis obedientiae, paupertatis, castitatis

(1) Conſ. Gieſeler, l. c. II. 1. 254 ſeqq.; et in primis Planck, l. c. III. B. II. Abſchn. Cap. VI. maxime §. 5 ſeqq. etiam W. Robertſon, *The history of the reign of Charles* V. Vol. I. Sect. pag. 25. et ibi nota 11.

tis atque ordinem non relinquendi, ſocietati ſuae ſinguli erant adſtricti, ſed univerſi ordines indole ſua arctius cum hierarchia conjuncti erant; in omnes partes dispergebantur; ſpecioſa ſui abnegatione plebi maximopere ſeſe commendabant, et ita ad pomoeria Paparum asſidue extendenda, quod maxime ſpectabant, aptisſimi erant (1).

CAPUT III.

Hierarchiae Romanae, medio ſaeculo XI. conditio et auctoritas ſingulatim ſpectata. Papae ante Gregorium VII, ab anno 1049 *ad* 1073.

§. 1.

Leo IX, (1049—1055).

Defuncti Damasci II. (1048) Bruno, Episcopus Tullenſis, a cognato ſuo, Henrico III, Germaniae Imperatore, in ſynodo Wormatensi ſuccesſor eligebatur. Hic ipſe, natione germanus, illico Romam iter fecit, ſed antea, quam Alpes transgrederetur

(1) Conf. Theiner, l. c. I. B. pag. 105 ſeqq.; et II. B. I. Abth. pag. 201.

tur, aliquamdiu in monasterio Cluniacensi moratus est, ubi familiaritatem cum monacho hujus ordinis, Hildebrando, contraxit, cujus morum austeritatem, indolis prudentiam ingeniique acumen miratus, eum itineris ac futuri muneris socium assumsit (1).

Cum Bruno, Leonis IX. nomine deinceps designatus, a populo Romano in dignitate suâ, suadente Hildebrando, confirmatus esset, convocato Remensi concilio (1049), simoniam et alia clericorum vitia tollere conatus est (2); egit praeterea de ministeriis ecclesiasticis et altaribus, quae a laicis tenebantur, de pravis consuetudinibus ab his in ecclesiarum atriis inductis, aliis (3); vetuit tandem ne quis Clericorum arma militaria gestaret aut mundanae militiae deserviret (4). Brevi post suo ipse exemplo ostendit, quatenus tale quid in cle-

(1) Otto Frisingensis *Chron.*, Lib. VI. Cap. 33.

(2) Ut ita clericos decretis emendare conaretur, Leo anno 1046 ab Henrico III. impellebatur, qui Romae idem frustra tentaverat.

(3) Ut his abusibus finis imponeretur, Leo symboli speciem edidit, quo fides catholica stabilis et immota haberetur; hoc symbolum quatuor conciliorum auctoritate nitebatur, quae veluti quatuor Evangelia esse veneranda ipse profitebatur. Vid. ejus epistola ad Petrum, Episcopum Antiochenum, quae est quinta in Harduini, *Actis Conciliorum*, Tom. VI. Part. I. pag. 952; et Concilii Remensis acta, ibidem, pag. 994.

(4) Conff. Concilii Remensis acta, in *Actis Conciliorum*, Harduini, Tom. VI. Part. I. pag. 1007. Can: VI.

clericis vituperaret, et quomodo factis leges, quas promulgaverat, obſervare ſtuderet.

Normanni enim, in Italiam ſenſim procedentes et ad ditionem Papae civilem accedentes, in Apuliam impetum fecerunt. Leo autem excommunicationis, anathematis ac interdicti fulmina adverſus hos barbaros irrita videns, copias ab Henrico III. efflagitavit, quibus impetratis, expeditionis cujusdam ſacrae ducem ſe praebuit, atque, in prima acie verſans, continuo adverſus hostem agmen duxit (1053); ſed haudquaquam felici ſuccesſu, nam praelio cum Normannis prope Beneventum commisſo, profligatus est Papae exercitus, et, ipſe primum captus, victorum clementiae ac ſuperſtitioni ſalutem libertatemque debuit (1).

Sub hoc etiam Papâ magnam cladem, de quâ jam egimus (2), ſubiit hierarchia, quum, ſchismate Graecam inter et Latinam Eccleſiam orto, omne vinculum a Michaele Caerulario, Patriarchâ Conſtantinopolitano, distraheretur (1053). Leo IX, infelici hoc controverſiarum a ſe motarum exitu nondum deterritus, novarum cum aliis altercationum auctor fuit, decreta de praedestinatione, de gra-

(1) Sic Llorentius, *Portraits des Papes*, Tom. I. pag. 331. Planckius vero aliter rem propoſuit, l. c. IV. B. I. Abſchn. pag. 61 et 62.

(2) Conf. hujus Commentationis, Part. I. Cap. I. §. I; et Theiner, l. c. II. B. I. Abth. pag. 35 ſeqq.

gratiâ, de animâ et de conciliorum auctoritate satis inepta edens, quamvis bono, ut videtur, consilio (1).

Etsi natione Germanus, gentis suae indolem minime expressit Leo; homo fuit turbulentus, acer atque inquietus, qui nunquam a futilibus laboribus susceptis requiescens, ad hos tuendos peragendosque prudentem Ecclesiae gubernationem, quam omnes desiderabant, neglexit.

§. 2.

Victor II. (1055—1057).

Post multa de novo Papâ eligendo dissidia, quae per integrum annum duraverunt, clerus Romanus Leonis IX. successorem, qui Henrico III. proponeretur, designandi curam Hildebrando, id temporis subdiacono, mandavit, qui Gebehardum, Episcopum Eichstadtiensem atque intimum Imperatoris consiliarium, nomine Victoris II, ad hoc munus obeundum Romanis obtulit (2). Quod non nisi aegre assensu suo confirmavit Imperator (3), quum,

(1) Conf. Venema, *Eccles. Hist.* Tom. V. pag. 581.

(2) Hoc ab Episcopis Moguntiae congregatis factum fuisse haud accurate dixit Hermannus Contractus, in *Chronographiâ*, ad annum 1054. fine.

(3) De hâc Gebehardi, ad sedem papalem electione conferatur omnino Planck, l. c. IV. I. Abschn. pag. 47—51.

quum, et in inftituendo filio fuo, et in imperio administrando Gebehardi auxilio fibi opus esfet. Nonnulli hunc etiam invitum ad Episcopi Romani dignitatem evectum dixerunt; vel fic tamen Gebehardus ftatim Romam fe contulit, atque ibi, auctore Hildebrando, antequam munus obiret, confirmationem populi ac cleri Romani postulavit. Synodo deinde Florentiae convocata, (1055) fimoniam ac Ecclefiae bonorum alienationem, interpofita excommunicationis poena, prohibuit (1), fed decreta exfequenda imbecillius curavit (2).

Henricus III, jam moribundus, Victorem II. ad fe rurfus accerfivit, ac filium fuum, futurum Henricum IV, in hujus clientelam commifit. Post obitum vero Imperatoris (1056), Papa honorifico hoc munere haud diu functus est; ipfe enim, postquam per duos tantum annos papatui praefuisfet, dumque multa ad maximum Imperii commodum (3) Ecclefiaeque emendationem animo ver-

(1) De hoc concilio videantur Harduini, *Acta Conciliorum*, Tom. VI. Part. I. pag. 1039; conferatur etiam Petri Damiani epistola, quae est in illius operibus a Cajetano collatis, Epist. Lib. IV. Epist. 12. Tom. I. pag. 123.

(2) Conf. idem ad Victorem II. l. c. Epist. Lib. I. Epist. 5. Tom. I. Pag. 6.

(3) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Abfchn. pag. 54. et, quem Planckius ibi citavit Lambertus Schafn. ad annum 1036.

verſaret conſilia, Florentiae morbo correptus, de vitâ migravit (1057).

Vir ille ſatis ſtrenuus, valde pius nec parcus fuit religionis cultor; vitam asperrimam degit; plura vero perfecisſet, niſi mors eum rebus inchoatis abripuisſet.

§. 3.

Stephanus IX. (1057—1058).

Victorem II. Florentiae morantem, Fredericus, Ducis Lotharingiae filius, monasterii Montis-Casſinenſis Abbas, de injuriis a Comite Tianenſi ſibi illatis expostulatum adiit; Papa Abbatem ſibi perplacentem non tantum a Comite vindicavit, ſed eum ad Cardinalis dignitatem evexit ac Romam ſecum duxit. Fredericum huncce, Victore fatis functo, populus Romanus, apud quem gratiâ florebat, Papae ſuccesſorem deſignavit; ille vero, intima mentis conſilia disſimulans, hanc dignitatem abnuit; quamobrem, adhibitâ vi, domo ſua ad S[ti] Petri aedem ductus est, ubi Stephani IX. nomen accepit. Munere ſuscepto, Hildebrandum ad Agnetem, impuberis Henrici IV. matrem, miſit legatum (1), qui cum illâ de optimâ viâ ageret, quâ cle-

(1) Lambertus Schafnaburg. *De rebus Germanorum*, ad an. 1058.

clerici, voluptate diffluentes ac pravisſimis libidinibus dediti, ad ſaniorem tandem mentem adducerentur. Cum vero ipſe Papa huic emendationi operam daret, ac ſimul, tum de fratre Godefrido, Tusciae Duce, ad Imperatoris Germaniae dignitatem evehendo, tum de Normannis ex Italiâ expellendis ſerio cogitaret, mors eum Florentiae intercepit (1058) (1).

Stephanus IX. per integrum fere annum ſedem papalem occupavit, ſed, brevi hoc temporis ſpatio, animum honoris cupidum ac magna ſuscipientem conſilia palam et aperte prodidit.

§. 4.

Nicolaus II. (1051—1061).

Nonnulli Romanorum proceres ſuis commodis, abſente Hildebrando, conſulentes, Joannem, Veletri Episcopum (2), Benedicti X nomine, Stephani ſuccesſorem clam creaverunt (1058). Hildebrandus vero, e Germaniâ reverſus, hac de re certior factus, Florentiae moratus est, ut ibi

(1) Conf. Planck, l. c. IV. B. pag. 55; et de Normannis a Stephano ex Italia expellendis, idem ibidem, pag. 63. nota (4).

(2) Hunc turbulentae indolis Episcopum dixit Planckius, l. c. IV. C. I. Ab. pag. 57.

ibi populi Romani animum erga novum Papam perciperet et confilia eventis ponderaret. His cognitis, Hildebrandus Siennam Romanos Episcopos convocavit iisque Gerardum, Florentiae Episcopum, fupremi Pontificis munere ornandum obtulit (1). Hic clericis acceptus, populo gratus et ab Imperatore comprobatus, Nicolai II. nomen fumfit, Romam continuo profectus est, et Benedictum ad dignitatem fuam abdicandam coëgit.

Anno 1052 Nicolaus Concilii Lateranenfis auctor fuit, ubi omnibus disfidiis de Paparum electione finem imponere fibi propofuit; quam ob caufam Cardinalium fupremum collegium inftituit (2), penes quod Paparum electio in posterum foret. Cardinalium (3) fcilicet mentio faeculo VIII. jam facta fuerat, qui tunc majorum ecclefiarum presbyteri ac diaconi Romae erant; iidem deinceps fingulis parochiis praefuerunt, fed vel fic tamen femper infra Episcopos habiti fuerant. Ex urbibus

(1) Lambertus Schafnaburg. *de rebus Germanorum*, ad annum 1059.

(2) Vid. Villers, l. c. pag. 411.

(3) Nomen Cardinalium, unde ortum fit, non omnes confentiunt; alii illos fic dictos existimant utpote *Cardines* Ecclefiae; alii rurfum quod proximi esfent *Cardini*, quo moventur omnia, Papae; alii tandem et verius, ut videtur, Cardinales fimpliciter dictos fuisfe putant tanquam *Principales*. Cardo enim apud optimos etiam auctores fignificat, id quod in aliquâ re *praecipuum* est.

bus vero Romae vicinis Nicolaus septem nominavit, ad quos cum Papas, tum clericos, creandi jus pertineret; unde eorum dignitas omnibus aliis, exceptâ Papali, superior evasit. Exstitit ita Curia quaedam Sacro-Sancta, cujus auctoritatem nonnullae gentes, e. g. Galli, majoris quam ipsius Papae fecerunt. Hujus autem instituti vim uberius exponendi in alterâ commentationis parte opportunitatem habebimus (1).

Eodem anno (1059), Papa anathema in Normannos a Leone IX. latum solvit, atque jure suo iis Apuliam, Calabriam et Siciliam, tanquam praedium beneficiarium seu fundum clientelarem, concessit (2); quâ agendi ratione quieti non minus quam potentiae consuluit, cum et hostem infestum amoveret, et jus de orbe terrarum Christiano pro lubitu disponendi sibi competere factis ostenderet (3). Tálem autem concessionem sibi haud necessariam esse probe sciebant Normanni, qui antea jam his regionibus potiti fuerant. Nicolaus vero ita agens, ut, Normannorum auxilio adjutus, sedis

(1) Vim hujus instituti egregie exposuit Planck, l. c. II. B. I. Ab. p. 72—82. — De eodem argumento conf. hujus Commentationis Part. II. Cap. I. §. 2. et Cap. II. §. 2. et Gieseler, l. c. II. B. I. Ab.

(2) Vid. Heeren, *Gevolgen der Kruistogten*, pag. 73,

(3) Hanc callidam Nicolai erga Normannos agendi rationem vi et consiliis Hildebrandi tribuit Planckius, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 60 seqq.

sedis suae adversarios eo facilius sibi subjiceret, procerum Romanorum odium in se concitavit, qui Normannis, Italiae meridionalis legitimis dominis, sese subjici aegre tulerunt.

Ut vero remotiorem Angliam sibi devinciret, Nicolaus cum Rege Eduardo novum iniit foedus (1061), quo amplissima jura coenobio Westmonasteriensi dedit; huic enim, Paparum vice, universae Anglicanae Ecclesiae moderamen tribuebatur (1).

Pietate ac moribus fuit insignis (2). Rationem, quâ per tres annos satis feliciter Ecclesiam administravit, majoribus efferremus laudibus, nisi in his factis Hildebrandum auctorem, uti patebit, haberemus.

§. 5.

Alexander II. (1061—1073).

Cardinales, tumultus de eligendo Nicolai successore metuentes, jure, quod sibi a defuncto Papa datum fuerat, usi sunt, et, suadente Hildebrando, An-

(1) Vid. Pagi ad Baron. *Critica*, ad annum 1051, Tom. IV. pag. 189.

(2) J. Voigt, in opere: Hildebrand etc. pag. 50. valde erravit cum Damiani de Alexandro II. testimonium ad Nicolaum referret. Vid. P. Damiani, Epist. Lib. III. Epist. 4.

Anſelmum, Episcopum Lucenſem, Papam crearunt (1). Agnes, quod ſuam confirmationem non exſpectasſent, aegerrime tulit, quocirca Baſiliae, ubi concilium habebatur, Anſelmum, Alexandrum II. dictum, e ſede papali ejectum declaravit, ac hujus loco Cadolum, Episcopum Parmenſem, Papam creaverunt, qui Honorii II. nomen ſumſit et exercitio ſtipatus Romam misſus est (2). Sed ille devictus et Româ, quam obſederat, pulſus, Parmam discesſit, et in papalibus inſignibus, quae retinuit, amisſae dignitatis ſolamen quaeſivit.

Alexander II, injuriam Henrici IV. ulcisci cupiens, eum accuſavit, quod munera Eccleſiastica venalia fecisſet, legatisque misſis eum, ut cauſam ageret, Romam citavit (3). Ad Imperatorem etiam reſpiciens, penes ullum laicum investiturae jus esſe negavit, et quemcunque clericum a laico hanc accipientem damnavit. Henricus autem, qui tunc in Saxones et Ottonem, Bavariae Ducem, bellum intendebat, hanc rem ad tempus magis opportunum distulit; belloque feliciter gesto, Papae legatos cum minis ablegavit, et ipſe Romam tres miſit le-

(1) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 81 ſeqq.

(2) Gieseler, l. c. pag. 191. Planck., l. c. IV. B. I. Ab. pag. 84 ſeqq. qui hîc Lambertum Schafn. ad annum 1064. ducem ſecuti ſunt.

(3) Referente Ottone Frising, *Chron.*, Lib. VI. Cap. 34.

legatos, qui cum Papâ litigarent, ac Imperatoris vices ibi gererent.

Etiamsi vero Alexander antea Simoniacus diceretur (1), vel sic tamen, Synodo Romae convocata (1063), in clericos Simoniae reos maxime saeviit (2); eodem anno, consanguineorum matrimonia ad septimam usque generationem prohibuit, quae, si fierent, incesta dixit. Quum vero privatis vindictis hoc aevo grassantibus finem decretis imponere non posset, hanc foederis rationem, *Treugam* dictam (3), restituit, quâ in fine hebdomadis, quae memoriam perpessionum Christi instaurabat, a caedibus quisque abstineret; initio vero hebdomadis jus vindictae privatae exercere, agros vastare, domos diripere, urbes flammis dare cuicunque viribus valenti licebat! Eo etiam processit audaciae, ut primus veniam peccatorum plenariam iis concederet, qui vexillum adversus Infideles sequerentur, modo poenitentiam ac re-

(1) Petrus Damianus, irâ in Honorium II. ductus, Alexandrum II. multis laudibus haud satis caute effert, eum dicens: *bene litteratum et vivacis ingenii, sine suspicione castum, in erogandis eleemosynis pium*, Vid. P. Damiani, Epist. Lib. III. Epist. 4.

(2) Hujus Concilii decreta occurrunt in Harduini *Actis Conciliorum*, Tomo VI. Part. I. 1137.

(3) Gallice, *Trèves*; Conf. Venema, *Hist. Eccles.* Tom. V. pag. 614; Planck, l. c. III. B. pag. 535; Millot, *Histoire de France*, Vol I. pag. 339.; Gieseler, l. c. pag. 270 seqq; et Acta Concilii Narbonnensis, in *Actis Conciliorum* Harduini, Tom. V. Part. I. pag. 1034.

resipiscentiam promitterent (1); ab altera vero parte in extrema ruens, omnes, qui edicta sua non exsequerentur, anathemate perpetuo percutiendos esse decrevit, et „ homines severius ob humanam „ legem, quam ob divinam violatam, punire visus „ est " (2).

Eo igitur auctoritatis pervenerat hierarchia, anno 1073; tempora autem praesentia futurarum rerum erant gravida; omnia jam majorem vim spirabant; in Alexandri facinoribus Hildebrandum res pro arbitrio administrantem (3), magna cogitantem, futura praeparantem animadvertimus. Ut vero hunc suo Marte agentem intueamur, desiderio flagramus; ad alteram ita hujus commentationis partem transeamus; ad ipsum Gregorium VII, novae illum conditionis auctoritatisque hierarchicae auctorem, in qua propositae quaestionis versatur cardo, ac optimae spei, quae animum incendit, causa!

(1) Conf. Venema, *Hist. Eccles.* Tom. V. pag. 589. Clar. Kist *over den Aflaathandel* in N. C. Kist en H. J. Royaards, *Archief voor Kerkelijke Gesch.* I. pag. 154.

(2) Quam ob causam Petrus Damianus Pontificem Romanum haud leviter reprehendit in Epist. Lib. I. Epist. 12.

(3) Conf. Planck, loco saepius citato, IV. B. I. Ab. pag. 49

PARS

PARS ALTERA.

Quam subiit Hierarchia Romana, auctore Gregorio VII, commutationem?

CAPUT I.

Hildebrandi vita privata et Ecclesiastica, ad annum 1073.

§. 1.

Hildebrandi vita privata, ad 1048.

Hildebrandus, Senae, seu Saonae, in ignobili Tusciae urbe natus (1), patrem habuit lignarium quemdam, Bonizium, virum conditione sua superiorem, qui, in filio eximias ac prorsus singulares animadvertens dotes, eum variis clericis commisit docendum, inter quos

(1) Platina, *De vitis Pontificum*, pag. 173. De anno, quo natus sit Hildebrandus, nihil constat; quin etiam dubitant nonnulli utrum Senae an Romae natus sit. Conf. Planck, l. l. IV. B. I. Ab. pag. 40 sqq., et Baronius, l. c. ad an. 1073.

quos in primis notandus est Joannes Gratianus, postea Gregorii VI. nomine ad ſedem papalem evectus (1044). Hildebrandus ita, a pueritiâ inde inter clericos verſatus, uſu rerum et experientiâ edoctus est (1), easque tunc imbibit opiniones, quae, tenerâ aetate ſusceptae, per totam vitam animum movent et flectunt, atque ad nulla non ſuscipienda incitant. Eminuit praeterea puer facultatibus praeſtantisſimis, ita tamen ut pro asperiore ingenio magis rebus ſub ſenſus cadentibus, quam intimis animi affectibus, moveretur.

Gregorius VI. (2), ab Henrico III. (1046) dignitate papali privatus, in monasterium Cluniacenſe ſe contulit, quo magistrum ſecutus est Hildebrandus (3). Magnam vim in hujus ingenium hanc rem habuisſe omnino ſuspicari licet; quo magis enim invitus huc iter fecit juvenis, eo etiam

(1) Gregorius, hoc ſpectans, de ſe ipſo ſic loquitur; *Sanctus Petrus a puero me in domo ſuâ dulciter nutrierat.* Epist. Lib. VII. Epist. 23.

(2) Ille Papa a Platina, *De vitis Pontificum*, pag. 167, monſtrum teterrimum iniquius dictus fuit. Conf Ottonis, Friſingenſis, testimonium in *Chron.* Lib. VI. Cap. 32.

(3) Otto Fris., haec narrans, ſatis ingenioſe hunc Lucani verſum citat:

Victrix cauſa diis placuit, ſed victa Catoni

additque hanc cauſam, in quâ ſententia principis et episcoporum praevaluit, Hildebrando ſemper displicuisſe. Vid. *Chron.* Lib. VI. Cap. 32.

etiam acerbius Imperatori ſuccenſuit, a quo e mediâ familiâ ſublatus, e carâ patriâ depulſus, et in exilium misſus ſibi videbatur; quoties praeterea Gratianum de injuriâ, ſibi ab Henrico illatâ, de praepotentium laicorum immani tyrannide, de paparum ſervitute querentem audiret, toties animo fervens Hildebrandus, ubi amici ſortem lugeret, irâ in laicos ferri debebat; nec poterat non rem perpendere, clericorum, quibus addictus erat, ſervitium ſecum reputare, ac ſibi conditionem feliciorem animo informare. Quis quaero harum rerum vim in futura Gregorii VI. facinora neget? Sed illuc revertamur.

Hildebrandus, aliquamdiu in coenobio Cluniacenſi moratus, et ipſe vitam monachicam amplexus est. Conditum erat hoc, anno 910, in amoenâ dioeceſi Matisconenſi a Guilielmo Pio, Arvernorum Duce, eique primus abbas praepoſitus Berno (910) (1). In mediis clericorum vitiis et hierarchiae abuſibus ſeveriori regulâ hoc inſtitutum elucebat; pauperibus aeque ac divitibus patebat; bona voluntas tanquam dos optima a candidatis exigebatur; vota castitatis, caritatis, humilitatis et ſinceritatis in perpetuum erant injuncta (2); qui-

(1) Vid. hujus loci deſcriptionem in P. Damiani *Epistolis*, Lib. VI. Epist. 4. Conf. Planck, l. c. III. B. I Abth. II. Abſch. §. 4.

(2) Vid. Gieseler, a. a. O. II, B. I. Abth. pag. 239 ſqq.

quibus inſtitutis Abbates Berno et Odo (927) ad genuinam regulam Benedictinam, alibi depravatam, monasterium ſuum reducere conati fuerant (1). Hildebrandus autem discendi ſtudio ac conſtantiâ ſuâ in obſervandis regulis praeſcriptis brevi inter monachos enituit; omnes vires eo intendit ut animi pertinaciam pravasque cupiditates ſuperaret (2); et ita jam haec ſeveriora ſuscepit ſtudia, quorum vis in ejus inſtitutis deinceps conſpicua fuit. Nominis celebritatem ſenſim nactus est, ut adeo fama ejus ad Imperatorem, Henricum III, perveniret, qui eum ad ſe accerſivit, et non ſine favoris ſui testimoniis dimiſit.

Nec diu post Hildebrandus ad Prioris dignitatem evectus esſe videtur; hoc enim munere jam fungebatur, quum Leo IX., ab Henrico III. (1048) Papa deſignatus et e ſynodo Wormatenſi Romam proficiscens, monasterium Cluniacenſe adiret (3).

§. 2.

Hildebrandi vita Eccleſiastica, ad annum 1073.

Cum Hildebrandus Leone IX., in monasterio Cluniacenſi morante, familiariter uteretur, hunc ita agen-

(1) Conf. Mabillon, *Annales Bened. etc.* ad ſaeculum V. Tom. I. pag. 68, et ad ſaeculum IX Tom. II. pag. 460.

(2) Otto Frising., *Chron.* Lib. VI. Cap. 32.

(3) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 42 ſqq.

agentem, loquentem et insignia summi Pontificis induentem animadvertit, ac si jam prorsus auctoritate papali gauderet. Hanc opportunitatem ad laicorum prae clericis jura aggredienda, et ad eorum, quae molitus fuerat, periculum faciendum idoneam duxit. Leoni ita persuasit in electione, ab Imperatore factâ, non esse acquiescendum, sed hanc a clero populoque Romano oportere confirmari, anteaquam munus obire liceret, „*illicitum enim esse*, aiebat, *per manum laicam summum Pontificem ad gubernationem totius Ecclesiae violenter introire* (1)."

Papa prudenti viro aures praebuit, callidamque ejus mentem fortasse perspiciens, purpuram statim deposuit (2), ac, peregrinantis habitu sumto, Romam una cum Hildebrando, futuri muneris administro, properavit, ubi unanimo consensu consecratus est (1048). Jam Hildebrandus hoc documento ostendit, quanta animo volveret consilia; non enim ei mens erat, ut supra Imperatores populi Romani auctoritatem extolleret, immo ipse ex industriâ Romanorum in eligendis Papis vim, constituto Cardinalium collegio, funditus evertit: sed majus quid cogitabat vafer monachus; nimirum si populus semel Papam eli-

(1) Sunt ipsa Hildebrandi verba, ab Ottone Frisingensi allata, *Chron.* Lib. VI. Cap. 33.

(2) De omni hâc narratione consulatur Planck, l. l. IV. B, I. Ab Cap. III. §. 3. pag. 44.

eligendi auctoritatem obtinuisſet, haec deinceps facile in Cardinalium collegium conferri poterat (1). Cum Leo hâc agendi ratione populo acceptisſimus esſet, multa grati animi Hildebrando dedit testimonia, eumque ad varia munera Ecclesiastica evexit, „ ita ut quaſi conſors pontificiae dignitatis ſe„ cum videretur" (2). Verum enim vero vitam monachicam non reliquit Hildebrandus, ſed in monasterium S[ti] Paulli Romanum, cujus praelatus creabatur, ſe contulit.

Ibi tamen quiete degere monacho non licuit, nec erat ei animus in monasterio ad vitam tranquillam otiumque ingratum ſeſe convertere. Quum enim, anno 1055, ex auctoritate populi Romani Victorem II, Leonis IX. ſuccesſorem, deſignasſet (3), ſub hoc etiam Papâ potestatem, quâ jam gaudebat, in dies vidit invalescentem. Magni eum faciebat Victor, quumque ſine illius conſiliis nihil alicujus momenti agere vellet, monachum beneficiis ſibi devincire conabatur. Hildebrandus, tunc ſubdiaconi munere fungens, legatus *a latere* in Galliam;

(1) Quod rite jam perſpexisſe videtur Platina, *De vitis Pontificum*, pag. 172.

(2) Verba Platinae, *De vitis Pontificum*, pag. 168. Conf. Venema, l. c. Tom. V. pag. 615. Planck, l. c. IV. B. I. Absch., pag. 40.

(3) Conf. hujus Commentationis, Part. I. Cap. III. §. 2. et Part. II. Cap. I. §. 3.

liam, ubi ſimonia maxime grasſabatur, a Papâ misſus est, ibique tam prosperos habuit ſuccesſus, ut per breve tempus ſimoniam, niſi ſustulerit, fortiter ſaltem represſerit, et clericorum haud paucos ad meliorem mentem adduxerit (1).

Inſequenti anno (1057), Stephanus IX, ad ſedem papalem evectus, Hildebrandum, e Galliâ reducem, ad Agnetem, Henrici IV. matrem, miſit (2), ſed anteaquam iter ſusciperet legatus, Papa documento, nobis omnino memorando, ostendit, quanti jam ponderis in Eccleſia adminiſtranda Hildebrandi ſententia esſet. Stephanus nimirum clerum populumque Romanum convocavit, et ab his postulavit, ut pollicerentur neminem, ſi ipſe obiret, Papam creatum iri, anteaquam Hildebrandus reverſus esſet ſententiamque de futurâ electione dedisſet (3). Sed quamvis Romanorum proceres hoc promitterent, promisſis tamen non ſte-

(1) Etiam auctoritate ſuâ concilium Lugduni hunc in finem convocavit. Conferatur Planck, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 52 et 53.

(2) Llorente prorſus errasſe videtur, cum diceret, (loco ſupracitato, pag. 335 et 337, Tom. I.) Hildebrandum tunc legatum ad Imperatricem Graecorum Conſtantinopolin misſum fuisſe. Conf. Joh. Voigt, Hildebrand, *und ſein Zeitalter*, I. Th. pag. 49 et auctores ibi citati.

(3) Quod diſertis verbis narravit. P. Damianus, in Epiſtola ad Henricum, Episcopum Ravennatenſem, quae est in *Damiani Operibus*, a Cajetano Collectis, Epist. Lib. III. Epiſt. IV. Conf. Planck, l. c. IV. B I. Ab., pag 56.

ſteterunt. Stephano enim eodem anno mortuo, cleri et populi optimates ex auctoritate ſuâ Benedictum X, hominem literarum artiumque rudem (1), Papam crearunt, ut ſuis ita conſulerent partibus. Hujus electionis Hildebrandus certior factus derepente e Germaniâ profectus est, Nicolaum II. Benedicti loco Pontificem ſupremum deſignavit (2), et tantâ jam auctoritate futurus Gregorius apud omnes valebat, ut Romani, continuo cum illo facientes, Benedictum *dignitate papali ejectum declararent*, eumque munus abdicare cogerent. Nicolaus II., ab omnibus agnitus (3), non uno modo voluntatem ſuam erga Hildebrandum demonſtravit, ſed viri beneficia meritis aequiparare ſemper ſtuduit.

Hildebrandus igitur (1059) Archidiaconus et Papae administer creabatur, quibus muneribus tantam poteſtatem nactus est, ut novis facinoribus ſua conſilia promoveret. Hunc in finem Nicolaum II. hortatus est, ut Cardinalium collegium crearetur

(1) Petrus Damianus, haec narrans, hanc de hoc Papâ ſententiam tulit: *ita est homo ſtolidus, deſes, ac nullius ingenii, ut credi posſit, nescisſe per ſe talia machinari*, Epist. Lib. III. Epist. 4.

(2) Conf. Villers, l. c. pag. 410; Planck, l. c. pag. 58 et 59.

(3) Lambertus Schafnaburgenſis, *De rebus Germanorum*, ad annum 1059.

tur, quo lites cum Imperatore de Papis eligendis dirimerentur, atque efficacisfimum vinculum inter civile imperium et facrum folveretur (1). Ab hoc ita tempore Paparum electio penes folos Cardinales fuit, approbatio vero penes populum, et confirmationis honos penes Imperatorem. Novum hoc inftitutum tanti fuit in hierarchiae progresfibus momenti tantamque vim in posterum habuit, ut, fi hoc unum clericorum gratiâ praeftitisfet Hildebrandus, ab his in aeternum coli, a ceteris famofus haberi mereretur.

Vis hujus Cardinalium collegii jam ftatim post obitum Nicolai II. (1061) cernebatur; cum enim varii Ecclefiae atque Imperii ordines de jure novum Papam eligendi acriter inter fe disputarent (2), Hildebrandus eo rem perduxit, ut Cardinales, Imperatoris approbationem haud exfpectantes, Anfelmum Lucenfem, qui ftatim Alexandri II. nomen fumfit, auctoritate ac jure fuo Papam confecrarent. Quâ de re Henricus IV. conquestus alium Papam exercitu ftipatum Romam mifit, fed frustrà; nam jam hac opportunitate fenfit praevalentes magni cujusdam ingenii vires.

Ini-

(1) Videatur de hoc inftituto et Cardinalium nominis etymologiâ quae dicta funt hujus Commentationis, Part. I. Cap. III. §. 4.

(2) Lites et disfidia de novi Papae electione uberius expofuit Planck, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 81 feqq.

Initio papatûs Alexandri, Hildebrandus, Cancellarius creatus, hoc nomine universae fere Ecclesiae administrationem in se suscepit (1). Petrus Damianus ingeniose suam et aliorum de hoc papatu sententiam expressit, hoc disticho Cancellarium allocutus:

Papam rite colo, sed te prostratus adoro,
Tu facis hunc dominum, te facit ille deum.

Hâc igitur ratione, cum per viginti fere annos hierarchiae caput et actor fuisset (2), ad majora quaeque tentanda viam sibi munivit Hildebrandus; et simul experientiam maximam collegit; vidit enim quatuor praedecessorum res, seu prosperas, seu adversas pro consiliis, seu prudenter, seu inconsulte susceptis. In varias regiones legatus missus varia gentium studia scrutatus erat, nonnullas ad libertatem pronas, plurimas vero ad superstitionem proclives animadverterat; et hinc factum ut deinceps Gregorium, ad temporum conditionem respicientem, rerum opportunitates ponderantem, et secundum eas res moderantem videamus.

An-

(1) Conf. Venema, l. c. Tom. V, pag. 615; Planck, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 94 et 95.

(2) Ab anno 1053 ad 1073. Vid Heeren, *Gevolg. der Kruist.* pag. 63; Gieseler, l. c. II. B. I Abth., pag. 182, 183, seqq. Theiner, *Einführung der Priester Ehelosigkeit*, II. B. I. Ab. pag. 159

Antequam hujus experientiae cautique ingenii efficacitatem in Gregoriam VII, Papam, exponamus, viri indolem e jam narratis adumbrare liceat, ut, quae narranda sunt, facilius cum intelligamus, tum Hildebrandi facta ex ipsius ingenio explicare possimus.

§. 3.

Hildebrandi indoles.

Raris Hildebrandum et vitiis et virtutibus excelluisse, universe et ante omnia tenendum est. Hanc animadversionem praemittimus, non tantum ut hoc *κριτήριου* instar sequamur, sed etiam ut regulam quamdam ob oculos habeamus, ne ab una parte praeclaras viri dotes exponentes, ab alterâ vero parte vitia ejus enumerantes, nonnulla secum pugnantia proposuisse videamur.

Fuit sane vasti ingenii homo; astutiâ simul ac perspicacitate summâ praeditus (1), simulandi ac dissimulandi peritissimus; grandia quaeque animo complectebatur, et, quae primum e longinquo prae-

(1) Quis Gregorii epistolas legens de his viri dotibus dubitare possit? Ibi enim semper et ubique invenimus errore abductum Pontificem, sed eundem, doctum, facundum, fervidum, suae causae conscium; ita ut Lamberto Schaf., ad an. 1058, assentiamur dicenti, *hunc fuisse virum et eloquentiâ et sacrarum literarum eruditione valde admirandum.*

praeparasſet ſibique intrepide efficienda ſumſisſet, ſummo perſequebatur ſtudio (1), propoſiti tenax nullis cohibebatur difficultatibus, et ſibi res, non ſe rebus ſubjectum videbat (2). Vir acutisſimus prudentiâ pervicaciam moderabatur (3), nec difficulter, ſi opus esſet, intimos animi motus comprimebat. Nonnunquam etiam ea faciebat, quae primo obtutu a ſcopo, quo tendebat aberrare viderentur, ſed eadem eventu vaferrimi viri conſiliis apprime conducere monſtrabat; ſic e. g. cum ipſi honos novum Papam eligendi deferretur, tales deſignavit qui, etiamſi non omnibus grati, ſuis tamen commodis inſervirent. Cujus rei luculentum habemus documentum in Victoris II. electione; peregrinus Papa Romanis minus acceptus erat, ſed Gebehardus Imperatoris conſiliarius erat; cujus intima propoſita ſcrutatus fuerat, et praeterea gentis Germanicae ſtudia, Imperii ſubſidia, aulae conditionem penitus exploraverat (4). Quum igi-

(1) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 47.

(2) Conf. Gieseler, l. c. II. B. II. Ab., pag. 8 et 9.

(3) Hanc prudentiam Gregorii e narratis, maxime vero e deinceps narrandis apparere putavimus; ſententiam vero Spitleri minus probandam, qui de Hildebrandi rebus geſtis agens, haec addit: *misſchien is ook nog geen ontwerp met meer onvoorzigtigheid uitgevoerd*, l. c. pag. 194.

(4) Haecce conjectura, etſi a Planckii ſententiâ diverſa, nobis tamen tuenda videtur. Vid. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 48.

igitur e nullo alio tanta utilitas Hildebrando oritura videretur, Gebehardus, invitis Romanis, Papa fiebat.

Mirâ ſagacitate ſui aevi ſtudia conſiliaque hominum, quamvis recondita, perſpexit Hildebrandus, ac his haud ſine diligentiâ ingeniique acumine uſus est (1). Rite animadvertit, coelestia majorem, quam terrestria, in animos vim exſerere, et, cum bene teneret, quid ſanctitatis fama apud homines valeat, hanc ſemper venatus est.

Facta tamen ejus animum ſpirabant ſuperbum; per fas et nefas ſuscepta conſilia tuebatur. Hinc Europam univerſam conturbavit bellisque dominii ſui amplificandi cauſâ implevit. Has maxime ob cauſas, dum viveret, alii eum Satanam ex inferis ſolutum dixerunt (2), alii perditionis illum filium, ſe ſuper omnia efferentem, qui in Novo Foedere memoratur (3). Nos vero, niſi alia, conſtantiam ſaltem Hildebrandi miramur, maxime ſi temporum, quibus vixit, et muneris, quo fungebatur, rationem habemus. Quod autem ingenio atque agendi ratione tantopere ſupra ſui aevi homines ſe extolleret, inde ortum videtur, quod in nullâ re operam poſuit niſi in ea, quae ad ſua conſilia perti-

(1) Conf. Heeren, l. c. pag. 69; Planck, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 111.

(2) Et hinc factum ut nonnulli ejus nomen Hildebrand in Helle-brand ſatis inepte commutarent.

(3) 2 *Theſſ.* II. 3 et 4.

tineret, vitamque omnem, ut ea, quae fibi efficienda fumferat, ad finem perduceret, impendit (1).

Nonnulli historici, Gregorio nimis infesti, invidiose eum libidinofum atque in venerem pronum dixerunt; verum ejus castitatem laudaverunt bene multi, qui ceteroquin ei haud magnopere favent (2); praeterea clericos libidinofos in vehementisfimas Hildebrandi reprehenfiones incurrisfe fatis conftat (3). Non est etiam, quod hic Gregorium adverfus illos protegamus, qui eum magiae, divinationis ac necromantiae reum fecerunt; quae criminationes ad illius aetatis barbariem pertinent, fupra quam folus fere Gregorius fe extollebat (4), et notum est talibus accufationibus eos femper fuisfe expofitos, qui aevi fui errores primi depofuerunt, Ul-

(1) Supremam auctoritatem fpiritualem et faecularem jure Papis competere, Gregorium fibi perfuafum habuisfe, ex univerfâ ejus agendi ratione efficimus; cum enim hanc vindicaret, hoc uno argumento femper et ubique utebatur, quod tantam potestatem a St. Petro divinitus accepisfet. Conf. inprimis ejus epistolae, Lib I, Epist. 6 et 7; Lib. II, Epist. 13 et 51; Lib. VIII. Epist. 23. Quis has et alias Gregorii epistolas legens de praejudicatis ejus in hâc caufâ opinionibus dubitare posfet? Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 106 feqq.

(2) Lambertus Schafnaburgenfis, alii.

(3) Videantur et aliae Gregorii epistolae, et in primis illa ad Hugonem abbatem Cluniacens., quae est Lib II. Epist. 49.

(4) Conf. P. Damianus, *Epistolarum*, Lib. II. Epist. 7.

Ultimo vitae ſpatio virum ab acerrimo hoste, Henrico IV, ex urbe ac ſede papali depulſum eundemque propoſiti tenacisſimum invenimus; non integrum vitae, ſed tamen impavidum feriebant ruinae, cujus animi firmitas vulneribus, carcere et exilio fruſtra fuit tentata. (1).

Quod ad externam ejus faciem pertinet, ſtatura brevis fuit; vultus, niſi turpis, animi tamen imaginem eatenus referebat, ut aliud in ore promptum, aliud in pectore clauſum ſemper habuisſe appareat (2).

CAPUT II.

Hildebrandus Papa, ſeu Gregorius VII, ab anno 1073 *ad* 1085.

§. 1.

Hildebrandus Papa creatus. Quamnam in Hierarchiâ commutationem ſpectasſe videtur et quamnam agendi rationem ſecutus est?

Ipſo, quo Alexandri II. funus celebrabatur, die Hildebrandus, qui jam dudum Romanorum favorem

(1) Conf. Heeren, l. c. pag. 75, nota (***), Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 201 ſeqq.

(2) Quam ob cauſam Episcopus Benzo in *Panegyrico Imp. Hen-*

rem ſibi conciliaverat, populi acclamatione Papa postulatus, a Cardinalibus continuo electus est (1). Supremi muneris, quod diu concupiisſe videtur, compos factus, ſimulationis artificio hac jam uſus est opportunitate; idem enim ille, qui, vehementium turbarum auctor, praecedentibus Pontificibus ſuaserat, electionem legitimam ad ſolum populum esſe referendam, ipſe Papa creatus (2), Imperatoris confirmationem, antequam conſecraretur, exſpectare voluit, metuens ſcilicet ut ne ſchisma in Eccleſiâ oriretur (3), ſed re vera, ne per plebis factionem Papa fieri videretur. Scripſit igitur Hildebrandus ad Imperatorem ſe coactum ſuscepisſe Pontificatum, ſed conſecrationem distulisſe donec electionem comprobasſet Imperator; quibus verbis mitigatus Henricus IV. eum ſtatim approbavit (4). Cum ita muneris obeundi veniam impetrasſet Gregorius, conquestus est tandem ſe invitum, quod cre-

Henrici, Hildebrandum ſic deſcripſit: *Protheus est monſtruoſus in diverſis vultibus.*

(1) Conf. Gregorii Epist. Lib. I. Epist. 3; Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 93 ſeqq. Theiner, l. c. II. B. I. Ab., pag. 159.

(2) Conf. Villers, *Esſai* etc. pag. 411.

(3) Venema, *Hist. Eccleſ.*, Tom. V, pag. 615.

(4) Conf. Pagi, *Critica in Baronium*, Tom. IV, pag. 249 N°. VI. Hic ducem ſecutus est Lambertum Schafnaburg. *De rebus Germanorum*, ad 1073. Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 101 ſeqq.

credi cupiebat, ad hanc dignitatem evectum fuisse (1); multos vero hoc ipso tempore querelis illis nullam habuisse fidem, testes sunt, qui de hac re sententiam publice profiteri haud metuerunt.

Ex jam narratis universe efficimus, quod infra uberius patebit, non id spectasse Gregorium, ut novam prorsus hierarchiae daret formam, sed potius ut hanc monarchiam sacram, quae magnâ jam auctoritate in Europâ gaudebat, ad despotismum, atque adeo ad ἀκμὴν suam perduceret; quod ut efficeret, non opus ei erat hierarchiae formam, verum rationem, mutare (2). Neque ita novus ab integro instituendus erat rerum Ecclesiasticarum ordo, sed hierarchia novis fulcienda subsidiis, ac in summum potestatis fastigium evehenda (3); verbo, hoc erat in votis, ut omnia, quae ad Ecclesiam pertinerent, penes Ecclesiasticos essent. Gregorius coelestia, quae tunc dicebantur, terrestribus misceri animadvertens, illa ab his secernere voluit, ut principem ipse locum occuparet. Episcopalia enim munera huc usque Imperii beneficiaria habita fuerant, propter fundos cliente-

(1) Quod ipse Gregorius professus est, *Epist.*, Lib. I. epist. 3 et 39, et Lib. VII. ep. 23.

(2) Vid. J. Febronius, *De statu Ecclesiae*, Tom. III, pag. 59 seqq.

(3) Idem, l. c. Tom. IV. pag. 185 seqq.; et Planck, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 110.

telares iis adjunctos; et Episcopi, munus obeuntes, non Ecclesiae, sed praediorum Imperatoris beneficiariorum curam gerere sibi videbantur; quapropter has potius ditiones servandas esse, quam Ecclesiae adversarios oppugnandos, autumabant (1). Scilicet vinculum hocce Imperatorem inter et clericos primo loco erat solvendum; deinceps hi arctissime hierarchiae erant devinciendi; civile tandem Imperium, si res feliciter caderet, hierarchiae erat subjiciendum (2). Quod cum ageret Gregorius, tantam sibi arrogare studuit auctoritatem, quantam nullus ante ipsum Papa vel cogitare ausus fuerat.

Verum loquentes de Gregorii agendi ratione, non tamen statuendum esse credimus, Papam illum ab initio sibi totum hoc, quod deinde effecit, partibus suis absolutum proposuisse (3). Talia concipere consilia, vasto Hildebrandi ingenio non indignum erat, sed fore ut tanta ad finem perduceret, temporum ratione habitâ, ei sperare non licebat; quo-

(1) Varia artificia, quae clerici ad bona Ecclesiastica tuenda adhibuerunt, egregie exposuit Planck, l. l., III. B. pag. 607 seqq.

(2) Haec omnia, secundum Gregorii sententiam, ex ipsâ Ecclesiasticae potestatis indole profluebant; dicebat enim Herimanno Episcopo Metensi in epistolâ: *Aurum non tam pretiosius est plumbo, quam regiâ potestate altior dignitas sacerdotalis.* Vid. Gregorii, *Epist.* Lib. VIII. epist. 21; et conferatur Planck, l. c. IV. B. I. Ab. pag. 104 sq.

(3) Conf. Heeren, *Gevolg. der Kruist.* pag. 75.

quocirca opportunitatibus ac felici rerum eventui nonnulla etiam sunt tribuenda (1). Cum enim multa, in his inopinata nonnulla (2), sibi evenire prospera videret, eo tandem audaciae processit, ut ad Papae nutum totum componi orbem vellet.

Haec ita universe, sibi sumsisse videtur Gregorius:

a. *Ut clerum a principum imperio liberum redderet.*

b. *Ut a suâ auctoritate principes ipsi penderent.*

c. *Ut clerum sibi subjectum haberet et emendaret, universamque Ecclesiam despoticâ ratione gubernaret.*

Quibus factis haec diversa consilia perficere conatus sit, sequentibus paragraphis continuo indagabimus.

§. 2.

Gregorii conatus, ut clerum a principum imperio liberum redderet.

Cum Gregorius in praecedentium Paparum agendi ratione (3) multos errores vitiaque multa animad-

(1) Conf. hujus commentationis, Part. II. Cap. III. §. 1.

(2) Quam sententiam professus est Heeren, *Gevolg. der Kruist.*, pag. 65.

(3) Ante Gregorium VII. multi Papae, ut vidimus, Inves-

madvertisſet, horum vestigiis non inſistere, ſed aliam viam, illamque prorſus inſuetam, ingredi ſibi propoſuit. Itaque, pro astutiâ et calliditate, primum infirmiores adverſarios aggresſus est, ut validioribus ſuae auctoritatis metum incuteret, eosque deinceps eo felicius debellaret. Convocato igitur Romae concilio (1074), Gothofredum Mediolanenſem laeſae majestatis pontificiae reum (1), et Robbertum Guiscardum, Normannorum in Apuliâ Ducem, qui Beneventum, Patrimonii S[ti] Petri urbem, obſidio cingere auſus fuerat, anathemate percusſit (2). Episcopum vero Conſtantienſem, qui hujus Synodi decreta deriſui habuerat, ſtatim e ſede episcopali deturbavit (3).

Quibus prospere gestis, Gregorius audacior factus continuo univerſum clerum ab Imperatoris ac Principum auctoritate liberandum cenſuit. Ut eo perve-

vestituram laicis adimere, ſimoniam abrogare, coelibatum clericis imponere et univerſum clerum emendare plus ſemel ſpectaverant, ſed, ut omnes decreta, quae hunc in finem ediderant, exſequerentur, non ſatis curaverant; Gregorius VII. vero audaciâ, conſtantiâ ac fortitudine haec omnia, quae alii frustra conati fuerant, ſolus perfecit.

(1) Conf. Theiner, *Einführung der Priester-Ehelosigkeit*, II. B. I. Ab., pag. 168.

(2) Quod tamen anathema, mutatâ deinceps fortunâ, ſustulit. Vid. hujus Commentationis, Part. II. Cap. III. §. 1.

(3) Vid. Pagi, *Critica in* Baronii *Annales*, Tom. IV. pag. 256. Theiner, l. c. II. B. I. Ab., pag. 183 ſeqq.

veniret, primum Nicolai II. decreta (1) de Paparum electione, laicis deneganda, et confirmavit et accuratius definivit, jubens Cardinales in posterum Papam designare, clericos designato assensum dare, populum adplausu eum confirmare; quibus omnibus rite peractis, Imperator tandem de electione jam facta consulendus foret, ut omnia, quod addidit Gregorius, salvo honore et reverentiâ huic debitâ, fierent. Qui vero invaluerat mos, ut Imperator de Paparum electione consuleretur, primum neglectus, mox plane in oblivionem abiit (2).

His nondum contentus Hildebrandus omne vinculum inter clerum et Principes, Episcopos et dominos clientelares, Ecclesiam et civile imperium, aut solvendum, aut, tamquam gordianum illud, resecandum duxit (3); quod, etsi valde arduum, perfici tamen poterat tollendo jure *Investiturae*, quod sibi Imperatores Germanici inprimis vindicabant. Hic vero labor, hoc opus erat. Investitura enim ex antiquâ consuetudine orta fuerat, quâ Episcopi, quibus praedia regalia concessa fuerant, fidei juramento Impera-

(1) Haec decreta inveniuntur in Harduini *Actis Concil.*, Tom. VI. Part. I. pag. 1064.

(2) Conf. Venema, l. c. Tom. V. pag. 607; l. c.

(3) Conf. Heeren, l. c. pag. 63.; Gieseler, p. 195, et ipsius Gregorii dicta, *Epistolarum*, Lib. IV, epist. 2; Lib. VIII. epist. 21, aliae.

ratori praeſtando adſtricti erant (1); a quo, cum munus inirent, lituo (2) ſeu baculo et annulo, obedientiae et futurae conjunctionis cum imperio civili ſignis, ornabantur (3). Mos ille, ex Imperatorum beneficiis et Clericorum gratâ voluntate ortus, legis et officii deinceps vim habuit, adeo ut Episcopi non tantum dignitatem ſuam ab Imperatore acciperent, ſed in hujus patrocinium et clientelam ſe committere ejusdemque vaſallos ſe profiteri viderentur, regalibus praediis a ſolo Imperatore concedendis fruentes (4). Ex eâdem Investiturae lege, Imperator rerum Eccleſiae in Germaniâ et Longobardiâ, niſi curam, tutelam ſaltem ſibi tribuebat, Eccleſiam ab omni periculo tutam praeſtare conabatur, atque hinc univerſae hierarchiae moderandae jus ſibi deducebat. Itaque non mirandum est, hoc Investiturae inſtitutum Gregorio VII. valde displicuiſſe; Imperatores enim, ſibi tantam auctoritatem in clericorum rebus vindicantes, ſupremi Romae pontificis auctoritati magnopere obtrectare videbantur. Attamen cum Gregorius hujus conſuetudinis vim ad clericos ſedi Romanae de-

(1) Conf. Heeren, l. c. pag. 67.

(2) Hoc Episcoporum σκῆπτρον, niſi ab Auguribus mutuatum, ſaltem litui auguralis imaginem refert.

(3) Conf. Planck, l. c., pag. 128, et ibi nota (8).

(4) Conf. J. Giescler, l. c. II. B. I. Ab., pag. 193—198; Planck, l. c. III. B. pag. 468, §. 16.

devinciendos animadverteret, jus illud Investiturae, quod per tria jam saecula tenuerant Imperatores, non sustulit, sed sibi tribuit et ad ipsius hierarchiae emolumentum convertit. Anno enim 1074 concilium Romae convocavit (1), in quo decrevit nullam obedientiam iis esse praestandam, qui munus Ecclesiasticum a laico accepissent (2); iisdemque decretis vetuit, ne quis Imperator, Dux, Marchio vel quaelibet saecularis potestas (3) Investiturae jus sibi arrogaret.

Ex eodem Investiturae more aliud profluxerat vitium, quod tunc etiam repressit Gregorius, *Simonia*, quâ laici, collationis jure abutentes, omnia Ecclesiae munera venalia reddentes, haec, pretio constituto, in abjectissimos etiam homines conferre consueverant (4). Ex hoc abusu mercenarium quoddam exstiterat clericorum genus, qui, lucri studio abrepti, et secundum hanc munus ineundi tur-

(1) Hujus concilii decreta invenies in Harduini *Actis Conc.*, Tom. VI. Part. I. pag. 1522. Conf. praeterea, Pagi *in* Baronium, Tom. IV. pag. 253.

(2) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab.

(3) Hic, Theinerum ducem secuti ejus verba fere expressimus; conferatur Theiner, l. c. II. B. I. Ab., pag. 194.

(4) Conf. Lambertus Schafn., *De rebus germ.*, ad annum 1063, et ad annum 1071, ubi haec leguntur. „*In Ecclesiam* „*introducta est consuetudo, ut abbatiae publice venales pro-* „*stituantur in palatio.*" Vid. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 117 seqq.

turpem rationem ſe gerentes, tantummodo, ut res lautae esſent, curabant. Tantopere illud vitium tunc grasſabatur, ut ipſe Gregorius in epistolis triplex Simoniae genus recenſeret (1). In eodem igitur Romae concilio, ſaepius memorato, decretis ſtatuit Hildebrandus Clericos, *qui munera auro emisſent*, ab officio esſe dimovendos, auctoritatem Episcoporum, apostolicas inſtitutiones ſpernentium, a populo esſe recuſandam, cum ſacramenta a talibus adminiſtrata omni efficaciâ destituerentur, atque illorum benedictio in maledictionem, oratio in peccatum verterentur (2).

Quomodo vero operam dederit, ut haec decreta vim haberent, eaque invitis adverſantibus confirmaverit ac vindicaverit nunc videndum est (3).

§. 3.

(1) *Epistolarum*, Lib. VI, epist. 34. Conf. Annae Comnenae, *Alexiados*, in *Corpore Historiae Byzantinae*, Philip. Labbei, Lib. I, pag. 31.

(2) Vid. hujus concilii decreta in *Actis Conciliorum* Harduini, Tom. VI, Part. I, pag. 1522. Ex hac ſanctione explicandum est, tantam vim habuisſe Gregorii decreta, cum antea Imperatores Germanici, maxime Henricus III, et praecedentes Papae ſimoniam tollere frustra tentasſent. Nunc enim clerici, Gregorii decretis repugnantes, omnem vim auctoritatem et potentiam in laicos continuo amittebant.

(3) Hunc ordinem ſequentes, Planckium ducem habuimus.

§. 3.

Gregorii conatus, ut e suâ auctoritate Germaniae Imperator penderet.

Investiturae jure Imperatori ademto, hujus auctoritas in clerum nulla, papalis vero suprema evasit. Amplae enim regiones, quas clerici jure feudali tenebant, imperio civili subtractae, ad hierarchiam referri debebant, cum earum posſesſores, Episcopi, a Papâ crearentur; verum enim vero, ne principes aliquando jura amisſa recuperare conarentur, hi etiam pontifici Romano erant subjiciendi. Gregorius itaque continuo theocratiam universam, cui civile imperium subjectum esſet (1), condere studuit; arduum sane propositum! Sed quidni futurorum consiliorum audaciam fortunae rerum anteactarum adaequasſet (2)? Ut igitur tanta ad finem perduceret, versipellis homo hanc regulam: *Divide et impera*, cui pontifices Romani nunquam non addicti fuerunt, studiose secutus est; cum vero in Germaniae Imperatore potentisſimum adversarium videret, in id maxime incubuit, ut populorum et pro-

(1) Civile imperium Ecclesiastico subjectum esse et semper fuisse, disertis verbis et multis exemplis allatis locisque citatis, contendit Gregorius in epistolâ ad Herimannum, quae est libri VIII. epistola 21, aliis.

(2) Vid. Heeren, l. c. pag. 65.

procerum animos ab Henrico IV. alienaret, ſibique omnes quam maxime devinciret. Primum ita in concilio, Romae convocato, Gregorius testatus est, ſe discordiae et turbarum motarum auctorem non fuisſe, imo ſe frustra, epistolis misſis, Henricum ad meliorem mentem adducere voluisſe (1). Quam ob rem clerici decreverunt, Curienſem Episcopum legatum in Germaniam esſe mittendum, qui decretorum, in concilio editorum, et excommunicationis, jam imminentis, Imperatorem certiorem faceret, eumque Simoniae reum declararet; quoniam munerum Eccleſiasticorum nundinandorum jus, invitis Papae decretis, retinebat (2). — Henricus IV. primum ſubmisſe erga Gregorium VII. ſe gesſit, verum, victoria de Imperii hostibus reportatâ, animum auxit, et iis, quae antea promiserat, publice non ſtare auſus est. Papa, de hâc injuriâ frustra questus, Imperatorem per legatos Romam citavit (1076) (3), ſed hic, animo elatior, haud ſine asperioribus verbis legationem papalem dimiſit et ſtatim, ſynodo Wormatiae convocatâ, Gregorio, ſcelerum variorum accuſato, pontificatum abro-

(1) Vid. Gregorii *Epistolae*, Lib I. epist. 9. 11, aliae.

(2) Vid. Venema, *Hist. Eccleſ.*, Tom. V, pag. 618. Conf. Annae Comnenae, *Alexiados* in corpore *Hist. Byzantinae*, Lib. I. pag. 31.

(3) Conf. Gieseler, l. c., II. B. II. Abth., pag. 16; Gregorii epistola ad Henricum, Lib. III. epist. 10; Planck, l. c. IV. I. B. Ab., p. 162.

abrogavit (1) (1076), quod decretum, a Guilielmo, Ultrajectino Episcopo, confirmatum, confestim in varias regiones misſum est, ut alii ei ſubſcriberent. Hâc vero in cauſa Romani non tantum Imperatori morem non gesſerunt, ſed, irâ in eum aeſtuantes, ſuis factis Gregorio ostenderunt, quo usque licentiae adverſus adverſarios procedere ei liceret (2). Hic igitur vice ſuâ, infenſo in Henricum animo ductus, eum a piorum coetu prohibuit, atque ei minatus est, niſi poenitentiam egerit, fore ut novus rex eligeretur, addens porro e fidelium numero omnes esſe ejiciendos, qui imperatoris partibus faverent (3). Quibus minis cum multi perterriti esſent, gratiâ, quâ antea floruerat, Imperator deſtitutus est, ac fortunam, quae nuper firma videbatur, jam corruentem vidit; nam proceres bene multi et Henricum deſeruerunt, et novum Imperatorem creandum esſe ſtatuerunt, niſi Imperator veniam in Synodo, Augustae convocatâ, a Papâ impetraret (4). Henricus, his omnibus excruciatus ac

(1) Ut tam fortiter ſe gereret debilis Henricus, ab adminiſtris ſuis, Alberto, Bremenſi Episcopo, et Wernero, Comite, incitabatur, qui ei perſuadebant, Imperatori eadem in Abbates esſe jura, quae in villicos exercebat. Conf. Lambertus Schafn. ad an. 1076.

(2) Quod rite animadvertit Lambertus Schafn. et Villers, l. c. pag. 413.

(3) Villers, ibidem.

(4) Conf. Lambertus Schafn., *De rebus Germ.*, ad an.

ac omni ſalutis ſpe dejectus, extemplo ſibi in Italiam proficiscendum esſe ratus est (1077); iter itaque hiemali tempore Romam ſuscepit, comitante ſola uxore et filio, ſed in Tusciâ jam Gregorio, Augustam profecto et in Castello Canuſio, arce munitisſimo, apud Mathildem diverſanti, occurrit; ibi Henricus, inſignibus ſuis depoſitis, vulgari habitu et ſacco indutus, atque intra muros et vallum deductus, immanisſimos cruciatus fame et frigore per tres dies ſubiit, quos enarrare non hujus est loci (1). Quarto tandem die, cum ſuperbi Papae crudelitas ſatiata videretur, Gregorius, conſumtâ alterâ hostiae parte, ſe immunem a criminibus, quorum accuſabatur, juravit alteramque Henrico dedit, qui eam recuſavit, dicens, pacem ad proximam usque Synodum Augustanam esſe diſſerendam (2). Cum vero Imperator hâc ignavâ agendi

annum 1076. Anna vero Comnena, in hâc Gregorii VII. agendi ratione enarranda, non est audienda, cum in his magis odio, quo in Pontifices Romanos ferebatur, quam veritatis ſtudio ducta fuisſe videatur. Vid. inprimis quae de odioſâ Gregorii agendi ratione erga Henrici IV. legatos ſcripſit, *Alexiados*, Lib. I. pag. 31. in *Corpore Hist. Byzantinae* Phil. Labbei.

(1) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 178 ſeqq.; porro videantur, quae de hâc odioſâ agendi ratione narraverunt Villers, *Esſai etc.*, pag. 413, et inprimis ipſe Gregorius in Epist. Lib. IV. epist. 12.

(2) Lambertus Schafn. ad an. 1077. Gregorii ſermo-

di ratione in omnium contemtum incidisſet, Germaniae ordines ei ob ficta quaedam ſcortationis et oppresſionis crimina dignitatem abrogarunt, atque continuo ejus loco Rudolphum, Sueviae Ducem, Imperatorem elegerunt (1077); unde acerrimum illud bellum, quod Saxonicum dicitur, ortum est. Gregorius autem ſe inscio haec facta fuisſe adfirmavit, ut vindictae invidiam a ſe removeret (1); ſed cum primum neutri parti ſe adſcripſisſet, celeberrima tandem Romae ſynodo convocatâ (1080), Henrici exactionem confirmavit (2), et coronam cum hâc inſcriptione Rudolpho miſit (3):

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Hic itaque ab Episcopo Moguntino (1080) coronamonem et Henrici responſum hâc opportunitate accurate refert.

(1) Gregorium Saxones ad rebellionem excitasſe diſertis verbis affirmavit Anna Comnena, *Alexiados*, Lib. I. pag. 33, in *Corpore Hiſt. Byzantinae* Phil. Labbei. Conf. Gregorii, Epist. Lib. IV. Epist. 23 et 24.

(2) Hujus Concilii acta inveniuntur in Harduini *Actis Conciliorum*, Tom. VI, Part. I, pag. 1587 ſeqq. De eodem argumento Conf. Gieseler, l. c. IIsten B. IIte Ab., pag. 23. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 168. ſeqq.

(3) Sic Otto, Episcopus Friſingenſis, *De rebus gestis Imperatoris Friderici I*, Lib. I. Cap. VII; Sigebertus Gemblac, in *Chronographiâ*, ad annum 1077. Hoc tamen a Gregorio factum negat Baronius, *Annalium*, Tom. XI. pag. 705, nº. XVI.

natus est, sed seditione ab aliis, qui Henrici partibus addicti erant, commotâ, hoc ipso anno Moguntiâ profugere coactus est; Henricus vero nonnullis principibus ac clericis, tum in Germaniâ, tum in ipsâ Italiâ, contractis, mutuo regorium, nefandorum criminum accusatum, papatu exuere conatus est, novo Papa electo, Guilberto Ravennati, nomine Clementis III. (1080). Eodem anno, Gothofridi Bullonii auxilio Imperator adjutus, aemuli exercitum tam prospere aggressus est, ut eum acie prorsus devinceret (1). Rudolphus, vulneribus moriens, professus est se justissime dextram amisisse, cum fidem, quâm Henrico IV. hâc ipsâ manu promisisset, violasset, Papam vero et Ecclesiam defectionis suae auctores fuisse. — Successibus his prosperis Imperator animo erectus, nec non excommunicatione, adversus ipsum id temporis iteratâ, exacerbatus, bellum ipsi Papae indixit, continuo in Italiam cum exercitu processit (1081), Romam usque omnia populatus est, atque postquam Mathildis copias pepulisset, urbem ipsam expugnavit (1084), ac Clementem III, quem secum duxerat, in Petri sede constituit (2). Sed, eodem anno, Robertus Guiscardus, e Graecia reversus, au-

(1) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 199 et 200.

(2) Conf. C. Baronius, *Annalium*, Tom. XI. ad an. 1084, pag. 752, nº. XI. et Gieseler, l. c. II. B. II. Ab., pag. 28; Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 201.

auxilium Gregorio tulit (1), Henricum et Clementem fugavit, atque Papam, in S[ti] Angeli castello obsessum, Salernum deduxit (2).

§. 4.

Gregorii conatus, ut apud ceteros etiam Europae principes Hierarchiae conditio et auctoritas commutarentur.

In mediis aerumnis, e discidiis cum Imperatore ortis, sua ipsius atque Hierarchiae commoda in aliis regionibus minime neglexit Gregorius; contra, eodem tempore omnibus fere Europae populis et principibus suam arrogantiam suorumque consiliorum effectus ostendit; quam ejus agendi rationem ex multis epistolis ad diversos, ab eo scriptis, dijudicare possumus. Cum Gallia secundum post Imperium Germanicum occuparet locum, ab initio hanc regionem suae auctoritati subjicere in votis habuit (3); alii jam ante eum Papae Ecclesiam Gallicanam, quae dicebatur, odio persecuti fuerant, si

(1) Conf. Annae Comnenae *Alexiados*, in *Corpore Historiae Byzantinae*, Phil. Labbei, Lib. I. pag. 32; Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 204 seqq.

(2) Conf. E. Gibbon, *The history of the decline and fall of the Roman Empire*, Vol. X, pag. 299 et 300.

(3) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 118, 120, 122.

ſi quidem non tantum privata ſibi vindicaret jura, ſed ipſam Pontificum Romanorum aggrederetur auctoritatem. Nimirum post Cardinalium collegium conſtitutum, Galli discrimen Papam inter et Curiam Romanam facere coeperant, hanc majoris, quam illum faciebant, et ita monarchiae papali aliquid detrimenti afferebant, cum Reipublicae formam Hierarchiae dare viderentur. Philippus I, qui Gregorii tempore in Galliâ regnabat, vasti Caroli magni imperii molem ſustinere non valebat; Galli enim, crebris Normannorum invaſionibus, debiliores facti, brevi de integro in communem hujus aevi torporem reciderant. Gregorius audaciam huic opportunae rerum conditioni adaequavit, multas ad Philippum ſcripſit epistolas, quae ſtupendae papalis ſuperbiae offerunt documenta; his enim regem inſontem praedationis, rapinae aliorumque erga Eccleſiam criminum reum fecit (1). Porro in Galliam legatos miſit, qui Philippo, niſi erga Papam ſubmisſius ac poenitentius ſe gereret, anathema minarentur (2).

Alexander II. jam contenderat Anglos, Christia-

(1) Harum criminationum documenta habemus in Gregorii Epist., Lib. I. epist. 35 et 36, et maxime in illâ ad Episcopos Francorum, quae est Lib. II. epist. 5. — Conf. Theiner, *Einführung der Priester Eheloſigkeit*, II. B. I. Ab., pag. 191 et 192.

(2) Videatur Villers, *Esſai ſur l'influence de la Reformation*, pag. 413.

tiana facra amplectentes, in Papae manum et tutelam venisfe; Gregorius, hoc ipfo titulo ornatus, a Guilielmo Angliae rege tributum exegit, cujus pars altera Romano Pontifici, altera vero Ecclefiae S^tae^ Mariae deferretur (1). Hac postulatione amicitia Papam inter et regem, qui huc usque conjunctisfime vixerant, ftatim disrumpebatur; Guilielmus Gregorio obedientiae jusjurandum recufavit, atque pristina concordia inter utrumque ab hoc inde tempore nunquam de integro refarcita fuit (2).

Longe vero fuperbius Hispanos tractavit Gregorius; primo enim papatûs anno, legatos in Hispaniam mifit, qui, ut decreta ab Alexandro II. jam lata de officio gothico ibi abolendo vim haberent, curarent (3). Scilicet cum Hispaniae illa pars, quae tunc Christiana erat, paullo ante ad Muhamedanam pertinuisfet ditionem, apud hujus regionis Christianos officium quoddam mixtum, *Mozarabicum* dictum, ortum est; quod, ut abrogaretur hujusque loco Romanum fubftitueretur, ipfe Gregorius ad Arragoniae regem, cujus futuram agen.

(1) Vid. Gregorii epistola ad Hubertum fubdiaconum, quae est in *Epistolarum*, Lib. VII, epist. I, ad Guilielmum Anglorum Regem, Lib. I. epist 70; ad Mathildem hujus uxorem, Lib. I. epist. 71.

(2) Conf. Theiner *Einführung der Priester Ehelosigkeit*, II. B. I. Abth., pag. 239. feqq. et Baronii *Annales*, Tom. XI, ad annum 1080, pag. 719, n° LIX.

(3) Conf. Pagi in Baronium, Tom. IV, pag. 253.

agendi rationem magnopere laudabat, epistolas ſcripſit (1). His vero novis inſtitutis reluctati ſunt hujus regionis incolae; quae conamina irrita fecit Alphonſi VI. ignavia, quâ totis viribus Papae partibus favit (2); ſed vel ſic tamen Gothicum, ſeu Mozarabicum, officium in nonnullis Hispaniae Eccleſiis disperſis diu deinceps retinebatur. Gregorius autem adeo variarum hujus regionis provinciarum reges ſibi ſubjectos habuit, ut iis tributum ſingulis annis ſolvendum imponere auderet (3). Praeterea regnum Hispaniae univerſum ſedi Romanae esſe tributarium in epistolis contendit (4), cum ex antiquis conſtitutionibus efficeret „ hanc regionem Petro et Eccleſiae Romanae „ in jus et proprietatem esſe traditam." Hinc explicandum, quod tam despoticâ ratione voluntatem ſuam Alphonſo deinceps ſignificavit; cum enim ille rex uxorem conſanguineam duxisſet, Gregorius minatus est ſe, niſi hanc dimitteret, [illegible] gla-

(1) Epist. Gregorii, Lib. I. epist. 63 et 64, et Lib VII, epist. 6.

(2) Conf. Venema, l. c. Tom. V, pag. 589, et Gregorii ad Alphonſum Epistola, quae est Lib IX, epist. 2.

(3) Tributum conſtabat duobus bobus jugalibus et decem denariis. Conf. C. Baronius, *Annalium*, Tom. XI, pag. 720.

(4) Epist. Gregorii, Lib. I. epist. 6, 7 et 63, et maxime illa ad Hispanos, quae est libri quarti viceſima octava et ultima. Conf. Theiner, l. c. II. B. I. Abth., pag. 227—229.

gladium S[ti] Petri in ipſum deſtricturum eſſe (1).

Nec mitior erga Bohemiam fuit, in quâ regione lingua vernacula a Methodio et Cyrillo, Slavonicarum gentium apostolis, (863) in Sacrorum Christianorum cultu celebrando inducta fuerat; verum enim vero hujus regionis incolae, hunc morem retinentes, aliam viam ac Romani ingredi videbantur. Gregorius ita, epistolâ miſſâ, Wratislao, Bohemiae Duci, perſuaſit linguam latinam in cultu eſſe restituendam, „ ne, ſi religio Christiana ad li„ quidum cunctis pateret, forte vilesceret, et „ ſubjaceret despectui, aut prave intellectâ a me„ diocribus in errorem induceret" (2).

Boleslaus Poloniae (3), Demetrius Ruſſorum duces, aliique ſuperbum Gregorii animum variâ opportunitate experti ſunt (4); et Salomo, Hungariae rex, ab eo ob investituram, ab Imperatore acceptam, laeſae majestatis apostolicae reus, et de ſolio deturbatus declarabatur (5).

Lon-

(1) Quod *valde invitus dolensque* fecit, uti ipſe dixit Gregorius, in Epist. Lib. VIII, epist. 3.

(2) Ipſiſſima Gregorii verba ex ejus ad Wratislaum, Bohemorum regem, epistolâ deſumta, quae est, Lib. VII, epist. 11.

(3) Epist. Lib. II, epist. 73.

(4) Epist. Lib. II, epist. 74.

(5) Vid. Gregorii epistola ad Salomonis aemulum et conſanguineum, Geuſam, quae est, Lib. II, epist. 70.

Longum est omnes consiliorum Hildebrandi in variis regionibus effectus enarrare. Nullos suis curis indignos existimavit; in Africae oras non minus, quam in remotiores Europae septentrionalis partes, ut Hierarchiae auctoritatem promoveret, epistolas misit (1). Quid! quod ad Anzerum, Saracenorum regem ethnicum, scripsit, atque eum longe placidius allocutus est, quam unquam reges Christianos (2). Nec Asiaticos Christianos neglexit; cum enim Henricum IV. ad expeditionem cruciatam suscipiendam adducere conaretur, ut Graecos et Armenios Christianos, hoc bello Ecclesiae Romanae subjiceret, in primis spectasse videtur (3).

Sec haec omnia parvi sunt facienda, si *Dictatum* ob oculos habeamus, quo ad audaciae fastigium pervenit (4). Continet ille viginti septem articulos, quorum singuli eo universe tendunt, ut omnia in Ecclesiam jura Imperatori plane

(1) Exempli gratiâ ad Cyriacum, Carthaginiensem archi-Episcopum, Lib. III, epist. 19; ad Hipponenses, Lib. III, epist. 20; ad Demetrium, regem Russorum, Lib. II, epist. 74; ad Saenium, regem Danorum, Lib. II, epist. 75; ad regem Sueciae, Lib. VIII. epist. II, aliae.

(2) Vid. Epistolae Gregorii, Lib. III, epist. 21.

(3) Quam conjecturam uberius exposuit Heeren, *Gevolgen der kruistogten*, pag 78.

(4) Hunc dictatum invenies in Giesler, *Kirchengeschichte*, II. B. II. Abth., pag. 7, in *Gregorii Epistolarum*, Lib. II, epist. 55; et in Febronio, *De statu Ecclesiae*, Tom. III, pag. 56, alibi.

ne adimantur, eademque ad Papam transeant. Horum articulorum argumentum brevi hisce complectimur; contendit Gregorius VII. universalem supremamque cum secularem, tum Ecclesiasticam auctoritatem Pontifici Romano competere; hanc a Jesu fundatam fuisse; penes solum Papam potestatem esse Episcopos ac Imperatores abrogandi, quoscunque excommunicandi, leges ecclesiasticas edendi; porro, solius Papae nomen, tanquam in mundo unicum, in Ecclesiis esse recitandum; nullam Synodum absque ejus praecepto esse convocandam; denique Papam, omnes judicantem, a nemine judicari posse! (1).

Haec omnia fere nova erant ac inaudita, de quibus alii Papae ne cogitaverant quidem. Pauci ante Gregorium de regibus abrogandis, de subditis a fidelitate principi debitâ absolvendis, loqui ausi fuerant (2). Quae tamen ab Hildebrando legis instar promulgabantur!

§. 5.

(1) Baronius, *Annalium*, Tom. XI, ad annum 1076, pag. 632, n°. 31, Gregorii dictatum valde laudat dicens: „ *hunc* „ *ob emergentes et urgentes casus praesentis schismatis fuisse* „ *promulgatum*." Natalis Alexander de ejusdem dictatus authentiâ dubitavit, quam vero Christianus Lupus vindicavit.

(2) Quod Otto Frisingensis de anathemate Gregorii in Imperatorem agens suo jam tempore his verbis expressit, „ *Cu-* „ *jus rei novitate eo vehementius indignatione motum suscepit* „ *Imperium, quo nunquam ante haec tempora hujusmodi sen-* „ *tentiam in principem Romanorum promulgatam cognoverat.*" Vid. Otto, *De gestis Friderici I*, Lib. I. cap. I, Conferantur

§. 5.

Quamnam tandem subiit Hierarchia, Gregorio auctore, commutationem, eo, quod ille clerum sibi subjectum haberet, hunc emendaret, universamque Ecclesiam despoticâ ratione gubernaret.

Vim investiturae clericorum ad Papam translatae perspicere jam licuit; hoc enim jure Imperatori ademto clerici solum Papam in muneribus sacris obtinendis, deferendis ac tollendis spectare coeperunt; hanc agendi rationem comprobavit Gregorius, cum contenderet omnia Ecclesiastica munera Papae competere, quippe qui Episcopos, universae Ecclesiae praefectos, pallio ornaret (1). Sed arctiore vinculo dispersa Hierarchiae membra Capiti erant devincienda; singuli clerici unum Pontificem Romanum in omnibus suis factis ob oculos habere, nulli vero patriae, principi aut rei domesticae addicti esse debebant (2). Quo ut perveni-

tur omnino quae de hâc *novitate* nimis prudenter dixit Sigebertus Gemblac., ad an. 1088.

(1) Haec consuetudo non a Gregorio VII, quod nonnulli dixerunt, sed a Gregorio magno, anno 590, inducta fuit; deinceps vero hanc lubentius ex Isidori Pseudo-decretalibus repetierunt Papae. Conf. Gieseler, l. c. pag. 201, nota (b).

(2) Conf. Villers, *Essai sur l'influence etc.*, pag. 412, et Spittler, l. c. pag. 193.

niret Gregorius coelibatum, a concilio inde Nicaeno (325) commendatum (1), et jam inter monachos receptum, omnibus munere ſacro fungentibus praecepit, atque iis Eccleſiam ſponſae loco obtulit (2), ut, conjugiorum familiaeque commoda minus attendentes, Hierarchiae devotiores fierent; nec ſacerdotibus tantum matrimonium interdixit, quibus, ſi uxorem ducerent, Misſam celebrare vetabatur, ſed, e concilii Romae habiti (1074) decretis, Diaconis et ſubdiaconis altaris miniſterium vetabatur, niſi coelibatui, quem urgebat Papa, ſeſe obſtringerent (3). Ex hoc, de matrimonio clericis vetito, mandato, multi continuo oriebantur, in Germaniâ maxime, tumultus (4); clericorum nonnulli ſatis ingenue profesſi ſunt ſe malle muneri renuntiare, quam uxores dimittere, Gregoriumque an-

(1) Conf. Theiner, *Einführung der Priester-Ehelosigkeit*, I. B. pag. 83 ſeqq.

(2) Videantur acta Concilii Romani pro reformando Eccleſiae Statu, anno 1074, a Gregorio VII, habiti, in *Actis Conciliorum* Harduini, cap. XIII, pag. 1534. Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Abth. pag. 148 ſeqq.

(3) Sigebertus Gemb. ad an. 1704, dixit hoc „ *novum exemplum et inconſideratum praejudicium contra ſanctorum Patrum ſententiam;* quem Pagi, Tom. IV. p. 253, refutat. Conf. Theiner, *Einführ. der Priester-Ehel.*, II. B. 1. Abth. pag. 171 ſeqq. et pag. 201 ſeqq.

(4) Conf. Venema, *Hist. Eccleſ.* Tom. V, pag. 620; Sigebertus Gemblac., ad an. 1074; Lambertus Schafn. ad eundem annum.

angelos, non homines, ad Ecclesiam regundam requirere (1); alii vero, Papae decretum spernentes, uxorem seu duxerunt, seu retinuerunt; hi statim excommunicati munere suo privabantur, neque diutius clericis annumerabantur (2); alii tandem, uxorem palam dimittentes, concubinas clam sibi pararunt, quod exemplum multi deinceps secuti sunt. Interea lites de hoc decreto, seu commutando, seu prorsus rejiciendo, per integrum saeculum duraverunt; quâ opportunitate clericorum multi Gregorium, matrimonii abstinentiam sacerdotibus imponentem, haereticum plus semel habuerunt; quid! quod sicarius, a clericis conductus (1075), in Gregorium Missam celebrantem impetum fecit, atque eum interfecisset, nisi populus Papam jam vulneratum periculo eripuisset (3). Hujus etiam decreti opportunitate, clerici, cum Henrico IV., Papae in-

(1) Vid. Millot, *Hist. de France*, Vol. I, pag. 235. Gieseler, l. c. II. B. II. Abth., pag. 11; Lambertus Schafn, ad annum 1074; Spittler, l. c. pag. 196.

(2) Sigebertus, monachus Gemblacensis, narrat hâc opportunitate, in Chronographiâ suâ, „*vinum et panem Eucharistiae a laicis quibusdam fuisse projecta, cum sacerdos, qui haec offerebat, uxorem duxisset.*" Ex quibus etiam patet vinum Eucharisticum id temporis nondum laicis fuisse denegatum.

(3) Hanc narrationem a Lamberto Schafn. mutuatus est Venema, l. c. Tom. V, pag. 620.

infesto, in Germaniâ fe conjunxerunt, Synodum Wormatiam convocarunt, atque ibi Gregorium VII. variorum flagitiorum, ac fcelerum accufatum a fede papali dejectum esfe decreverunt (1).

Ex his tamen de coelibatu obfervando, de fimoniâ tollendâ, aliisque Gregorii decretis efficimus hanc Ecclefiae in capite et membris emendationem, quam fpectavit Gregorius, non ad doctrinam, fed ad mores cleri corruptisfimos (2) esfe referendam; doctrinam enim minus attendebat, quam fuam ipfius auctoritatem, cui haec morum emendatio favebat. Gregorium autem doctrinam non magni fecisfe ex mitiori ejus agendi ratione erga Berengarium patet. Hic fupra fui aevi de S^a Coena errores fe evehens, haereticus habebatur; quamvis enim non dilucidis verbis negaret, Jefum fub vini panisque fignis praefentem adesfe, tamen docebat panis vinique fubftantiam post confecrationem remanere, atque nihil amplius fuperesfe, nifi figuras corporis et fanguinis Christi (3). Lanfrancus, mo-

(1) Conf. Villers, *Esfai*, etc. pag 412. et, quem hic citavit, Philip. Mornay in *Hist. Papatus*, ad annum 1080.

(2) Vid. de Ecclefiae ftatu et clericorum pravitate Gregorii Epist. Lib. I, epist. 42; Lib. II, epist. 49, aliae. Petrus Damianus item ftrenue in horum clericorum vitia id temporis invehebatur, „ *Arma potius, arma corripimus* „ *vibrantia, telis tela conferimus, et, non verbo, fed ferro* „ *contra nostri ordinis regulam dimicamus.*" Epist. Lib. I, epist. 15.

(3) Berengarius minime dicendus est *tranfubftantiationis*, de

monachus, huic fefe acriter oppofuit, et clamoribus fuis effecit, ut haerefis Berengariana quam plurimis innotesceret, magisque inclaresceret (1). Berengarius vero jam in fynodo Romana et Vercellenfi a Leone IX. (1050), a Victore II. in Florentina (1055), a Nicolao II. in Lateranenfi (1059) condemnatus, tandem Romam a Gregorio VII. citatus est (1079), ut caufam diceret. Senex octoginta annos natus iter fuscepit fententiamque fuam primum gnaviter defendit, fed dein metu mortis revocare coactus est. In Galliam vero reverfus, ad pristinam fententiam rediit, atque jusjurandum, quod praeftiterat, retractavit, dicens fe vi coactum jurasfe; in qua quidem fententiâ ad mortem usque (1088) perftitit (2).

Univerfe animadvertendum est Gregorium in eo fatis caute egisfe, quod, cum clericis feveriorem disciplinam imponeret, diligenter tamen curaret ne eorum fimul auctoritas in variis regionibus imminue-

fic dictae, dogmati fefe oppofuisfe; hoc enim, faeculo IX. exeunte, cognitum et, anno 1039, a Pafchafio primum promulgatum, ne tunc quidem ab univerfâ Ecclefiâ receptum fuit. Conf. Giefeler, l. c. pag. 217—237

(1) Conf. Millot, *Hist. de France*, Vol. I. pag. 240; et Spittler, l. c. pag. 226 feqq.

(2) Berengarii tumulo epitaphium viri meritis confentaneum deinceps infcribebatur;

„ *Quem modo miratur, femper mirabitur orbis*
„ *Ille Berengarius non obiturus obit.*"

nueretur; quod, nisi fecisset, suae ipsius dominationi quam maxime nocuisset; hoc enim animo volvebat, ut illa jura, quibus universus clerus gaudebat, ad solum Papam referrentur. Christiani omnes ab Episcopis pendebant; hi vero a Papâ; clerus ita auctoritate propriâ, saltem supremâ, destituebatur, atque uni Ecclesiae unus praeerat Episcopus Romanus; cui, cum ipsi Principes subjecti essent, Hierarchia, quae antea ad civilem formam se componere debuerat, ipsa nunc civile imperium moderari et pro lubitu res suas administrare poterat; itaque Theocratia illa vicaria, cujus legislator et judex supremus erat Papa, prae omnibus despoticâ ratione dominabatur (1). Verbo, hunc duplicem J. Christi gladium et terrestrem, et spiritualem, de quo postea Bonifacius VIII. (1302) tantopere se jactavit, gestare per totam vitam appetivit, atque omnibus viribus arripere tentavit Gregorius VII. (2).

(1) Conf. Planck, l. c. IV. B. I. Abschn., pag. 110 et 111.
(2) Conf. Heeren, *Gesch. der Kruist.*, pag. 64.

CA-

CAPUT III.

Gregorii VII. facinorum κρισὶς, eorumque vis atque effectus in Hierarchiae conditionis commutatione conspicua.

§. 1.

Gregorii facinorum κρισὶς.

Laudatur ab his, culpatur ab illis; hoc omnino in Gregorium quadrat. Nam ut alii, nimio memoriae ejus tuendae studio ducti (1), propter ejus in Ecclesiam merita in coelum eum extulerunt (2); ita alii nimis invidiose ejus res gestas enarrarunt, et nil, nisi quod detestandum esset, in eo reperire sibi visi sunt (3). Sed errarunt utrique; quocirca medium

(1) Sic Languetius, qui, laudibus Gregorium cumulans, professus est se ita „ *devotissimi filii partes agere, qui* „ *charissimi patris honorem immaniter laesum tuetur.*" Vide hunc et alios a Soardi citatos in opere, „ *De Romani Pontifitis auctoritate*," pag. 15 seqq.

(2) Inter quos inprimis memorandus est idem Languetius, Sennonensis Archiepiscopus, qui de Gregorio et alia satis inepta et haec dixit: „ *Ce Pape a mérité d'être compté au* „ *nombre de ces hommes rares, que Dieu a doués d'une grâce* „ *excellente.*" — Llorente contra, *Portrait des Papes*, dixit Gregorium „ *Le plus grand des monstres, que l'ambition* „ *ait pu former.*"

(3) Quam atris coloribus eum depinxerint nonnulli vix credi-

dium tenere nos conabimur, aequabili lance ponderantes quae in eo bona, quaeque mala fuerint; quod ut rite fiat, in hoc judicio Papam Romanum pro temporum illorum ratione, non virum Christianum ex nostrâ ſententiâ ob oculos habeamus (1).

Hildebrandus primis vitae Eccleſiasticae temporibus monachus fuerat, et, in ſeveriore Cluniacenſi ſocietate verſatus, emendationis ſtudia huic monasterio propria ſusceperat. Ex hoc igitur vitae genere ejus agendi rationem in primis esſe deducendam nobis perſuaſum habemus. Qui monachus castitatis votum fecerat, hic Papa coelibatum clericis impoſuit; paupertatem profesſus fuerat ipſe, aliis ſimoniam interdixit; obedientiam ordini promiserat, univerſum clerum auctoritati papali ſubmisſum obedientemque reddere ſtuduit. Attamen, ut haec conſilia ad finem perduceret, flagitia valde odioſa commiſit. Ita maxime in eo vituperandus est, quod Rudolphum adverſus Henricum IV. et dominum et affinem incitaret, illique Imperii ſpem faceret; prouti ipſe Sueviae Dux ſau-

dideris; ſecundum horum ſententiam erat Gregorius *papicida*, *lupus rapax*, tum *ſatanas ex inferis ſolutus*, tum *Antichristus ille*, *perditionis filius* in 2 *Theſſ.* II: 3 en 4. memoratus; *ex medullâ Diaboli factus.* Sic Benzo, Benno, alii.

(1) Conf. Heeren, in opere ſaepius laudato, pag. 61 et 62. Gieseler, l. c. II. B. II. Abth., p. 9.

saucius mortique proximus declaravit, dicens se jussu apostolico ac Pontificis rogatu eo adductum fuisse, ut jurejurando neglecto honorem sibi non debitum usurparet (1). Superbia Gregorii et crudelitas erga Henricum in arce Canusio versantem nulli non arguenda videbitur (2); quod ipse satis ingenue, sed eo superbius in epistolâ ad Maimburgium professus est dicens „ multos ex piis fremuisse Henricum indigne haberi, eamque potius „ barbaram crudelitatem, quam severitatem aposto- „ licam esse; sed se voluisse humiliare Principum „ arrogantes animos, ut debitam reverentiam sedi „ apostolicae praestarent." Sed hanc superbiam ad temporum opportunitates Gregorius nonnunquam componebat utiliter. Cum enim Robbertum Guiscardum et Ricardum, illum Beneventum, hunc Neapolin obsidentes, prius excommunicasset, hoc anathema, quod ceteroquin Normannorum Duces flocci pendebant, deinde sustulit (1078), cum iis foedus pepigit, atque regionum injuste occupatarum possessionem confirmavit, ut ab his principibus opem, quâ adversus Henricum indigebat, impetraret (3).

Vi-

(1) Conf. Venema, Tom. V, pag. 641; et Annae Comnenae, *Alexiados* in *Corpore Historiae Byzantinae*, Phil. Labbei, Lib. I, pag. 32.

(2) Conf. ipsius Gregorii dicta in Epistolâ ad Germanos, quae est, Lib. IV, epist. 12; et Planck, l. c. IV. B. I. Ab., pag. 178.

(3) Conf. Gregorii Epist. Lib. VIII, epist. I; et A. Com-

Vidimus Gregorio permulta bene et ex voto cecidisse, sed hos successus prosperos ne omnes ingenio ejus consiliisque ante susceptis tribuamus sedulo cavendum est; nam casus, fortuna et opportunitates audacem saepius adjuverunt (1). Cum enim vitam Ecclesiasticam vivere incepit Hildebrandus, Germania et Gallia sub impuberum principum imperio clientelari erant, quod mirum in modum valuit ad felicem ejus consiliorum effectum. Initio papatus, fore ut Germaniae Imperator, poenae luendae causa, iter in Italiam susciperet ne sperare quidem ausus fuisset Gregorius, vel sic tamen postea Henricum IV. ante pedes supplicem conspexit. Operae etiam pretium est hic animadvertere mulieres nonnullas potentissimas, ope huic Papae praestita, ejus fortunae egregie favisse (2); inter has numerandae sunt ipsa Henrici IV. mater, Agnes, Lotharingae Ducissa Beatrix, et maxime hujus filia, Comitissa Mathildes, quae Liguriam et Tusciam in Gregorii gratiam Ecclesiae ditioni adjunxit. Haec, quoque cum jam omnes Papam, ab Imperatore petitum, (1080) deseruissent, so-

Comnenae, *Alexiades* in *corpore Hist. Byzantinae*, Phil. Labbei, Lib. I. p. 32.

(1) Conf. Heeren, *Gevolg. der Kruist.*, pag. 65; Planck, c. l. IV. B. I. Ab., p. 80.

(2) Conf. Theiner, *Einführung der Priester-Ehelosigkeit*, II. B. I. Abt. p. 163.

ſola ei non defuit, eique adhaerere perrexit. Unde historiographi bene multi effecerunt Mathildem cum Hildebrando ſtupri conſuetudinem habuisſe, quod tamen negarunt alii (1). Videtur autem comitisſa e muliebri quâdam ſuperſtitione coluisſe Gregorium; certe illa tunc jam vetula erat, et ſequentibus Papis aeque fuit addictisſima.

Gregorius e castello S^ti^ Angeli, ubi ab Henrico IV. obſesſus fuerat, Salernum reverſus, brevi post in hâc urbe ſupremum obiit diem (1085) (2), et dolendum ſane est historicos, de iis quae hac opportunitate dixerit, in varias abire partes; ex his enim ipſius Hildebrandi de ſuis actionibus judicium accuratius cognoscere posſemus. Nonnulli inducunt Papam ſupremo vitae ſpatio fatentem „ ſe ſuadente Diabolo contra hu- „ manum genus odium et iram concitasſe" (3); alii contra haec ejus ultima verba fuisſe dicunt: „ dilexi justitiam et odi iniquitatem, propterea „ morior in exilio " (4). Cuinam ſententiae fides tri-

(1) „ *Apud omnes, ſanum aliquid ſapientes, luce clarius* „ *conſtabat falſa esſe, quae dicebantur,*" ait Lambertus Schafn. ad annum 1077, initio. Conf. quae de eodem argumento dicta ſunt hujus commentationis, Part. II, cap. I. §. 3.

(2) Vid. Villers, l c. pag. 413; et Venema, l. c. pag. 630.

(3) Ita Sigebertus Gemblacensis in *Chronographiâ*, ad an. 1085.

(4) Sic C. Baronius, *Annalium*, Tom. XI. ad an. 1085. pag.

tribuenda ſit non ſatis liquet; vel ſic tamen quae posteriori loco citavimus verba a viri indole non aliena videntur (1). Denique, quod ad diverſa de eo judicia attinet, qui tantorum malorum auctor, atque tot criminum reus fuit, Gregorius VII, a cognomine Papa XIII. (1584), coelitibus annumeratus est (2). Illum vero, e ſanctorum numero a Gallis et Germanis ejectum, Hispania more ſuo ſanctum venerata est.

§. 2.

Magnae, quam ſubiit Hierarchia Romana, auctore Gregorio, commutationis vis et effectus.

In effectibus facinorum Hildebrandi, ut et univer-

pag. 765, n°. XI, et Millot, in *Hist. de France*, Vol. I. pag. 250.

(1) Ad hanc ſententiam tuendam faciunt ipſius etiam Gregorii verba, aliâ opportunitate habita; anno enim 1079, ſcribebat ad Germanos „ *quotquot enim Latini ſunt, omnes cauſam* Henrici, *praeter admodum paucos, laudant, ac defendunt et pernimiae duritiae ac impietatis circa eum me redarguunt. Quibus Dei gratiâ omnibus ſic restitimus hactenus, ut in neutram adhuc partem, niſi ſecundum justitiam et aequitatem, ſecundum nostrum intellectum declinaremus.*" Vid. Epist. Lib. VII. epist. 3. Conf. Planck, IV. B. I. Ab. pag. 207.

(2) Idem ille Gregorius XIII. etiam caedem reformatorum (1571) S^ti Bartholomaei nocte probavit.

verse in aliis rerum ſacrarum converſionibus, per totam historiam animadvertimus vim rerum novarum de religione motarum et vehementiorem et diuturniorem fuisſe, quam illarum, quae ad res publicas referuntur: illae enim, uniuscujusque opiniones spectantes, omnium animos advertunt, hae vero, ad principes fere ſolos pertinentes, per breve tempus vim habere ſolent (1). Hinc factum, ut Gregorii facta per duo ſaecula ad hierarchiam ſupra omnem potestatem evehendam valuerint.

E narratis ſatis ſuperque patet Hildebrandum non ſine multis aerumnis multoque labore tot tantaque perfecisſe; ſed earumdem injuriarum dolorem lenire ei licuit, reputanti ſe, decretorum vi et audacia, et in agendo conſtantiâ, fortitudine, letale vulnus civili imperio intulisſe, clericos disperſos arctisſimo vinculo Papae conjunxisſe, atque univerſae Eccleſiae regimini despoticam formam dedisſe, ita ut Europa, non regio Christiana, ſed ditio Romana esſe videretur. Nec minore ſuperbiâ ſuccesſores, ipſius vestigia diligenter prementes, gentium principumque conamina adverſus papalem despotismum alto ſupercilio despexerunt. Exemplum ita, quod dederat Gregorius pernicioſum,

(1) Conferantur, quae de rebus novis in religione univerſe motis egregie ratiocinatus est, Villers. *Esſai ſur la réformation de* Luther, pag. 11 ſeqq.

ſum multorum disſidiorum, contentionum, bellorum adeo, ad ſaeculum usque XIII, cauſa fuit; ita v. c. motus, qui ex investiturâ ab Hildebrando laicis ereptâ orti fuerant, ſub ejus ſuccesſoribus ad Innocentium IV. usque (1246) perdurarunt.

Magnam itaque commutationem, auctore Hildebrando, ſubiisſe Hierarchiam ex ante dictis ſatis ſuperque jam patuit; hic enim, qui per totam vitam „ *ſervum ſervorum Dei* " ſe dixerat (1), ad ſupremam Domini Dominorum dignitatem ſe erexit; nec ſe ſolum, ſed omnes ſimul, qui per duo ſaecula post eum eâdem ſacro-ſanctâ auctoritate ornati, ejus vestigia presſerunt. Ad despotismi enim formam hierarchiam adduxit, imo tyrannum erga omnes, qui ſuperbo ac immani ejus imperio repugnarent, ſe gesſit.

Nec profecto haec ſedis papalis despotica ratio, a Gregorio VII. condita, caducis fundamentis nitebatur. Romae, in celeberrima urbe, throno praejudicatis omnium Christianorum opinionibus conſtabilito, ſedebat ille, „ *cujus ſolius nomen, in mun-* „ *do unicum, in Eccleſiis erat recitandum* (2);" ibi, ſupremus legislator atque judex, e ſolio ſuo „ *ſolus episcopos deponebat vel reconciliabat* (3);" no-

(1) Hoc enim nomine Gregorius VII. delectabatur.

(2) Vid. Gregorii *Dictatûs*, art. X. et XI, e quo haec verba deſumta ſunt.

(3) Articuli III. *Dictatûs* Gregorii ipſisſima verba.

„ *novas leges condebat* (1)," atque „ *de omni Ec-*
„ *clesiâ, quocunque volebat, clericos ordinabat* (2);"
omnibus vero aliis, qui eum talem, qualem se
profitebatur, agnoscebant, regibus, populis, civibus singulis, refugium offerebat eo tutius, quo certius ejus sententia „ *a nullo retractari deberet, ip-*
„ *se omnium solus hanc retractare posset* (3); *nec*
„ *ullus Apostolicam sedem appellantem condemnare*
„ *auderet* (4)."

Ex hoc centro, omnibus clericis communi, legati, *a latere* dicti, in omnes Europae aulas mittebantur; hi, Pontificis Romani vicarii, „ *om-*
„ *nibus Episcopis in conciliis praeerant, etiam in-*
„ *ferioris gradus, et adversus eos sententiam dare*
„ *poterant* (5)." Membra vero hierarchiae dispersa indissolubili vinculo inter se conjungebantur; clerici enim omnes ex infimo muneris gradu ad supremum dignitatis papalis fastigium escendere poterant; omnes itaque sibi viam ad honores late patentem videbant, ex decretis Gregorii VII. de coelibatu, a clericis observando, nullâ familiae aut conjugis curâ sollicitudineque distinabantur; omni tem-
po-

(1) Articuli VII. ejusdem *Dictatûs*

(2) Art. XIV. verba.

(3 Articuli XVIII. *Dictatûs in* Gregorii *Epist.*, Lib. II. epist. 35.

(4) *Dictatûs* articul. XX

(5) Ejusdem articul. IV.

pore et loco, ſolius hierarchiae commoda promovere atque Paparum pomoeria extendere ſpectabant.

Principes, qui ſocordiâ atque ignaviâ ſuâ Hildebrandi molitionibus nimis faciles ſe praeſtiterant, atque ita Hierarchiae progresſibus egregie faverant, clericos deinceps restringere longe minus valuerunt. Investiturae jus, Gregorio VII. auctore, primum amittentes, brevi post huic, qui S^ti Petri ſuccesſorem ſe jactabat, potestatem ligandi et ſolvendi in coelo et in terrâ ipſi tribuerunt (1).

Gregorius etiam ſacrarum expeditionum, quae brevi post tantam vim habuerunt, eatenus auctor fuit, quatenus harum effectus animo praevidisſe, atque alios de hâc re exemplo, quod dedit, monuisſe videtur. Tali enim ſubſidio papalis auctoritas interna indigebat, cujus magni intererat principes, in remotis Aſiae regionibus bellum gerentes, ſuas res Pontifici Romano curandas relinquere, et quaſi ſub eo merentes, in Palestinam impetum facere, ut hoc Religionis Christianae incunabulum hierarchiae ſubmitterent. Praeterea gentes miro hâc aetate flagrabant ſtudio militari, quod item ad papalis despotismi commoda converti debebat. Itaque ad expeditionem ſacram ſuscipiendam

(1) Quod tamen jam Gregorius ipſe ſibi vindicaverat. Videatur ejus epistola, quae est ſecunda libri quarti, *Epistolarum* Gregorii.

dam Henricum IV. adducere conatus est, ut, quod fingebat, peregrinationes in Terram Sanctam (1), quae increscente superstitione frequentiores fiebant, eo tutiores essent; in quem finem, si exercitum concederet Imperator, hunc lubenter, ajebat Papa, ipse adversus Infideles ducere volebat. Sed in hâc re Gregorii conamina irrita fuerunt; nondum hierarchia omnium causa evaserat; et spem adeo fefellit eventus, ut Henricus IV. exercitu, quem ad hierarchiam fulciendam rogaverat Papa, adversus ipsum uteretur (2).

Longe tamen abfuit, ut omnia Hildebrandi facta noxia essent. Etenim uti optima consilia calamitosos nonnunquam effectus habent, sic et pessima aliquando ad feliciores exitus ducunt. Nimirum hoc feodalitatis tempore vinculo quodam opus erat, quo gentes inter se conjunctiores essent; jam vero hocce Hierarchiae imperio, quod Gregorius condidit, omnes Christiani in variis regionibus ad unam redigebantur societatem, sacram illam, in quâ una lingua, similes ritus, princeps idem unaque metropolis, Roma, omnibus erat. Hujus quidem vinculi vis maxime in expeditionibus sacris apparuit. Tunc enim variae gentes, eodem studio ductae, unius familiae instar, eandem egerunt causam. Verum enim vero populi hâc opportuni-

ta-

(1) Vid. *Epist.* Greg. Lib. II. epist. 31 et 37.

(2) Conf. hujus Commentationis, Part. II, Cap. II, §. 3.

tate didicerunt, quid vires conjunctae valeant; ipſique, ſocietatem arctiorem inter ſe ineuntes, hierarchiae impedimenta ſtruere coeperunt. Item principes, Henrici IV. exemplo admoniti, erga quem vehementius, quam par esſet, ſe gesſerat Gregorius, ne tale quid iterum, ac ſibi ipſis, accideret, ſummo caverunt ſtudio (1). Sic aetati ſacrae et militari, quae tantopere hierarchiae progresſibus inſervierat, aetas ſucceſſit politica jurisque ſtudiis inſignis, quae magnum damnum despotismo papali intulit, quippe quâ ſinguli principes ſuis ipſorum commodis prospicerent, ſibique ipſi, non vero Pontifici Romano, proximi viderentur. Inde libertatis amor in Germaniâ maxime ortus est, ſimulque eo literae reviviscere coeperunt, et Christiani tandem, quicquid aut malitia, aut ſimplicitas, aut crudelitas vel antea invexerat, vel ipſis his temporibus moliebatur, evertendum esſe autumarunt.

Porro Gregorii VII. ſucceſſores ſuae ipſorum cauſae nocuerunt, immo eam funditus perverterunt, quod despoticum Hildebrandi imperium affectantes

(1) Ipſe Henricus IV. morti proximus ad varios Principes ſcripſisſe traditur, „ *Papas conari univerſos Christianos in* „ *ſervitutem redigere durisſimam, et facturos, niſi reges ca-* „ *veant; neque cesſaturos donec more Anti-Christi in Tem-* „ *plo Dei ſedeant atque ab omnibus, quaſi Deus, colantur et* „ *adorentur,*" (2 Thesſ. II. 4.) Quae ipſa Henricus experientiâ edoctus fuerat. — Conf. Villers, *Esſai* etc. pag. 420.

tes vestigiisque ejus incedentes, eandem callidam agendi rationem non servarent. Sic certe nimis imprudenter egerunt Innocentius III. (1201) et Bonifacius VIII. (1297) qui, insanâ superbiâ exsultantes, excommunicatione, anathematibus interdictisque tam crebro usi sunt, ut hae poenae tandem omni vi carerent. Hinc enim plus semel factum est, ut Papis vires defecerint ad poenas, quas minati erant, infligendas. Periit ita haec Pontificum Romanorum sanctitatis notio, quam tantopere veneratae fuerant gentes.

Gratias itaque Providentiae Divinae agamus, quae et unum tantum Hildebrandum, tantis dotibus praeditum papalique auctoritate ornatum, protulit, et hujus viri pessima consilia ita moderata est, ut quae ille contra genus humanum cogitaverat mala, in bonam converterentur partem; ex ipso enim auctoritatis abusu (1), alma lux libertatis (1300), reformationis studium (1500), et despotismi papalis detrimentum (1800) tandem orta sunt.

Ha-

(1) Hunc cujusque immanis tyrannidis necessarium effectum rite animadvertit Robertsonius, dicens: „*There is an* „*ultimate point of depression as wel as of exaltation, from* „*which human affairs naturally return in a contrary pro-* „*gress.*" Additque infra „*when abuses grow to a certain* „*pitch, the society must go to ruin, or must attempt to re-* „*form them.*" — Vid. W. Robertson, „*A view of the* „*State of Europe*, in „*The history of* Charles V." Vol. I. Sect. I. pag. 27.

Habetis igitur, V. V. C. C., ad quaestionem a Vobis propofitam pro juvenilibus viribus qualecumque responfum, lucubratum opus, magnaeque fpei caufa! Num autem in hâc confcribendâ res mihi cesferit, Vos judicetis; mihi vero, licet alius praemium confequatur, idem tamen utilitatem et voluptatem, quam in tam egregio argumento pertractando cepi, non eripiet, nec profecto hanc laboris confolationem:

Ja, 't pogen zelfs is grootsch in 't worstelperk der eer!

HELMERS.

Maximam partem typis expresfa est haecce Disfertatio, postquam jam diem fuum obierat Auctor, Vir praestantissimus, qui fui desiderium in multorum animis reliquit; cujus memoriae in Disfertationis fine haecce dicata funto. —

Amftelodami natus, ineunte aetate cum parentibus Helvetiam Gallicam petiit, juvenis in patriam rediit, literarum Franco-Gallicarum elegantia imbutus. Hic paedagogico vitae generi quum fefe per aliquot annos dicasset V e r e n e t u s, *intus fentiens, quae fovebat*

bat ſtudia sanctiora, Doctoris Christiani munus expetiit, et Theologiae operam navare inſtituit. Qua vero indefesſa industria, diligentia et ἀκριβείᾳ disciplinis primum literariis, deinceps theologicis in Academia Rheno-Trajectina operam navaret, quos faceret in iis progresſus haud vulgares, quamque ſibi pararet doctrinae copiam, Praeceptoribus et Commilitonibus probavit quotidie, ut brevi quatuor annorum ſpatio academico, accuratam, quae nostratibus propria esſe ſolet, eruditionem haud infeliciter conjungeret cum illa morum et ſtudiorum elegantia, quam literis Franco-Gallicis moderaretur. Poëſin Franco-Gallicam ſatis feliciter coluit; ſtudiis historicis et historico-theologicis ſedulo operam navavit. In quibus ſingulis propria quadam ingenii vi, judicii acumine, labore asſiduo, ardore, quo ducebatur, ſeſe commendavit. Quod vero majus est et ſanctius, vīs Religionis Christianae ſalutifera in omni ejus vita patuit; ducebatur veri acerrimo ſtudio, virtutis Christianae amore, morum cum suavitate et urbanitate tum integritate, animi probitate, candore et modestia, pietate erga praeceptores, matrem, Deum maxime. Sic pectus erat, quod diſertum fecit, quo factum, ut Oratoris ſacri partibus egregie, plurimorum cum applausu, fungeretur, quo tempore Trajecti ad Rhenum S. Ministerii Candidatus Evangelium annunciavit.

Mag-

Magnam ita ſane de ſe excitaverat V e r e n e t u s *ſpem. Hanc vero frustravit Divini Numinis ſapientia, quae e medio ſustulit virum egregium illumque desideratum matri, conſanguineis, amicae fidelisſimae, futurae, ut ſperabat, conjugi, praeceptoribus, quibus carisſimus erat discipulus, amicis, coetui Rheno-Trajectino Wallonico. — Suam vero ſpem, quam moribundus declaravit, repoſitam habuit* V e r e n e t u s *in* Jeſu Christo, *Conſervatore fidelisſimo. Sic ille ad beatorum ſedes tranſiit, die* 2 *Aprilis* 1832, *annos natus* 31. (1)

Quiescat in pace!

(1) V e r e n e t i memoriam coluit coetus Wallonici Ultrajectini Conſistorium, edito hisce diebus ſcripto: *Tribut de regrets payé par le Conſistoire de l'Égliſe Wallonne d'Utrecht a la mémoire de* Mr. L. F. V e r e n e t, Candidat du Saint-Ministère Amſt. 1832. — Poemata typis vulgavit Verenetus: *Un jour en Suisſe* et *Charles, Nouvelle Helvetienne* et *Poeſies diverſes.*

COM.

COMMENTATIONIS CONSPECTUS.

INTROITUS.

PARS PRIOR.

QUAENAM FUIT HIERARCHIAE ROMANAE, MEDIO SAECULO XI, ANTE GREGORIUM, CONDITIO ET AUCTORITAS?

CAPUT. I.

Europae conditio politica, medio saeculo XI.

CAPUT II.

Hierarchiae Romanae, medio saeculo XI., conditio et auctoritas universe spectata.

CA-

CAPUT III.

Hierarchiae Romanae, medio saeculo XI, conditio et auctoritas, singulatim spectata. Papae ante Gregorium VII., ab anno 1049 ad 1073.

PARS ALTERA.

QUAM SUBIIT HIERARCHIA ROMANA, AUCTORE GREGORIO VII., COMMUTATIONEM?

CAPUT I.

Hildebrandi vita privata et Ecclesiastica, ad annum 1073.

CAPUT II.

Hildebrandus Papa, seu Gregorius VII. ab anno 1073 ad 1085.

§. 4.

C A P U T. III.

Gregorii VII. facinorum κρισὶς, eorumque vis atque effectus, in Hierarchiae conditionis commutatione conspicui.

A C C E D I T:

PRAE-

VERENET,

de

Commentatione

Hierarch. Rom.

auctore

Gregorio VII.

J. J. HINLÓPEN,

IN ACAD. RHENO-TRAJECT.

JURIS CAND.

RESPONSIO,

AD

QUAESTIONEM JURIDICAM,

PROPOSITAM A NOB. FACULTATE JURIDICA,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

QUA QUAERITUR:

„ *Quum in doctrinam juris hodierni de conventio-*
„ *nibus maximam vim habuerit jus Romanum*,
„ *et tamen in hac ipsa doctrina insignes sint in-*
„ *ter jus utrumque diversitates; quaerit Ordo*,
„ *ut investigetur, quaenam, tum quod ad prin-*
„ *cipia, tum quod ad generaliores conventionum*
„ *effectus, inter jus Romanum et hodiernum sive*
„ *convenientia sit, sive discrepantia.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT,

DIE XXV M. MARTII A. MDCCCXXX.

SYMBOLUM

Expedit, omnes gentes Romanis legibus operam dare, suis vivere.

FACCIOLATUS.

INTROITUS.

Quemadmodum de plerisque doctrinae locis inter eruditos disputari solet, sic quoque quaeritur, de causa juris et obligationis, quae e pactis oriuntur. Longum autem et a nostro proposito alienum foret diversas sententias enumerare; iis vero scriptoribus assentiendum videtur, qui de vi conventionum e naturae jure sic fere disputant (1). Homini concessa est facultas disponendi de juribus suis, igitur illa quoque in alterum transferre potest. Nobis enim hac nostra libertate uti licet, salvis aliorum juribus. Quodsi igitur sufficienter alteri voluntatem nostram declaravimus, portionem quamdam libertatis nostrae in aliorum arbitrium conferendi, et alter promissionem acceptavit, sequitur portionem illam libertatis nostrae non amplius ad nos pertinere et in alterius potestate versari. Hinc igitur constare videtur per pactum, jus, quod promissor habuit, in promissarium transferri, etiamsi nulla datio aut facti praestatio accesserit. Cum autem a sancta pactorum observatione praesertim pendet jurium conservatio et tutela, quae

(1) Cf. Haus, Elem. jur. nat. §. 167 et qui ab eo citantur.

quae est civitatis ſcopus, hinc cives vi externa ad ſuas obligationes implendas cogi debent. Ergo leges latae ſunt, quae obligationes, definiverunt, ex quibus vis cogendi oriretur. Attamen non omnium legum eaedem hac de re ſunt diſpoſitiones, ſed ſaepius diverſa ſanciverunt principia, quae e diverſa gentium indole et moribus explicari debent: exemplum nobis praebent jus Romanum et Hodiernum: circa conventionum enim materiam utrumque jus in multis convenit, in aliis tamen unum ab altero longe recedit. Non igitur utilitate carebit inquirere in discrimen et convenientiam utriusque juris circa principia et generaliores conventionum effectus. Ut vero ordine quodam in hac disquiſitione procedamus, capite *primo* dicendum erit de diverſa ratione, qua in utroque jure progresſa est jurisprudentia in definienda conventionum forma: capite *ſecundo* de iis quae requiruntur ad conſtituendam obligationem ex conventione in utroque jure: capite denique *tertio* de effectibus conventionum generalioribus.

CAPUT I.

DE DIVERSA RATIONE QUA, IN UTROQUE JURE, IN DEFINIENDA CONVENTIONUM FORMA PROGRESSA EST JURISPRUDENTIA.

---

§. I.

Disquiſitio Hiſtorica de conventionibus ſecundum jus Romanum.

Populo in cultûs initio verſanti leges ſufficiunt ſimplices. Propter morum ſimplicitatem haud indiget vitae voluptatibus et commodis: exiguus negotiorum numerus paucas requirit leges. Sed mox alias adit gentes, plurium rerum indigentiam ſentit, imo luxum cognoscere incipit: hanc rerum mutationem referunt quoque leges civiles; jurisprudentia enim ſic magis excolitur, atque ad mutatos mores applicatur, Quod ſi verum ſit de multis

tis populis, praefertim etiam valet de Romanis eorumque legibus. Illud vero in primis in materia de conventionibus obfervatur. Romani enim in hac juris parte peculiare plane condiderunt fystema, quod deinceps paullatim ad mores excultos, ad auctum in primis commercium et negotiorum frequentiam compofuerunt. (1) Nam ex fimplici voluntatis declaratione validam conventionem oriri noluerunt, fed alia requifiverunt, quae natura ignorat, et vim illam unice a lege civili repetiverunt. Non omnes eandem hujus rei afferunt caufam: funt enim, qui illud ab artibus Patriciorum repetant, qui ideo a simplicitate naturali recesfisfe Romanos dicunt, quod Plebeji formulis indigentes ad Patricios venirent qui fic eos fibi devincirent. (2) Cum vero nullis historicis testimoniis illud confirmatur, huic opinioni fides habenda non est. Multo vero minus eorum opinionem amplecti posfumus, qui in hac jurisprudentiae parte condenda Romanos juris Naturalis fimplicitatem fervasfe contendant. (3) Nam etiamfi verum esfet, ut jure naturae e pacto nullum jus nullaque obligatio perfecta, nulla praeftatione accedente, oriretur

(1) Cf. den Tex, de antiqui juris principiis in excolenda jurisprudentia Rom. conftanter fervatis p. 115.

(2) Cf. Pothier, Traité des Oblig. Tom. I. n°. 191 et qui eum refutat Modderman in Annal. Acad. Gron. 1816-1817. p. 50 sqq. qui de tota hac quaestione confuli meretur.

(3) Huberus in Praelect. jur. civ. ad T. I. de V. S.

tur, quaerendum tamen est, an Romani in infantia jurisprudentiae, ubi eorum de voluntate humana opiniones parum certae ac definitae erant, eo ducti fuerint ingenii acumine, ut hanc ob causam vim obligandi pactis detraherent? Sit cuique sua opinio, equidem vero illud affirmare non ausim; verum potius ipsis his parum claris de naturali jure ideis tribuendum videtur, quare pacta apud Romanos, ubi prima jurisprudentiae jecerunt fundamenta, actionem non produxerint. Solent enim populi, qui nondum ad certum culturae gradum pervenerunt, vim voluntatis humanae ignorare, externisque signis indigent, quibus repraesentant quid inter eos actum est. Idem apud Romanos obtinuisse videtur, qui uti in omnibus negotiis formulis erant addicti, sic quoque in nostra materia formulariam jurisprudentiam introduxerunt. (1) Antiquissimis enim temporibus violarunt saepius conventiones, quocirca Numa Pompilius templum Bonae Fidei dicavit, ut ita per religionem efficeret quod ob intellectus infantiam saepius locum non habebat, nempe ut fidem datam servarent. (2) Cum vero intersit civium, negotia, quae secum invicem iniverunt, servari, medium introduci debuit, quo promissarius cogere promittentem posset, ut suae obligationi satisfaceret. Ideoque conven-

(1) Cf. Heinecc. in Orat. de jurisprudentia formularia.

(2) Vid. Modderman l. l. p. 58-61.

ventionibus quibusdam actionem concesſerunt dum alias non ſervarunt, ſi ſcilicet non esſent obſervatae illae ſolennitates, quas requiſiverant primi juris auctores. — Non vero conſtat, a quo inde tempore illud discrimen obtinuit pacta inter et contractus. Primas autem leges de conventionibus Servium Tullium tulisſe auctor nobis est Dionyſius Halicarnasſenſis. „ Leges, ait ille, de contractibus et de injuriis tulit, quas Curiatis Comitiis „ ratas fecit. Erant autem numero quinquaginta, „ quarum mentionem facere jam non est opus."(1) Videtur eas tulisſe, ne Plebeji nimis gravi foenore, quo eos premebant Patricii, ſuccumberent, nam vocat eas Dionyſius „ *τοὺς νόμους φιλανθρώπους καὶ δημοτίκους.* (2) Lucius vero Tarquinius Superbus, Servii Tullii ſuccesſor eas mox abrogavit. Cum vero verba nobis haud ſervata ſint, nil certi de iis ſtatuere licet, videntur tamen a Decemviris in Legibus 12 Tabb. receptis et fori disputatione uſuque juris civilis ab exiguis et parvis initiis illam accepisſe formam, quam apud Romanos dein habuerunt. (3)

Antiquisſimo jure Romano igitur ex pacto nulla actio oriebatur niſi quis rem ipſam, ſolennibus justis obſervatis, in alterum transtulisſet, vel per ſo-

(1) Vid. Dion. Hal. Antiq. Rom. p. 218.

(2) Cf. Gluck, Erläut. der Pand. Tom. IV. Parte I. §. 306. p. 223.

(3) Cf. Heinecc. Antiq. Rom. III. t. 14. p. 466.

ſolennia verba promiſisſet. Talis conventio *contractus* dicitur: (1) habebat enim civilem cauſam obligandi, *verborum* ſcilicet *ſolennitatem* aut *factum praeſtationis*. Illi vero contractus Juris Civilis dicebantur: ſingulis enim iis negotiis quorum uſus quotidie apparebat, certam determinationem dederunt, ſuum nomen, atque his convenientes actionum formulas. Cum vero arctis admodum circumſcripti erant finibus gentis Romanae contractus, mox aliarum gentium conventiones in uſum vocarunt, quae ſaepius in locum conventionum Juris Civilis ſubintrarunt, uti exemplo doceri potest mancipationis; nam ex uſu recesſit et ejus locum occupavit contractus emtionis venditionis. Ab hoc igitur tempore, quo receperunt contractus Juris Gentium, contractus, qui dicuntur, conſenſuales in jurisprudentiam Romanam transierunt. Utrum tamen ante an vero post introductos contractus conſenſuales illi a Romanis ſint recepti qui literis perficiebantur, haud facile dici potest: videntur tamen iis dein accesſisſe; cum enim lati Imperii fines et variis in provinciis longisſime a ſe invicem remoti cives non amplius sinerent, ut praeſentes esſent in negotiis ſecum invicem ineundis, eo-

(1) Putat Cl. Hugo, Lehrb. der geſch. des Röm. rechts p. 170, legibus 12 tabb. incognitum fuisſe *contractus* vocabulum, *nexûs* autem adhibitum fuisſe. Vide etiam Warnkoenig, Gomm, juris Rom. Tom. II. nº. 479.

eorum vero praesentiam in conventionibus, quae sive re sive verbis sive consensu inirentur requirerent, videntur Romani ab instituto ipsis proprio ad temporum conditionem adjuvandam processisse. (1) Tabulas enim domesticas quam accuratissime conficere et apud Censores jurejurando confirmari curabant. Docemur a Gajo literis fieri obligationem, veluti in nominibus transscriptitiis. (2) Fit autem nomen transscriptitium duplici modo, vel a re in personam, vel a persona in personam. Debitum igitur transscribebatur in codice accepti et expensi, in quo cives Romani accepta et erogata notare solebant. Ita vetus debitum per solennia verba et scripturam subsecutam in alium creditorem transferebant, et difficultati obveniebant; nam Romanus in remota regione degens cujus creditor et debitor Romae habitabant, pecuniam ipsam solvere necesse non habebat, sed creditorem jubebat in Codice suo nomen debitori suo consentienti expensum ferre. Hoc dicebatur *delegare* et *solutionis locum tenere.* (3)

Cum vero in dies negotiorum numerus cresceret, experientia edocti, quantis difficultatibus ansam praebebat illud, quod non nisi paucis

(1) Vid. Rovers, Comment. de M. T. Ciceronis Orat. pro Q. Rosc. Comoedio, anno 1826 defensa p. 16-26.

(2) Comment. III. 128.

(3) Cf. Rovers, l. l. p. 25.

cis conventionibus vim obligandi tribuisſent, pacta nonnulla a Praetore confirmata ſunt, quae dicuntur *Pacta Praetoria*, vel a jure civili, quae dicuntur *Legitima*. Pacta denique quae bonae fidei contractibus adjiciebantur in continenti, actionem ex contractu descendentem formare nobis conſtat ex l. 7. §. 5. ff. de pactis.

Praetorum munus unum e paucis erat gravisſimum: quae vero auctoritas in illa maxime cernitur facultate quod corrigendo, ſupplendo et adjuvando juris civilis rigorem flecterent et ad majorem aequitatem accommodarent. Cum vero jus ſe dicturos esſe ſalvo more majorum profiterentur (l. 11. ff. de J. et J.) ſtabilis et certa evaſit jurisprudentia Romana. (1) Hoc etiam ex doctrina de conventionibus apparet: Praetor enim naturali aequitate ductus edictum propoſuit, quo ſe pacta conventa ſervaturum esſe promiſit. Edictum illud nobis ſervavit Ulpianus in l. 7. §. 7. ff. de pactis, ait Praetor: „ Pacta conventa quae neque dolo malo neque adverſus leges, Plebiscita, Scta, Edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, ſervabo." Fuit autem illud Edictum a Praetore propoſitum ad Legum 12 tabb. angustiam regundam laxandamque; (2) ita tamen ut numquam actionem, ſed tantum exceptionem producerent pacta.

Tan-

(1) Cf. den Tex, l. I. p. 58 et 59.

(2) Vid. Noodt, de pactis c. 1 et 6.

Tandem pacta quoque vim obligandi nacta ſunt, quoties ſcilicet alter contrahentium obligationi ſuae ſatisfecisſet, unde *contractus innominati.* Rudia enim hominum ingenia ignorant, uti diximus, vim voluntatis humanae, crescente vero humanitate, magis eam perſpiciunt: quod enim incultorum Quiritium turba haud cepit, ſagax ac philoſophiae ſtudio imbutus JCtus perſcrutatus est et perſpexit. Et ſic quidem factum ut T. Aristo, vir acutisſimus (1), pacta quaedam hactenus nuda, ab una parte impleta, obligationem producere civilem ſtatuerit. Hujus rei testis nobis est Ulpianus in l. 7. §. 2. ff. de pactis. „ Sed et ſi in alium contractum res non transeat, ſubſit tamen cauſa: eleganter Aristo Celſo respondet esſe obligationem: ut puta, dedi tibi rem, ut mihi aliam dares, dedi ut aliquid facias: hoc *συνάλλαγμα* i. e contractum esſe, et hinc nasci civilem obligationem." Cum vero innumeris modis pacta transeunt in contractum innominatum, cuique negotio propria actio dari non potuit, ſed data est generalis illa actio, quae *praeſcriptis verbis* vocatur. Ex his vero introductis contractibus innominatis ubertimos percepit fructus jurisprudentia Romana, nam nimis arcti fines juris quoad conventionum doctrinam magis extenſi ſunt, et pacta hactenus nuda, vim

(1) De hoc viro Trajani aequali vid. Plinius L. I. Ep. 22. et Pothier ad Pand. Tom. I. p. 29. ed. Bruxell. in 4°.

vim obligandi acceperunt. (1) Actio vero praescriptis verbis, dein etiam ad alios casus extensa est, nam quoties incertum esset, quanam actione agendum, toties actionem hanc in usum vocarunt. (2)

Denique Leo Imp. in stipulatione non amplius solennia interrogandi respondendique verba requisivit (l. 10. C. contrah. et committ. stipul.) adeo ut in dubio stipulationem factam esse praesumeretur (3). Animus autem paciscentium in primis ex modo contrahendi colligebatur, unde, si inter absentes res fuisset peracta, pactum obtinuisse censebatur, nam verborum obligatio inter absentes concepta inutilis est (4).

Ex his igitur omnibus concludimus, ad mores excultos et negotiorum frequentiam sese excoluisse jurisprudentiam Romanam, ita tamen ut a semel positis principiis non recesserit, sed constanter ferraverit, adeoque verba cl. den Tex nostra faciamus. „ E pacto nudo non datur actio. Censuerant illud primi, rudi aetate, Romani. Censuit „ etiam suo tempore Justinianus. Formulae et solennitates adjici negotiis primum debebant, ut „ de animo deliberato constaret. Ferebat hoc eo „ tem-

(1) Cf. Modderman, l. l. p. 83.

(2) L. 1. §. 1 et 2. L. 12. L 17. ff. de praescriptis verbis.

(3) Paulus, Sentent. V. 7. §. 2.

(4) §. 12. Inst. de inut. stip.

„ tempore commerciorum paucitas, civium pau-
„ pertas, morum fimplicitas. Verumtamen hae,
„ et fi quae aliae erant hujus rei rationes, cesfa-
„ runt auctis divitiis et commerciis Romanorum.
„ E nudo tamen pacto actio data fuit numquam. —
„ Quum vero mutati mores jus illud vetustisfimum
„ non facile ferrent, pacta nonnulla lege aut Edic-
„ to Praetoris fuerunt confirmata, quae ut actio-
„ nem producerent, publice in primis interesfe
„ videbatur. In his tamen ipfis a juris principiis
„ non recesferunt. In conftituto v. c. de animo
„ deliberato confpicue conftare cenfebatur; et hy-
„ potheca invaluit ad exemplum fiduciae, omisfa
„ tantum cesfione, vel mancipatione. — Nuda
„ quoque pacta obligandi vim nancisci coeperunt,
„ quoties alter contrahentium fuae obligationi jam
„ fatisfecisfet. Hinc contractus innominati, Hi
„ autem a nominatis diverfi manferunt femper.
„ Univerfe etiam ipfa nuda pacta vim acceperunt,
„ quum Praetor ea fe fervaturum pollicitus, ex
„ iis exceptionem dare foleret.

„ Mutata commercia nonnumquam effecerunt,
„ ut contractuum etiam nonnullorum alia ratio
„ fieret. Ita tamen hae immutationes factae funt,
„ ut antiqua fervata fuerit contractus indoles. —
„ Ut ftricte adeo folennia interrogandi responden-
„ dique verba in ftipulatione obfervarentur, non
„ tulit commerciorum deinceps ratio. Suffecerunt
„ igitur quaevis verba, quibus confenfus expri-

„ me-

„ meretur. Manſit tamen ſtipulationis ſemper pro-
„ prium, ut verba intercederent." (1).

§. 2.

Disquiſitio historica de conventionibus ſecundum jus hodiernum.

Voluntatem quocunque modo declaratam contrahentes obligare generale est juris hodierni principium, adeo ut discrimen inter pactum et contractum ſublatum ſit, nobisque indistincte his vocabulis uti liceat: cujus rei cauſa jam examinanda est. Quae de conventionum vi obligatoria ſecundum juris naturalis principia memoravimus, hic iterum in cenſum venire debent. Summo enim jure nos tum contendisſe putamus, omnes conventiones, modo valide initas, paciscentes adſtringere. Prouti vero homo vel tota gens majorem habet opinionem de conventionum ſanctitate vel minorem, pro eadem etiam ratione inter contrahentes majoribus vel minoribus cautelis opus est, quibus ad fidei ſemel datae obſervationem partes cogi posſint. Quando igitur gens pacta violare ſolet, neque obſervant homines de quibus ſecum invicem convenerunt, externa ſigna leges in contrahendo requirunt, ut ex iis conſtet, alterum alteri esſe obligatum. Si ve-

(1) Disp. I. p. 115 et 116.

vero religiose pactorum fidem habent cives, legislator non iis indiget remediis. Haec jam apud Germanicae originis gentes causa fuisse videtur, quare conventio serio inita plenam obligandi vim haberet, adeo ut de verborum forma aut solennitate haud quaereretur. Populi enim illi fidem semel datam omnibus antehabuerunt, cujus rei jam ab antiquissimo inde tempore exempla praebuisse testis nobis est Tacitus (1). Nec minus certe laudandi illius propositi testimonia in variarum gentium legibus occurrunt, unde in jure Allemannico paroemium legitur: quidquid aliquis promisit, illud servabit; *Was der mann gelobet, das sol er stet halten*, et in speculo Saxonico inter alia haec inveniuntur; quidquid egerit, illud custodiet; *was er thut, das sal er stete halden* (2). Eadem haec principia antiquae Visi-Gothorum, Bajuvarum et Longobardorum leges confirmarunt, aeque ac capitularia regum Francorum (3). Mos vero per quem non nisi illud, quod in judicio erat peractum, probari poterat, adeo ut reus jurejurando sese liberare posset actione e negotio extra judicium gesto, effecit ut non omnis contractus inconsulte initus plenam vim haberet, quoniam vero cujuscunque conventionis probatio admissa erat, et quidem etiam

(1) Ann. I. 13. c. 54. et de Moribus Germ. c. 24.
(2) Vid. Wachtendorff, de pactis nudis, 565.
(3) Cf. Glück, l. l. t. 4. part. 1. §: 312.

etiam per testes, ex omnibus conventionibus actiones oriri debuerunt; illudque eo magis, cum Jcti nil in legibus patriis invenirent, cui applicarent juris Rom. praecepta (1). Et ſic quidem factum, ut de Gallis testatur Franciscus Conanus (2): „ apud nos nullum est ſtipulationis robur, aut „ certe non majus, quam cujusvis nudae pactio„ nis;" et Carolus Molinaeus (3): „ Sed hodie „ in praxi omnes leges et theoriae de formulis ſti„ pulationum ſupervacuae ſunt, quia conventio ſe„ rio pacta et concluſa pro ſtipulatione habetur, „ et ita in utroque foro ſaeculari et eccleſiastico „ obſervatur, ne de verborum forma et ſolennitate „ quaeratur."

Ex his igitur apparet, moribus uſuque hoc principium in earum gentium legibus receptum fuisſe, adeo ut non opus ſit confugere ad eorum opinionem, qui e conſtitutione Leonis cauſam repetunt, quare discrimen pacta inter et contractus ſit ſublatum; nam alii luculenter probarunt, hujus Imperatoris conſtitutionem non eo tendere ut discrimen illud plane tolleret (4). — Alii vero a jure Canonico repetiverunt, quod vim obligandi nudis pac-

(1) Cl. Mittermaier, Grundſätze des gemeinen Deutſchen privat-rechts, §. 188.

(2) Comment. l. 1. c. 6.

(3) Ad rubricam tit. de V. O. nº.42. ad. Wachtendorff, l.l. p. 575.

(4) Vid. Glück, l. l.

pactis concesſit jus antiquum Germanorum et Francorum, ſed mihi perſuaſum non habeo, illud apud hos populos primum obtinuisſe post introductum jus Canonicum, quamvis multum profuisſe videatur, ut in antiquâ opinione de fide ſervanda manerent Germani.

Haec igitur ſi nobis cum reputemus, nemini mirum videbitur, codicis civilis auctores principium ſervasſe, quod patriis in legibus receptum et ab iis auctoribus ſancitum erat, quorum opera in condenda hac materia conſuluerunt, Domatii ſcilicet et maxime Roberti Joſ. Pothierii opus praeſtantisſimum cui titulus „ traité des obligations ," cujus ſaepe ſententias in codice verbotenus expresſerunt, adeo ut, quam mirum illud videatur, interpretatio textu ſit antiquior (1).

§. 3.

Obſervatio de utroque jure, ex qua utriusque diverſitas atque convenientia efficitur.

Romani in materia de conventionibus, uti vidimus, a naturali juris ſimplicitate ſaepius recesſerunt, quamvis ad eam reverti ſemper conati ſunt. Jus

(1) Vid. Disp. over den invloed van den Franſchen Regtsgel. en Hoogl. Pothier op de wetgeving van K. Napoleon, in opere cl. W. H. Tydeman Regtsgel. Mengelwerk, a°. 1811. p. 43 ſqq.

Jus Hodiernum contra, tum quod ad principia, um quod ad effectus fancivit regulas fimplicitati naturali magis accommodatas, quia legislator noster in condenda hac materia id in primis fpectavit, ne libertatem conventionum ineundarum nimis arctis finibus praecluderet et ad paucos tantum cafus referret, fed ftatuit, quid juris inter partes futurum esfet hoc cafu, fi in negotio ineundo quaedam intacta reliquisfent (1). Verum jurisperiti in Francia praeceptis inftitutisque Romanorum imbuti fystema juris condiderunt, quod decus et gloriam fuam pro magna parte ab antiqua Romanorum legislatione mutuatur. Nam praecepta in Pandectis maxime collecta ex aequitate et hominum confcientia haufta, clarisfimum opus effecerunt quod nullius gentis legislatio fuperavit umquam, quia cafus recenfuit fere omnes in quos homines incidere posfint cum conventiones fecum invicem iniverunt; et quia breviter ac praecife ponderatis caufis, quid juris fit, definiverunt, collectisque praeftantisfimis philofophiae praeceptis, Jcti opus nobis reliquerunt, quod fummo jure *rationem fcriptam* nuncupare licet. Vere igitur ampl. Bigot-Préameneu „ Elles feraient bien mal entendues „ les difpofitions du Code civil relatives aux con- „ trats, fi on les envisageait autrement que com- „ me

(1) Weber, Systhematifche Entwieckelung von der natürlichen Verbindlichkeit, §. 80.

„ me des règles elementaires d'équité, dont tou-
„ tes les ramifications ſe trouvent dans les lois ro-
„ maines. C'est là, que ſont les développemens
„ de la ſcience du juste et de l'injuste; c'est là,
„ que doivent s'inſtruire tous ceux qui voudront
„ y faire quelques progrès, et en général, tous
„ ceux qui feront chargés de la défenſe, ou de
„ l'éxécution des lois conſignées dans le Code
„ Français." (1)

Ad quaestionem igitur qua in re jus hodiernum a jure Romano recedat aut cum eo conveniat, generaliter respondendum puto: ubi jus Romanum ob rationes mere civiles a naturali juris ſimplicitate recedit, ibi etiam jus hodiernum a jure Rom. recesſisſe, cum contra ubi Romanorum praecepta et aeterna juris principia inter ſe conſonant, ibi jus hodiernum cum jurisprudentia Romana convenire. E generali hac ſententia tota quaestio conſideranda erit.

(1) Vid. Motifs, Tom. 5. n°. 59. pag. 4.

CAPUT II.

DE IIS, QUAE REQUIRUNTUR AD CONSTITUENDAM OBLIGATIONEM IN UTROQUE JURE.

---

§. 1.

De conventionibus in genere, earumque essentialibus requisitis.

Vocis *conventionis* definitionem (pacti aeque ac contractus significationem continentem) ab Ulpiano in l. 1. §. 2 et 3. ff. de pact. datam, vitio quodam laborare jam multi observarunt, (1) nam quod dicit, esse duorum pluriumve in idem placitum consensum, in eo non rite distinguit inter vul-

(1) Cf. Wachendorff, l. l. p. 337, add, Glück, l. l. Tom. IV. p. 1. §. 287.

vulgare placitum quod nos dicimus *eene affpraak* et ipfam conventionem. Verba igitur adjicienda videntur, conventionem nempe esfe duorum pluriumve in idem placitum confenfum, quo alter promittit, alter promisfioni adhaeret. Eadem etiam ratione artic. 1101. Cod. civ. conventionis vocem definivit, etenim per conventionem, quae confenfu duas pluresve perfonas inter perficitur, alter alteri fefe obligavit ad rem aliquam dandam, vel ad aliquid faciendum vel non faciendum (1). Sine partium igitur *confenfu* conventio cogitari nequit, adeoque requifitum conventionum esfentiale est, pariter ac *partium contrahentium capacitas*; verfari porro debet circa *objectum*, quod tertium conventionum requifitum esfentiale est; quibus denique quartum addiderunt, *caufam civilem obligationis*. De fingulis paucis erit dicendum.

I. Conventio nifi habeat confenfum nulla est, conftat enim ex duabus mentis declarationibus, promisfione fcilicet illiusque acceptatione, omne vero id quod contrarium est confenfui five expresfe five tacite declarato vitiat conventionem, ideoque qui errant confentire non videntur: l. 116. §. 2. de R. J. qui error igitur aeque ac vis et dolus confenfum impedit. Error vero vitiat confenfum, fi verfatur circa naturam negotii, quod pa-

(1) Vid. Zacharia, Handb. des Franz. civ. Rechts, Tom. II, §. 340. ed. a[1]. 1827.

partes gerere ſibi proponunt; quo modo enim conſenſus praeſumi poteſt, ſi una pars alio modo, altera alio ſeſe obligare conſtituit. Porro ſi error verſatur circa ſubſtantiam rei, quae conventionis eſt objectum, vitiatur item conventio. Error vero in perſona cauſa non eſt nullitatis, niſi certae perſonae reſpectu contractus ſit initus (1). Principia haec a jure R. ſancita codex civilis confirmavit, quod patet lucide ex art. 1110, qui error ſi in conventione occurrit, eam non reddit ipſo jure nullam, ſed nullitati ſive reſcisſioni locum facit a. 1117 (2).

Dolus autem non ita videtur conſenſui adverſari, ut nulla conventio valeat. Diſcrimen hac in re jure R. faciunt inter bonae fidei et ſtricti juris contractus, quod enim attinet ad contractus ſtricti juris, valent hi, ſive dolus ſit incidens ſive contractui cauſam dederit, nam Praetor in formula ſibi propoſita tantum declarare tenetur, an nogotium peractum ſit nec ne. Cum vero nemo cum damno alterius debet locupletari, Praetor ſuccurrit dando vel doli actionem vel exceptionem prouti negotium peractum ſit vel minus. In contractibus vero bonae fidei diſtinguunt nonnulli inter dolum contractui cauſam dantem et incidentem, nam dolus contractui b. f. cauſam dans illum ipſo jurereddit nul-

(1) Vid. Warnkoenig, l. l. T. 2. n°. 468.

(2) Duranton. traité des Contrats, Tom. I. n°. 51.

nullum, quia bona fides, horum contractuum fundamentum, dolo est oppofita. Sed quid fi in negotiis b. f. dolus est incidens? Tum multi existimant (1) haec negotia purgari debere vel actione ex ipfo contractu descendente vel doli exceptione. Sed ab horum opinione recesfit Noodtius (2), qui putat, bonae fidei contractum eodem modo ob dolum incidentem atque ob dolum caufam dantem esfe nullum. Quae fententia mihi quoque magis placet, nam contractus b. f. fubftantiam habet a bona fide, quae dolo plane est contraria.

Quod ad jus hodiernum attinet, funt, qui illud discrimen inter dolum caufam dantem et incidentem admittendum esfe existiment; alii vero illud negant. Cum vero et verba et mens legislatoris huic opinioni obftare videntur, notam hanc distinctionem jure nostro ignorari contendimus. Qui enim contrariam tuentur fententiam (3), afferunt fere art. 1116, ex quo dicunt apparere ob dolum refcindi conventionem, fi ei caufam dederit. Illud vero in art. cit. non dicitur, fed legimus, apparere debere, alterum fine illo dolo contracturum non fuisfe; quod longe aliud quid est, nam licet quis

(1) Vid. qui a Glückio, Citantur, l. l. Tom, IV. p. 1. § 313. pag. 293.

(2) De formis ementandi doli, m. c. 8.

(3) Vid. Duranton, l. l. n°. 92 fqq.

quis ſponte procedat ad contrahendum, tamen utique ab altera parte talis dolus poteſt intervenire, ut ſine eo neutiquam contraxisſet, adeoque ex art. cit. erit rescindendus, licet non ſit dolus contractui cauſam dans. Prudentiae vero judicis relictum est ut illud definiat, et ſi inde effici nequit, quod ſine hoc dolo non contraxisſet, vel ſic tamen locus tum esſet damni reparationi, uti patet ex art. 1382, qui non unice ad caſus referendus est, ſi dolus ſit incidens, ſed generatim ad eum, ſi damnum ſentiat contrahens ex dolo alterius, quamvis veroſimile ſit ſe non obſtante quidem dolo illo contracturum fuisſe, nam nemo cum damno alterius debet locupletari. Dolus vero non praeſumitur, ſed perſpicuis indiciis probari debet: art. 1116.

Impedimentum porro conventionis vis aut metus est; nam metus exceptione ſeſe tuetur, qui vi coactus aliquid promiſit ſive extraneae ſive ipſi perſonae, quae metum vel vim intulit. l. 1. §. 1. ff. quod metus cauſa. Si vero res jam tradita vel factum praeſtitum ſit, in integrum restitutionis auxilio indiget, qui ad id metu aut vi coactus est (1). Non vero ſolum vis nullitatis cauſa est, ſi ipſi contrahenti illata ſit, ſed etiam ejus conjugi, descendentibus et adscendentibus, nam ſuo affectu parentes magis in liberis terrentur. l. 8. §. 3. d. t. Nec vero propter quamcunque vim rescinditur conventio,

(1) Warnkoenig, l. l. 475 et 476.

tio, ſed vim accepimus atrocem et eam, quae adverſus bonos mores fiat, metus ſcilicet non vani hominis, ſed qui in hominem conſtantisſimum cadit. l. 3. 5. 6. ff. d. t. Debet porro vis esſe praeſens, igitur ſuspicio mali non ſufficit, licet effectus vis non ſtatim ſequantur necesſe ſit, postquam obligationi ſubſcripſerit. l. 9. ff. d. t. — Omnia haec juris R. praecepta in codicem civilem migrarunt (1), quia justa ſunt, ſalvo eo quod juris R. dispoſitio, qua vitiatur conventio, ſi in hominem cadit conſtantisſimum, nimis rigida est, adeoque merito a nostratibus conſtitutum est, ut hac in re ratio habeatur ſexus, aetatis, et conditionis perſonarum: art. 1112 (2).

Fides conventionibus habenda et negotiorum ſecuritas non ſinebat, ut quaecunque laeſio vitiaret conventiones; rerum ſcilicet pretia immutantur, adeo ut quae hoc tempore vilioris ſunt pretii, mox ob temporum aut locorum rationem aliasve cauſas, aucto valore vendantur. Cum vero damnum ſine vi aut dolo quis e conventione ſentire potest illudque aequalitati, quae multarum conventionum fundamentum est, repugnat, laeſio aliquando vitiat conventionem, ſed non niſi in caſibus lege definitis. Jus Rom. aeque illud definivit ac hodiernum, ſed eatenus differunt, quod laeſio in utroque jure

(1) Art. 1111—1115. add. Duranton, l. l. n°. 80 ſqq.

(2) Pothier, l. l. n° 125.

re non eandem continet ſummam; exemplo res illustrari potest, ob laeſionem enim ultra dimidium emtio venditio rescindi potest. l. 2. C. de rescind. vend. contra, ſecundum art. 1674. laeſio in venditione rei immobilis major ſeptem duodecimis partibus veri pretii est (1).

II. Transeamus jam ad ſecundum esſentiale conventionum requiſitum, ad capacitatem contrahentium. Omnis perſona contrahere potest niſi lex ei hanc ademerit facultatem. Videamus quasnam perſonas lex ad contrahendum incapaces declaret. Primo hic in cenſum venire posſunt minores. Jure Rom. infantibus ſeptimo aetatis anno minoribus ſine interventu tutorum contrahere omnino non licebat, ne tum quidem cum ſuam conditionem meliorem reddere vellent, post hanc vero aetatem ad duodecimum pupillae, et decimum quartum annum pupilli alios ſibi, ſe vero non aliis adſtringere poterant; post hanc vero aetatem ſe etiam aliis obligabant. Apud nos autem nemo, niſi ſit emancipatus, ante annum vigeſimum primum citra tutoris auctoritatem obligationem ſuscipere potest. Perſonae autem quae cum minoribus contraxerunt, valide iis tenentur (2). Minorum porro conventiones, ſi laeſi

ſint.

(1) Vid. etiam art. 887. 1118. 1313. add. Duranton, l. l. n°. 103-118.

(2) Cf. Inſt. l. 1. Tit. 21 pr. et art. 1125 C. c. Vid, Zacharia; l. l. Tom. II. §. 335. nota. 1.

ſint, rescindi posſunt, ſi enim contraxerunt, et nulla imprudentiae indicia in negotio perficiendo dederunt, cum nullum damnum ſentirent, conventio haec valet; nam minor non restituitur tamquam minor ſed tamquam laeſus. Prohibentur ſecundo loco conventiones facere, quibus bonis interdictum est, furioſi enim ait Pomponius et ejus cui bonis interdictum est, nulla est voluntas. l. 40. ff. de R. J. Habent enim hi curatores ſine quorum auctoritate paciſci nequeunt, aeque ac prodigi, furioſis enim aequiparantur. l. 6. ff. de V. O. l. 1. ff. de curat furios. Eodem modo codex civilis hodiernus perſonas, quae ob ingenii imbecillitatem dementiam aut furorem tutelae ſubmittuntur, conventiones facere prohibuit, et ſi actus condiderint, hi nulli dicuntur etiamſi laeſi non ſint. art. 502 et 1124. ita tamen ut, qui cum eo cui bonorum adminiſtratio est ademta contraxerit, hujus perſonae incapacitatem opponere nequeat. art. 1125. — Quibusdam porro perſonis facultas ademta est certas conventionum ſpecies ineundi, quas omnes recenſere non est hujus loci, exempla ſufficiunt: tutor v. gr. nil ex bonis pupilli, quae distrahi posſunt ſibi comparare potest. l. 5. C. de contrah. emt. vend. Eandem regulam ſancivit art. 1596, qui pariter ſtatuit, mandatariis atque administratoribus non licere eas res emere in publicis auctionibus, quae eorum curae commisſae ſunt (1). — Sunt ve-

(1) Vid. l. 7. C. de fide et jure hastae fiscalis.

vero etiam nonnullae perfonae, quae licet recte cum aliis contrahant, cum aliis tamen prohibentur. Sic pater et filius quoniam jure R. pro una habentur perfona, inter fe pacisci nequeunt (1). Si vero filius pro patre paciscitur, valet pactum et acquirit patri exceptionem (2). Pariter fervi civiliter non obligantur, et perfonae, quae ejusdem potestati fubjectae funt, fe invicem obligare nequeunt (3). Non est quod dicam, cafus hos jure nostro incognitos esfe, pater enim et liberi non pro una habentur perfona, et discrimen liberos inter et fervos fublatum est. Contra vero etiam in jure hodierno occurrunt difpofitiones, quae jure R. ignorantur: etenim certis quibusdam cafibus mulieres nuptae conventiones inire prohibentur, fi confenfus mariti aut auctoritas judicis deficiat. Jure R. contra mulieres nuptae valide fefe obligare poterant, modo Scto Vellejano non contravenisfent, quod privabat foeminas facultate pro aliis intercedendi five per fidejusfionem, five per conftitutum, five alia ratione, non autem illud Sctum foeminas in propriis negotiis fefe obligare vetabat (4). Haec juris R. principia olim in regionibus juris fcripti fervabantur; fed in regionibus juris confuetudinarii mu-

(1) Höpfner, Commentär. zu den Inftit. p. 572.
(2) Cf. Noodt, de pact. c. 24.
(3) Weber. I. l. §. 86 et 87.
(4) Cf. Duranton, l. l. n°. 232.

mulieres auctoritate mariti indigebant, adeo ut, si ea deficeret, tam a parte mulieris, quam a parte ejus, cum qua contraxit, nullitatem adesse censeatur (1). Jus consuetudinarium autem codicis architecti eatenus restrixerunt, ut personae, quae sese mulieri nuptae obligarunt, omnino teneantur, licet auctoritas mariti absit, a. 1125.

III. Tertium essentiale conventionum requisitum objectum est, de quo jam dicendum. Objectum conventionis vel in dando vel in faciendo consistit, debet porro ejus cui promittitur interesse, neque quod legibus contrarium est conventionis objectum esse potest; l. 45. ff. de R. J. quocirca rerum litigiosarum alienationes vetitae sunt, pariter atque conventiones de hereditatibus viventium l. 16. ff. de suis et legit. Porro impossibilium, illicitarum atque inhonestarum conventionum nulla est obligatio. l. 185. ff. de R. J. Si res objectum est conventionis, debet esse certa atque in paciscentium versari potestate; et non solum res praesentes sed et futurae promitti possunt (2). Venditio rei extra commercium versantis valet ignoranti facta, sive illud noverit promittens, sive minus, nam rei aestimationem aut id quod interest praestabit (3). Idem dicendum de rei alienae promissione, quae valet etiamsi invito vel ignorante do-

(1) Vid. Pothier, l. c. n°. 50.

(2) Cf. Glück, l. l. Tom. IV. p. 1. §. 303. p. 186.

(3) Warnkoenig, l. l. §. 461 sq.

domino facta sit. l. 25. ff. de contrah. emt. Ex his principiis hausit jus hodiernum doctrinam de conventionum objecto, quocirca ea non repeto. Vid. art. 1126—1130 et 1133. Unice illud observo, alienae rei venditionem nullam jure hodierno esse, secus ac jure R. Differentia vero non tanta est ac videtur, nam neutro jure venditio rei alienae dominium transfert, et utroque titulus est habilis ad usucapionem, utroque porro evictio praestanda est, sed discrimen in eo adest, quod jure R. rei alienae emtor, antequam res evincatur, ex emto tum demum agere potest, si venditor sciens rem alienam vendiderit. l. 30. ff. de act. emti. Sed jure codicis emtor agere potest, etiamsi venditor in bona fide fuerit, antequam res evicta sit, ut contractus nullus dicatur (1).

IV. Restat, ut dicam de quarto conventionum requisito, de causâ, nam secundum art. 1131. obligatio sine causa aut quae nititur falsa causa, aut causa illicita, effectus habere nequit. Cum vero Codex ipse non definivit, quid sit causa, recurrendum est ad fontem unde doctrinam de obligationibus hauserunt auctores codicis, nempe ad Pothierium, cujus auctoritate causae defectum conventionis vitium dixerunt. Ait vero ille (2), in contractibus *onerosis* causam obligatio-

(1) Vid. Duranton, l. l. n°. 290 sq. add. Zacharia, l.l. Tom. 2. §. 351.

(2) l. l. n°. 42. sqq.

tionis quam contrahit una pars, esse id, quod altera dat, aut se obligat dare, aut periculum quod suscipit. In *gratuitis* vero causa dicitur liberalitas quam alter erga alterum exercere vult. Igitur causa est vel utriusque partis interesse, vel una earum liberalitas. Utrum causa haec in conventione sit expressa an minus nil interest, nam valet donec probatum sit, causam non adesse vel falsam esse. art. 1132. Si quidem causa in instrumento negotii gesti expressa est, valet haec obligatio, quamvis debitor probaverit hanc non esse veram causam, modo creditor aliam idoneam subesse doceat (1). Conventio tamen valere videtur, donec probetur, causam non subesse; alii tamen contendunt creditorem nunc causam aliunde probare debere; quae quaestio est, de qua multum inter se digladiari solent interpretes, quorum vero lites componere non est hujus loci (2). Causa vero illicita est quae legibus atque bonis moribus est contraria, art. 1133.

Haec de causa obligationis doctrina ab optimis juris Gallici interpretibus recepta est, donec ante hoc triennium a clarissimo Ernst impugnata est, qui ad quaestionem, an causa obligationis requisitum sit conventionis essentiale, negando respondet.

(1) Vid. Duranton, n°. 310. l. l.

(2) Qui plura de iis vult adeant Duranton, l. l. n°. 307. et Zacharia, l. l. Tom. 2. §. 335. et qui ab eo citantur in nota 5.

det (1). Cujus quidem argumenta tantopere se mihi commendarunt, ut, si ea qua decet modestia, inter utramque sententiam delectum facere liceat, ejus potius sententiae me addictum dicam. Paucis eam exponam. Si in contractibus onerosis causa est id quod alter alteri dat aut dare se obligat, nil aliud est atque objectum, nec ideo quatuor est opus conditionibus, cum tres sufficiunt. Pariter si in contractibus gratuitis liberalitas est causa obligationis, non est conditio specialis; nam sensus, qui nos ad contrahendum impellit, a voluntate separari nequit. Praeterea, si donator nullo alio consilio dedit, quam ut se privaret bonis nulla ductus liberalitate, vel sic tamen valeret donatio. Et si conditio scripta est donatario, quae bonis moribus aut legibus contraria est, non scripta esse censetur, a. 900, nec adeo ad conventionem nullam declarandam valet. Observari vero etiam debet, neque in titulo de donationibus, neque in titulis specialibus de onerosis conventionibus dispositiones occurrere de causa obligationis, cum saepius in iis de ceteris requisitis agitur. Clarius illud apparebit, si exempla ab interpretibus allata consulemus; illi enim causam ab objecto et consensu haud separare videntur. Pothierius ipse nobis

(1) Biblioth. du Jcte et du Publiciste, Tom. 1. Livr. 3. p. 250-254.

bis praebet exemplum (1): pater testamento Titio legavit *f* 10,000 - ; dein vero per codicillum hoc legatum revocavit: Titius a me legatum petit; ego ignorans adesse codicillum, convenio cum Titio pro summa illa rem immobilem me soluturum esse. Constat talem obligationem nullam esse; sed quare? quia, ait Pothierius, obligatio haec *falsa causa* nititur. Potius vero dicendum, deesse consensum; nam ego, cum Titio solvi quod me debere putabam, in errore versabar; qui vero errat non consentit, et ubi deest consensus nulla est conventio. Ad idem illud exemplum provocant Toullier (2) et Merlin (3), quorum hic casu exposito haec adjicit verba: „ Il est bien sûr, que „ cet engagement est nul, pourquoi? parceque „ la cause qui en forme la base est fausse, ou si „ l'on veut, *parcequ'il n'y a point d'obligation* „ *sans consentement*, et qu' aux yeux de la loi „ *se tromper n'est pas consentir.* " Ipso igitur Merlino consentiente, causa falsa, nil aliud est, quam defectus consensus (4). Aliud exemplum nobis praebet Toullier: domus vendita ipso contractus tempore perit; non valet conventio propter *causae defectum*. Potius vero dicendum, *objec-*

(1) l. l. N°. 42.

(2) Droit civ. Franç. Tom. VI. N°. 168.

(3) Répert. m. *convention.*

(4) Eadem plane ratione ratiocinatus est Duranton, qui in pr. consuli debet N°. 311.

jecti defectum caufam esfe fufficientem ob quam rescindatur conventio. Illa fufficiant exempla; qui plura vult ipfam Ernftii disputationem confulere potest.

Contendit porro vir cl. Pothierium fuam doctrinam quidem ex jure Rom. haufisfe, ex eo enim actiones defumfit, quae dicuntur *condictio fine caufa*, et *condictio ob turpem caufam*, indeque derivavit principium, caufam licitam conditionem conventionis esfe esfentialem. E male vero a Pothierio hac in parte intellecta juris doctrina, vitium illud in Codicem migravit. Illud enim principiis juris Rom. non esfe confentaneum videtur; nam condictiones fine caufa, ob turpem caufam, indebiti et ob caufam datorum haud nituntur nullitate quadam abfoluta, quia in omnibus cafibus, in quibus opus est his actionibus, juris translatio obtinet; nam qui dat revera alienat, et qui promittit, etiamfi falfa caufa eum ad promittendum incitet, obligatus est; igitur valida adest obligatio. Et fi fecundum jus Rom. rei praestitae restitutio aut rescisfio obligationis initae conceditur, illud ex aequitate naturali repetendum, quae principiorum rigori derogat. Nihilo tamen minus alienatio aut obligatio valet; nam fi illa translatio esfet nulla, non indigeret actione perfonali, fed rei vindicatio fufficeret; et fi obligatio nullitate laboraret, quaestio moveri nequit de rescindenda obligatione, quae haud existeret. Pothierius vero

 cum

cum dispositionibus exceptionalibus vim dederit dispositionum generalium, doctrinam introduxit, quae juris Romani auctoritate haud confirmatur. Concludit igitur causam immerito jure francico referri inter essentiales conventionum conditiones. Tandem confessus est cl. Ernst, se admittere causam obligationis, longe vero alia significatione quam ei tribuit Pothierius: per eam nempe intelligit fontem obligationum legalem, et eatenus verissimum est obligationem sine causa cogitari non posse: hoc enim sensu conventiones ipsae causae sunt; eaeque obligationes dicuntur conventionales ut ita ab obligationibus distinguantur, quae sive ex lege ipsa, sive ex delictis, sive ex quasi-delictis oriuntur.

§. 2.

De iis, quae jure Romano et Hodierno requiruntur, ut conventiones producant actiones, et de variis conventionum speciebus.

Primo dicam de jure Rom. et secundo de jure Hodierno.

I°. Varia ratione partes inter se de re quadam danda, vel de facto quodam praestando, convenire possunt: verum Romani noluerunt ut omnes illi modi plenam vim obligandi haberent, sed requisiverunt causam civilem obligandi, quam definiunt,

niunt, *rationem sufficientem a lege approbatam*, *ob quam conventio actionem producit.* Hac igitur definitione contractus a pactis distinguuntur, verum non ab illis pactis, quae vel a Praetore vel a lege civili comprobata sunt. Melius igitur definiemus, esse complexum requisitorum quae adesse debent, ut conventio per se *ex generali juris sanctione primitus* obligationem civilem plenam producere possit (1). Pactum caret causa civili obligandi, minime vero contractus, ideoque actionem producit, non ex lege speciali, uti hypothecae pactum, constituti e. s. p., sed ex regulis juris civilis generalioribus. Haec vero causa vel e *forma* negotiorum, per legem praescripta et a contrahentibus observata, vel ex *facto* quodam *promisso et praestito*, vel denique ex *promissa datione* et *a promittente impletâ* repetenda est. Forma autem conventionum vel in solenni rei praestatione, vel in solenni verborum conceptione, vel in solo consensu, vel in literis consistit; unde contractus *reales*, *verbales*, *consensuales* et *literales*. Omnibus vero his contractibus hoc peculiare est, quod quotidianus usus singulis negotiis peculiarem dedit determinationem et his convenientem actionis formulam (2). Antiquo enim jure contractus non tantum causam, sed et nomen requirebat. Hunc in

(1) Vid. Glück, l. l. Tom. IV. P. I. §. 306 sq.
(2) Vid. Modderman, l. l. p. 67.

in finem igitur Praetor in Albo ſuo, cuique contractui ſuam ſpecialem actionis formulam praeſcripſit, quae et determinationem et nomen contractus exprimeret: v. gr. *ajo te mihi centum depoſiti, commodati, mutui dare oportere* (1). Si igitur in Albo Praetoris formula haud inveniretur, nullus aderat contractus. — Cum vero ſaepius incidunt negotia, quibus in Albo Praetoris non datur actio, quae tamen a parte unius paciscentium jam perfecta ſunt, et ita proxime ad contractuum realium accedunt naturam, certas quasdam actionum formulas, ſpeciali nomine carentes, naturae vero harum conventionum proprias invenerunt; ſcil. *do ut des*, *do ut facias*, *facio ut des* et *facio ut facias*. Dicuntur hi contractus innominati, „ quorum," uti ait Julianus, „ appellationes nul- „ lae jure civili proditae ſunt." (2) Singulis his negotiis propriam actionis formulam concedere, haud ſinebat negotiorum numerus; ideoque generalem *actionem in factum* praeſcripſerunt, cujus formulam prouti negotium esſet initum vel expoſitum, proponebant, unde etiam dicitur *praeſcriptis verbis*. Simul ac vero negotium in nominatis contractibus perfectum est, conceditur actio, in innominatis vero poenitentiae locus est a parte ejus qui dedit, et eligere potest utrum actionem prae-

(1) Vid. Glück. l. l. Tom. IV. P. I. §. 308. p. 232.
(2) L. 3. ff. de praeſcr. verbis.

praeſcriptis verbis inſtituere, an vero actione cauſa data cauſa non ſecuta ſolutum repetere velit (1). Pacta vero quaedam vel a lege vel a Praetore confirmata ſunt, adeo ut actionem produxerint. Ob ſingularem enim juris rationem *pacta legitima*, ſtricte dicta, condictionem ex illa lege, quae ea confirmat, accipiunt: exemplum est pactum donationis, dotis atque uſurarum civitatibus creditarum (2). Praetor vero pacta quaedam confirmavit, uti pactum conſtituti et hypothecae, quia grave est praeſertim in negotiis tanti momenti, quantum ea quae memoravimus, fidem fallere (3).

Jam deveniamus ad ea pacta quae *adjecta* dicuntur; non omnium una eademque est hac de re ſententia, eam vero proponere conabor, quae mihi verior esſe videtur. — Pacta contractibus bonae fidei in continenti adjecta, quae ſive aliquid oneris circa naturalia alterutri contrahentium adjiciunt, ſive aliquid de adminiculis detrahunt, actionem e contractu descendentem formant (4). Quae vero postea ex intervallo contractui aliquid adjiciunt, credimus haec ei non inesſe et cum iis facimus, qui auctoritate Papiniani in l. 72. §. 1. ff. de contrah. emt.

(1) Vid. Modderman, l. l. p. 79.
(2) Cf. Wachendorff, l. l. p. 470.
(3) L, 1. pr. ff. de conſtit. pec.
(4) L. 7. §. 5. ff. de pactis.

emt. contendunt, ea contineri contractu si pacta postea inita aliquid detrahant. Ait enim Papinianus: „ Pacta conventa, quae postea facta, de„ trahunt aliquid emtioni, contineri contractu vi„ dentur: quae vero adjiciunt, credimus hoc non „ inesse." Ecce disertis verbis docet, pactum adjiciens ex intervallo contractui adjectum huic non inesse, et ex parte actoris valere negat, quia ad actionem non prodest (1). Sed ex parte rei semper actionem tollit, quia reo semper prodest ad exceptionem; nam si in totum potest, cur non et pars ejus pactione mutari potest (2). Pacta vero adjecta considerari tamquam contractus principalis accessoria debent: possunt itaque per ea obligationem principalem mutare, modo naturae contractus non sint contraria; non enim per se subsistunt, sed per obligationem principalem: haec causa est quare pacta negotiis stricti juris adjecta sive in continenti sive ex intervallo, nullam actionem producebant. Nam actio principalis, cujus fundamentum in solenni formula positum erat, ad pactum adjectum referri nequit (3). Haec etiam causa est, quare in nonnullis negotiis pacta adjecta nullam producebant actionem, quae cum na-

(1) Cf. Wachtendorff, l. l. p. 514.

(2) L. 7. §. 6. ff. de pact. Glück, l. l. Tom. I. P. I. §. 311. p. 261. N°. 88.

(3) Wachtend, l. l. p. 503.

natura obligationis principalis non conveniret, licet leges in quibusdam casibus hujus rei exceptiones proposuerint (1).

Tandem ad pacta accedimus quae actione carebant, a Praetore vero servata sunt. Sunt qui discrimen faciant pacta liberatoria sive remissoria inter et obligatoria, illis exceptionem concedant, his negant. Et certe leges, quae vulgo afferuntur loquuntur tantum de casibus in quibus agitur de pactis de non petendo sive liberatoriis. L. 7. §. 4. l. 27. §. 6. 7. 8. l. 41. ff. de pactis. I. §. 3 et 9. de except. Quia vero in legibus citatis non expresse dicitur illud tantum de liberatoriis valere, ideo ad contrarium concludi potest, etiam pacta nuda obligatoria per modum exceptionis valere posse, nam quod natura debetur, venit in compensationem. L. 6. ff. de compens. (2). Nec opus est ut dicam, pacta, quae et dolo malo et contra leges sunt inita Praetores non esse servaturos, cum id luculenter ex ipsis Edicti verbis patet. L. 7. §. 7. ff. de pactis (3). — Promissio serio ac deliberato animo facta et acceptata jure civili non obligabat, ne scil. imprudenter cives sese obligarent. Sed Praetor naturali aequitate motus, quia nil

(1) Cf. Weber, l. l. §. 82.

(2) Vid. Weber, l. l. p. 81. et Höfner, l. l. §. 747.

(3) Egregie Edicti verba explicavit Noodt, op. c. cap. 15 et 16.

nil tam congruum est fidei humanae quam ea quae inter eos placuerunt servare, eam promissionem exceptionem parere promisit. Ex hac igitur conventione nulla civilis oriebatur obligatio, sed tantum naturalis (1). Ait enim Ulpianus: „ Cum „ nulla subest causa praeter conventionem, hic „ constat non posse constitui obligationem: igitur „ nuda pactio obligationem non parit, sed parit „ exceptionem." (2) Exceptio vero ab actionis fine eatenus differt, quod illa ad reos defendendos comparata est et ad conditionis conservationem tendit, quam hac removere studet petitor (3). Quod cum Ulpianus nuda pacta obligationem constituere negat, intelligit obligationem civilem, nam naturalis obligatio revera inde oritur, cujus principalis vero obligationis vis in eo cernitur, quod solutum ex ea repeti nequit. Praeterea vero etiam creditoris actioni illius compensationem, quam mihi per naturalem obligationem acquisivi, opponere licebat. L. 6. ff. de compens. Fidejussores etiam naturali obligationi accedere poterant, adeo ut per civilem confirmarent naturalem obligationem. L. 16. §. 3. ff. de fidej. et mandatoribus. Denique, si per conventionem naturalis obligatio orta

(1) Vid. Weber, l. l. §. 81. coll. §. 55 et 56.

(2) L. 7. §. 4. ff. de pactis, ubi pro vulgari *propter* cum pluribus interpretibus *praeter* legendum videtur.

(3) Warnkoenig, l. l. Tom. I. N°. 174.

ta esſet, per novationem in civilem transformari poterat. L. 1. §. 1. ff. de novat.

II. Expoſitis iis, quae jure Rom. requiruntur, ut conventiones producant actionem, transeamus jam ad juris hodierni doctrinam.

Sola promisſio illiusque acceptatio civilem obligationem et actionem producit; regulariter enim neque ſolennitates, neque aliud quid requiritur, et modo a perſonis contrahendi capacibus et ſuper objectum licitum conſenſus interpoſitus ſit, valide obligat. — Sed tantum regulariter, nam certae conventionum ſpecies ſolennibus adſtrictae sunt, quibus non obſervatis negotium gestum non cenſetur: ita ſunt actus donationis, contractus nuptialis et hypothecariae conventiones. aa. 931. 1394. 2127 et 2158. Maximus vero contractuum numerus nullis ſolennitatibus iniri poterat, nam etiamsi lex declarat, inſtrumento authentico aut privato celebrari aliquando posſe conventionem, id non ſolennitatis, ſed tantum probationis cauſa requiſivit (1). Exemplis illud docetur in artt. 1582 et 1834. Ipſe etiam orator opportunitate, qua legem de emtione venditione poponeret, illud confirmavit dicendo. „ L'écriture n'est exigée que *tantum* „ *ad probationem*, et la vente aura tout ſon effet „ s'il conſte d'ailleurs de son existence, mais la „ preuve n'en pourra avoir lieu, que conformement

(1) Pothier, l. l. N°. 15.

„ ment aux règles touchant ia preuve des conven-
„ tions." (1) Doctrinam igitur juris Rom. de causa civili obligandi jus Hodiernum ignorat, sancivit vero principium antiqui juris Francici, solus consensus obligat. Discrimen idcirco inter pacta et contractus jure nostro evanuit (2), pariter ac divisio pactorum in Praetoria, legitima et adjecta; nec amplius distinguimus inter contractus verbales, reales, consensuales et literales. Nam verborum obligatio sive stipulatio in rite facta interrogatione et congrua ad eam responsione consistebat; in usu vero apud nos non est, nam promissio quocunque modo facta obligat; unde fidejussio, quae in jure Rom. per stipulationem fiebat, jure nostro solo consensu est perfecta (3). Consensuales autem contractus in jure nostro aeque ac in jure Rom. solo consensu perfecti sunt. Contractus reales porro non nisi rei praestatione olim perficiebantur; sola igitur promissio mutuum praestandi jure Rom. non valebat: aliter vero Codex Civ.:

(1) Cf. Duranton, l. l. N°. 46—50.

(2) Verum quidem est aliquando Codicem uti voce *pacte*; sed nullum discrimen facit ratione actionis: nam Cod. Civ. eas conventiones pacta et contractus vocat, quas jus Rom. una alterave harum vocum insignivit; quod inde repetendum, quia antiquorum Francicorum Jctorum scribendi ratio ad juris Rom. praecepta sese excoluit. Vid. Zachariae, l. l. Tom. II. §. 340. nota 4.

(3) Vid. Duranton, l. l §. 45.

Civ. omnes enim conventiones ſive nomen habeant, ſive eo careant, revocari nequeunt, niſi communi conſenſu et ob cauſas a lege probatas. Silentio igitur praeterivit hanc diviſionem, quia in praxi nullius est utilitatis (1). Nec opus est quod dicam, nos plane ignorare contractus literales.

Paullo ante dixi, quasdam conventiones habere nomen, quasdam eo carere, et ita art. 1107. ſtatuit, ex quo concludunt, jus hodiernum distinguere inter nominatos et innominatos contractus: verum paullo diverſo ſenſu ita jure nostro dicuntur, quam jure Rom. Naturâ ſcilicet rerum conditum est, ut plura ſint negotia, quam vocabula. L. 4. ff. de praeſcr. verbis. Legislator igitur omnes modos quibus ineuntur conventiones, recenſere nequit; haec difficultas reluctabatur aeque Gallico ac Romano legislatori; hic nodum ſolvebat hoc modo, quod non niſi certis conventionibus, quae ob uſum quotidianum certam determinationem habuerunt, nomen et huic convenientem actionis formulam dederit: caeterae pacta erant, donec certis quibusdam conventionibus, quae proxime ad realium accedebant contractuum naturam, generalem actionem concesſerunt, quae dicebatur praeſcriptis verbis. Legislator vero Gallicus aliae inſistebat viae; etenim generales regulas prae-

(1) Toullier, l. l. Tom. VI. N°. 16.

praescripsit, secundum quas omnis promissio illiusque acceptatio dijudicanda erat. Verum, conventiones quarum usus quotidie apparebat, peculiaribus regulis regebantur, quia rerum natura atque commercii securitas in quibusdam conventionibus majores cautelas requirunt, quam in aliis. Regulae igitur quas Codex Civ. de conventionibus in Libri 3. Tit. 3., tam de nominatis quam de innominatis valent; de illis vero tantum, quatenus specialibus regulis de singulis conventionibus latis non derogatum est. Hae vero regulae speciales, si negotium, quod gestum est, contractus innominatus est, multam vero habet similitudinem cum una alterave contractus nominati specie, applicari possunt ad negotium gestum (1).

Divisiones ergo conventionum apud Romanos repetendae sunt inde, utrum conventio causam civilem obligandi habeat nec ne, an vero etiam actionem habeat per speciale legis praescriptum. Divisiones vero juris hodierni e natura negotiorum quae geruntur ipsa, originem capiunt. Sunt enim vel *bilaterales* vel *unilaterales*, *perfecti* aut *imperfecti*, *commutativi* aut *aleatorii*, *gratuiti* aut *onerosi*; aliae conventiones in dando, aliae in faciendo consistunt (2). De singulis fusius agere non

(1) Vid. Pothier, l. l. N°. 9 et Zacharia, l. l. Tom. II. §. 341.

(2) A. 1102—1107. add. Pothier, l. l N°. 9—15. et Zacharia, l. l. Tom. II. §. 341.

non opus mihi videtur; illud unice obſervo, Codicem Civ. eas ideo recenſuisſe, quia ceterae conventionum diviſiones quae jure antiquo vigebant, ſunt abrogatae (1). Una adhuc ſuperest obſervatio: in historica enim de conventionibus ſecundum jus Rom. disquisitione memoravimus, Romanos a jure Gentium accepisſe certas quasdam conventionum ſpecies, unde distinguunt inter legitimas ſive juris civilis conventiones, et juris Gentium. Distinctio autem haec jure nostro ignoratur: nam apud Romanos juris Gentium conventiones a jure civili quidem ſunt comprobatae, non tamen formam civilium conventionum acceperunt, nam neque ſolennia verba, neque contrahentium praeſentiam requirunt, neque item ut cives ſint contrahentes: quod in juris civilis conventionibus ſecus est (2). Cum vero haec omnia jure nostro non amplius praeſcribuntur, ex uſu quoque recesſit haec diviſio (3).

(1) Vid. *Motifs*, Tom. V. N°. 59. p. 8. „ C'est," ait Bigot Preameneu, „ a-la-fois un point de doctrine et de „ législation.

(2) Noodt, l. l. c. 8.

(3) Delvincourt, Cours de Droit civ. Tom. II. p. 81.

CA-

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS CONVENTIONUM GENERALIORIBUS.

Expofitis principiis conventionum generalioribus, earum effectus confiderandi erunt, in qua disquifitione quoad jus Rom. effectus pactorum non confiderabimus, fed effectus contractuum fenfu Romano cum effectibus contractuum juris Hodierni comparabimus; nam fublato apud nos discrimine pacta inter et contractus, cesfare etiam debuere diverfi effectus qui inde profluebant. Cum vero obligatio quae ex conventione oritur, vel in dando vel in faciendo aut non faciendo confistit, feparatim de iis erit agendum, postquam generatim de effectibus conventionum doctrinam propofuerimus.

§. 1.

§. 1.

De effectibus conventionum in genere.

I. E conventione oritur inter partes juris vinculum, a quo neutri earum invita altera recedere licet; mutuo tamen consensu eae revocari posfunt. „ Sicut," ita rescribunt Diocletianus et Maximianus Licinio, „ initio libera potestas unicuique „ est habendi, vel non habendi contractus; ita „ renunciare semel constitutae obligationi adversario „ non consentiente, nemo potest. Qua propter in„ telligere debetis, voluntariae obligationi semel „ vos nexos, ab hac, non consentiente altera par„ te, cujus precibus fecistis mentionem, minime „ posse discedere." L. 4. C. de O. et A.

Quum igitur inter contrahentes e conventione lex oritur, valet quoque regula, neminem alterum posse obligare, neque alteri aliquid stipulari. §. 18. 20. J. de inut. Stipul. Nititur illud principium consensu, qui a partibus contrahentibus interponi debet; nam sine eo conventio inita non censetur. Omnis vero conventio ad heredes transit, tam a parte debitoris quam a parte creditoris, nisi aut pacto aut alia juris ratione statutum sit, ne obligatio personam contrahentis excedat (1). Dantur quidem a regula hac generali exceptiones quaedam; om-

(1) Warnkoenig, l. l. N°. 485.

omnes vero recensere longum foret, nec huic disquisitioni adaptatum (1); hoc tantum observo, exceptiones a Codice Civili propositas, desumtas esse ex jure Romano. Jus etiam illud pariter sancivit principium, quod e conventionibus lex oritur inter partes contrahentes. Quod autem ad illud attinet, quod non nisi mutuo consensu obligationes revocari possunt, licet illud art. 1135. aperte dicatur, paullo alio sensu jure Rom. et hodierno nuncupatur: illo enim, in quo traditio ad dominium transferendum requiritur, omnes obligationes consensu perfectae, mutuo item consensu extingui possunt; hoc vero jure tantum eae obligationes mutuo consensu tolli possunt, quae non id spectant, ut dominium transferatur, uti sunt contractus locationis, societatis, alii; eae autem conventiones, quae transferunt dominium, uti contractus emtionis venditionis, mutuo consensu non solvuntur, sed alius per eum constituitur contractus, quia jure nostro per solum consensum dominium transfertur (2). Verum de hoc principio mox fusius erit dicendum.

II. Agendum jam est de contractibus bonae fidei et stricti juris, quae magni erat momenti in jure Rom. divisio: postquam igitur de jure Rom. dixeri-

(1) Vid. Pothier, l. l. N°. 53. et Weber, l. l. §. 89.

(2) Vid. Delvincourt, Cours de Cod. Civ. Tom. V. p. 330. ed. Brux. 1825.

rimus, ad quaestionem transfibimus, an jus hodiernum illam distinctionem quoque admiserit?

α. Discrimen illud e ratione Romanorum procedendi repetendum est. Reges fcilicet ac dein Confules et Praetores in primordio civitatis lites inter cives ortas plene dirimebant. Cum vero earum numerus et negotiorum copia cresceret, disceptationes de jure a facti disceptationibus videntur feparasfe (1). Non diutius enim totam litem dirimebant magistratus, fed privatis hominibus facultatem de facto judicandi concesferunt. Postquam enim Praetor caufam cognoverat, actionem concesferat litemque ordinaverat, judicem dabat (fi ita litigantibus placeret) qui in rem de qua disceptabant, inquirebat (2). Huic vero formulam proponebat, quae diverfa erat prouti certa vel incerta pecuniae fumma a reo petebatur (3). Si enim certa esfet pecuniae fumma non amplius quaerebatur quale esfet debitum, fed utrum in totum ad nummum usque deberetur; fi incerta

es-

(1) Cf. Cf. Sandra, de ftr. juris et b f. negotiis p. 20. ann. Acad. Rhen. Traj. 1818, 1819.

(2) Aliquando extra ordinem magistratus cognoscere docet Noodt de Imp. et judict. L. 1. C. 7.

(3) In L. 178. ff de V. S. Ulpianus, vocis *pecuniae* fignificationem explicavit. Vid. etiam Gans das Römifche obligationen Recht p. 57. et quae ibi citantur leges. Nam per pecuniam non tantum intelligo numeratam pecuniam, fed omnes res quae in bonis esfe posfunt.

esset pecunia, judex inquirebat quale esset debitum. Jam, ubi certa erat pecuniae summa, quam quis sibi competere contendebat, accurate in formula exprimenda erat; et intererat quoque actoris, ut Praetor omnia rite exponeret, quia si haec in formula non invenirentur, quamvis solummodo unus nummus deesset, causa tamen cadebat. Talis vero judex, neque in minorem neque in majorem summam reum condemnare poterat, quia alioquin litem facit suam (1). Sed in incertae pecuniae condemnatione arctis his limitibus non circumscriptus erat judex, qui tum *arbiter* dicebatur, quia ex bono et aequo arbitrabatur quid ei aequius melius videretur. Quodammodo autem haec facultas restricta erat, si ei formula cum taxatione esset proposita; nam tunc arbiter summam definitam superare nequit, licet eam minuere possit. Arbiter vero latissimam condemnandi potestatem habebat, si ei sine taxatione formula praescriberetur; tum enim prouti ei videbatur, majorem minoremve pecuniae summam solvere jubebat (2). Prouti igitur vel ab initio constat, quid alter alteri praestare debeat, vel non constat, sed postea demum dijudicari potest, formula proponebatur. Res exemplo illustranda est: in stipulatio-

(1) Vid. Gajum, Comm. IV. 52.

(2) Formularum exempla occurrunt apud Gajum, V. 47. 50. 51. 86. add. Rovers, l. l. p. 35.

tione promisſor rite noscit quid ſtipulatori praeſtandum est, quoniam ab initio verba rite ſunt interpoſita, a quibus omnis hujus contractus vis pendet, nihil dein quoad hanc promisſionem immutari potest. In ſocietatis vero contractu ab initio non conſtat, quid alter alteri praeſtet necesſe est, ſed pro diverſo temporum momento et locorum ſitu, aliave ex cauſa, illud diverſum esſe potest. In hoc igitur contractu condemnatur in id quod pro partium ratione et temporum natura praeſtari fas est. In illo vero condemnatur in certam pecuniae ſummam, quam petitor rogavit. Ubi igitur in certum quid condemnabatur, judicium dicebatur ſtricti juris, in incertum vero bonae fidei. Quodammodo cum arbitrariis juris Justinianei actionibus conveniunt illae actiones quibus incertam pecuniam ſine taxatione petebant partes: quae enim disputavimus pertinent ad jus Rom. antiquum; nam hac etiam in parte multas ſubiit mutationes jurisprudentia Romana, abrogatis non tantum formulis, ſed misſo quoque more dandorum judicum pedaneorum. Illud tamen adhuc voluerunt ut in ſtricti juris conventionibus certae pecuniae aestimatio esſet, in reliquis vero latius esſet officium judicis, adeo ut vel in minorem vel in majorem ſummam condemnari posſent partes.

β. Huc usque de jure Rom. videamus jam de jure Hodierno. Summo profecto jure nobis contendere licet diviſionem contractuum in b. f. et ſtr. ju-

juris, Codice Civili haud admissam esse (1). Nam prouti vidimus, discrimen illud jure Rom. originem cepit e ratione procedendi Romanorum; qui modus, cum apud nos non amplius obtinet, ex usu quoque recessit divisio contractuum bonae fidei et str. juris. Neque idcirco Cl. Delvincurtio (2) assentiri possum, distinguenti inter bonae f. et str. juris contractus; nam quamvis forte quaedam conventiones strictiore sensu sunt interpretandae, uti lex illud aliquando statuit, v. gr. in art. 1153, 1652 et 1717, tamen ex regula conventiones bona fide observari debent, et non tantum praestandum id de quo convenit, sed etiam quod praestari moris est et consuetudinis. Hic enim sensus esse videtur Artt. 1134 et 1135.; cum enim in priori dicitur, „ Les conventions doivent être executées „ de bonne foi," non tantum hisce intelligitur, a conventionibus dolum aut errorem abesse debere, sed simul etiam distinctionem juris Rom. non amplius in usu esse (3).

(1) Cf. Pothier, l. l. N°. 9.
(2) l. l. Tom. V. p. 82.
(3) Vid. Toullier, Tom. VI. N°. 195, 196 et 336.

§. 2.

§. 2.

De effectibus conventionum e quibus oritur dandi obligatio.

I. Inita conventione de re quadam danda, oritur a parte debitoris obligatio rem tradendi eamque conservandi, a parte vero creditoris jus acquiritur. Tenetur enim debitor creditori, adeo ut hic illum ad dandum cogere possit: et si quidem objectum definitum sit, aliud in ejus locum praestare nequit; hoc enim tantum in iis conventionibus conceditur, e quibus obligationes alternativae aut facultativae oriuntur (1). Ad hanc vero obligationem principalem alia accedit, nempe rei debitae conservatio; si quidem res casu pereat ad damni resarcitionem non tenetur; nam *debitor interitu rei liberatur:* quis enim homini imputaret quod a fato est, quo rerum humanarum ordo regitur (2)? L. 23. ff. de R. J. Contra vero de dolo constans est regula, illum semper et in omni contractu esse praestandum. De culpa tamen praestanda non omnium eadem est sententia; notissimum enim est Romanos tres negligentiae gradus statuisse, vel ex recentiorum opinione duos, culpam *latam* et *levem;* nam de levissima admittenda du-

(1) Vid. Glück, l. l. Tom. IV. p. 2. §. 316.
(2) Vid. Heinecc., Recit. L. III. T. XIV. §. 785.

dubitatur, cum hominum commercium et aequitas naturalis nequaquam poposcit, ut quis nimium laborem praeſtet (1). Culpa lata vero dolo aequiparatur, ideoque ex omni obligatione praeſtanda est, aeque ac ab eo in cujus utilitatem conventio est inita. Si quis autem onus ſustinere tenetur, adeo ut negotium minime ad eum pertineat, pro lata tantum culpa obligatur. Obſervandum vero praeterea est, pactionibus ad majorem vel minorem diligentiam aliquem obligari poſſe.

Huc usque de obligationibus debitoris. Videamus jam de juribus quae a creditore per conventionem, qua alter rem dare obligatur, acquiruntur. Jus vero illud perſonale est, adeo ut promisſarius tantum contra promittentem ejusque heredes agere posſit. „ Obligationum enim, ait Paulus, ſubſtantia non in eo conſiſtit, ut aliquod „ corpus nostrum, aut ſervitutem nostram faciat, „ ſed ut alium nobis obſtringat ad dandum aliquid „ vel faciendum." L. 3. ff. de O. et A. Dominium igitur rei per ſolam conventionem ſecundum jus Rom. ex regula non tranſibat; nam ad id traditio requirebatur; huc valet regula legis 20. C. de pact., *traditionibus dominia rerum*, *non nudis pactis*, *transferuntur* (2). In qua lege per pacta nuda non intelligunt eas conventiones, quae nomi-

(1) Vid. Warnkoenig, l. l. T. II. No. 417-425.
(2) Cf. Glück, l. l. Tom. IV. p 2. §. 343.

mine et forma contractus carent, ſed omnes conventiones ſignificantur, quas traditio nondum ſecuta est (1). Per conventionem igitur jus ad rem, per traditionem vero jus in re conſequor, adeo ut priore caſu tantum contra perſonam mihi obligatam agere posſim, ſecundo vero contra quemcunque posſesſorem. L. 72. ff. l. 15. C. de R. Vind. et l. 3. ff. de O. et A. Cujus principii vero is erat effectus, quod rei venditae, non vero traditae, dein tertio iterum venditae, accedente tamen traditione, dominium tranſibat in ſecundum emtorem, ita ut prior emtor tantum ad damnum et intereſſe contra venditorem agere posſet. — A regula vero quaedam exceptiones proponuntur: patet hoc ex hypotheca; nam res quae hypothecae obligatur, non traditur creditori, ut alia pignora, ſed per conventionem jus in re conſtituitur, adeo ut creditor contra quemcunque posſesſorem agere posſit ad rem hypothecae obligatam conſequendam, quamvis ei numquam tradita ſit. L. 1. ff. de pign. actione (2). Si quis porro rem ſibi comparare vult, et apud eum naturalis posſesſio est, nuda domini voluntatis declaratio ad rei proprietatem transferendam ſufficit, veluti ſi quis rem Titio locavisſet, aut apud eum de-

(1) Cf. Cf. van Wesſem, Disſert. de effectu traditionis Traj. ad Rhenum, A°. 1820.

(2) Cf. Heinecc., l. l. §. 339.

deposuisset, dein eidem vendiderit aut donaverit (1). Vidimus itaque generalem juris Rom. regulam esse (a qua paucae dantur exceptiones), *conventionem numquam dare jus in re, sed ad id traditionem accedere debere.* Causa hujus rei mera civilis videtur; omnes enim leges maxime earum gentium, quae parum excultae sunt, accuratas de dominio non habent notiones, externa signa requirunt, e quibus pateret ad quem dominium pertineret, adeo ut haec juris translatio per traditionem in civium notitiam perveniret (2). In infantia igitur jurisprudentiae romanae cum sancivissent illam regulam, deinceps ab ea haud recesserunt, exceptis paucis casibus. Quibus apud Romanos insuper accedebat alia causa. Jure veteri dominium erat vel *bonitarium* vel *Quiritarium*, illud quibuscunque modis justis acquirebatur, hoc vero certis tantum modis lege civili praescriptis. Res porro erant *mancipi* vel *nec mancipi*, quarum hae acquiri poterant traditione, si nempe justa causa praecesserat; illae vero per mancipationem vel solenni in jure cessionem transferendae erant. Verum quidem est, a Justiniano (3) differentiam hanc esse sublatam, adeo ut sine manci-pa-

(1) Vid. Warnkoenig, l. l. Tom. I. N°. 234.

(2) Cf. Toullier, l. l. Tom. IV. N°. 54. 57.

(3) L. un. C. de nudo jure Quirit. toll. et l. un. C. de usuc. transf. et sublata diff. rerum manc. et n. manc.

patione aut folenni in jure cesfione dominium plenum omnium rerum transferri posfet, manfit tamen illud femper jurisprudentiae Rom. proprium, quod per traditionem dominium transferretur (1).

II. Quod ad obligationes debitoris attinet, quae e conventionibus oriuntur, Codicem Civilem juris Rom. principia fervasfe, ex Art. 1136. apparet. Distinctionem autem in culpam latam, levem aut levisfimam fublatam esfe videmus; etenim ad eam in re confervanda diligentiam adftringitur debitor, quam bonus paterfamilias ad res fuas administrandas et confervandas adhibere folet. Quae tamen obligatio latior vel ftrictior est, quoad certas conventionum fpecies. Nam ex art. 1137. debitor regulariter de ea teneri diligentia videtur, quam bonus paterfam. rebus fuis folet adhibere; neque vero generalis regula ponitur in hujus articuli parte fecunda, quia prior ejus pars nimis pofitive mihi loqui videtur. Judicis igitur prudentiae relictum est, ut minorem majoremve diligentiae gradum definiat. Praeterea vero orator cum hoc Codicis Civilis caput proponeret, ipfe agnovit illos culpae gradus jure nostro haud admisfos esfe, ipfe hanc distinctionem magis ingeniofam quam utilem in praxi esfe (2).

Quod autem fpectat jura, quae creditores ex con-

(1) Vid. v. Wesfem, l. l. p. 31.

(2) Vid. Motifs, Tom. V. N°. 59. p. 16.

conventionibus acquirunt, longe a se invicem jus Rom. et Gallicum recedunt; verum quidem est jure Hodierno aeque ac jure Rom. creditorem contra debitorem ad contractus impletionem agere posse, sed contra tertium quoque possessorem jus acquirit, quia per solum contractum dominus fit. Valet enim principium, *solo consensu acquiritur dominium*, adeo quidem ne ad acquirendum illud jus traditione aut alia quadam solennitate opus sit (1). Hac igitur in materia Codex aliud systema sancivit quam jus Rom. et Gallicum antiquum. Ante rerum enim conversionem in regionibus juris scripti et in multis etiam regionibus juris consuetudinarii, traditio ad dominium transferendum requirebatur, sed in regionibus nonnullis, quae dicuntur *pays de nantissement* per investituram allodialem dominium transferebatur; huc pertinent literae confirmationis (lettres de ratification) per Edictum anni 1771. in securitatem tertii introductae. Loco vero illius investiturae lege 11 Brumaire An. VII. transscriptio requirebatur, ita ut ante hanc transscriptionem debitor rei alienatae immobilis dominus adhuc censeretur (2). Potuit ergo *primo* rem iterum alteri dare, adeo ut qui posteriore vice acquisivisset, si transscriptionem curavisset, priori praeferretur: *secundo* alteri hypothecam

(1) Artt. 711 938. 1138 et 1583.

(2) Vid. v. Wessem, l. l. p. 50.

eam concedere, et talis creditor hypothecam inſcribere poterat, donec inſcriptus esſet titulus translationis (1). Haec fuit rerum conditio cum Codicis Civ. auctores, rejecto antiquo ſystemate, contrarium principium confirmarunt. Accuratiori haec res indiget expoſitione; exemplo vero emtionis venditionis erit illustranda; quod ideo facere licet, quia effectus obligationis dandi rem immobilem, univerſe reguntur praeceptis in titulis de emtione venditione et de hypothecis expoſitis, art. 1140.

Lubenter quisque concedit, dominium ratione venditoris emtori esſe acquiſitum; ipſa enim verba art. 1583. illud aperte docent, quocirca regula art. 1138. posita, commodum et periculum ad emtorem pertinere ab eo inde tempore, quo contractus celebratus est, huc quoque valet (2). Quod ad quaeſtionem vero, an dominium ratione tertii ſine transſcriptione, quae lege 11 Brum. An VII. requirebatur, transferatur in emtorem, non omnes eandem amplexi ſunt ſententiam. Alii enim affirmant (3), alii negant (4), et quidem his argu-

(1) Vid. Zacharia, l. I. Tom. I. §. 180 et 206.

(2) Verba enim A. 1138. „ dès l'inſtant où elle a dû être livrée;" ſanum ſenſum non praebent ideoque legendum, „ du „ moment où l'on est convenu qu'elle ſerait livrée." Vid. Duranton, l. l. N°. 335.

(3) Vid. Duranton, l. l. et Zacharia, l. c.

(4) Cf. Sirey, Recueil Tom. V. P. 2. p. 161.

gumentis. 1°. quia in donatione rerum immobilium inſcriptio in actis publicis hypothecarum eius loci ubi res donata ſita est, requiritur, ſecundum Art. 939. et 2°. quia verba Art. 1583. „ à l'égard du vendeur," tertiam excludere videntur perſonam. Minime vero hae objectiones nos movent. Quod enim primam ſpectat, argumentum a donatione rei immobilis, qua res titulo transfertur lucrativo, non procedit ad emtionem venditionem, qua res immobilis tituló oneroſo in alterum transfertur. At ſecunda objectio valere nequit, ut ſystema de transferendo dominio per ſolum conſenſum codice ſancitum infringat. Titulus enim de emtione venditione ante titulum de hypothecis confectus erat, adeo ut non conſtaret, quid in posterum circa hypothecas conſtituturi esſent legislatores. Verba igitur „ à l'égard du vendeur " ſignificare vindentur, emtionem venditionem non posſe nocere juribus realibus tertii ante alienationem acquiſitis. Unde etiam Art. 2182. dicitur, venditorem transferre in emtorem dominium, quatenus ipſe dominus est, et jura illa, quae ipſe in re habet. Quia vero illud difficultatibus et fraudibus anſam praebere poterat, art. 834. Codicis de meth. proc. in causſis Civ. conſtitutum est, ut creditores qui hypothecam alienatione antiquiorem habebant, eam adhuc intra quindecim dies inſcribere posſent. Eo vero magis perſuaſum nobis habemus, antiquum ſystema hac in parte

esſe

esse abolitum, si consulemus disceptationes, quae tempore quo art. 2181. redigebatur, institutae sunt: ibi enim transscriptionis mentio non fit, nisi ubi lex facultatem dat tertio possessori, veluti emtori rem hypothecis liberandi (1).

Mirum videtur Codicis auctores et a jure Rom. et ab antiquo jure Gallico recessisse; si vero diversi hujus juris causam quaeramus, eos permovisse illud systema putarem, quia commerciis magis favere videtur, adeoque e causa salutis publicae commendandum est. Contendunt sic contractus fere semper perfici, cum contra, si traditio ad id accedere debeat, saepissime conventiones effectus sortiri nequeant. Nunc vero nuda voluntatis declaratione acquirimus per nosmet ipsos et transferimus in alios omnes res, quae conventionis objectum esse possunt (2). Illud vero principium noxios effectus attulisset dominii securitati, nisi lex quoad immobilia exceptiones quasdam proposuisset, quae regulam valde limitarent, et alia principia quoad mobilia sancivisset. De iis paucis dicendum erit.

Primo loco hic in censum venire potest exceptio quam art. 2181. affert: nam licet conventione dominium sit translatum, qui rem acquisivit, eam hypothecis purgare nequit, nisi quatenus titulum acquisitionis transscribi curaverit.

Se-

(1) Motifs, Tom. VII. N°. 106. p. 114.
(2) Motifs, Tom. VI. N°. 70. p. 5.

Secunda a regula exceptio in rerum immobilium donatione datur. Nam licet dominium nulla traditione secuta, per solum partium consensum in donatarium transeat, art. 938., tamen ratione eorum, qui subinde eas res acquirunt, ut et creditorum, species quaedam traditionis requiritur, nempe inscriptio in actis publicis hypothecarum ejus loci, in quo res donata sita est. Art. 939. Cujus inscriptionis defectum allegare possunt omnes quorum interest, exceptis iis, qui inscriptionem curare debent, quique in earum locum intrant, et ipse etiam donator. art. 941. Donatarius igitur qui omisit inscriptionem non praefertur emtori, quamvis titulum habeat priorem (1). Inscriptio vero haec locum quodammodo tenet insinuationis, quae in jure Rom. requirebatur: ita tamen ut non una in re a se invicem distinguantur; nam ut de multis unam tantum memorem, insinuatio in donatione rerum mobilium et immobilium requirebatur, transscriptio tantum in immobilibus (2).

Tertia exceptio haec est: Si alter alteri actionem cesserit, cessionarius ratione tertii tum demum dominus fit, quando debitori rite significatum est donationem esse factam, aut debitor factam

(1) Duranton, l. l. N°. 338.
(2) Delvincourt, l. l. Tom. V. p. 481.

tam cesſionem inſtrumento authentico acceptavit. art. 1690 ſq. (1).

Quarta a regula exceptio in art. 1141. proponitur; nam quoad mobilia ratione tertii vi conventionis dominium non transfertur. Ubi quis enim pluribus ſeſe obligavit ad eandem rem mobilem tradendam, is cui prius tradita est praefertur, licet titulus ejus ſit recentior, dum modo b. f. acquiſiverit. Nam hic valet regula: „ en fait de „ meubles la posſesſion vaut titre " art. 2279 Cod. Civ. cujus paroemii cauſa in utilitate publica est quaerenda; libera ſcilicet rerum earum circulatio illud flagitare videtur, cum admodum difficile est, eas in judicio perſequi et dignoscere, ſi a tertio posſideantur. Praeterea multae lites praeciduntur, quarum ſumtus et expenſae longe ſuperarent valorem ipſius rei mobilis (2). Praefertur igitur tertius posſesſor, modo tamen in bona fide ſit, id est, ut ignoraverit rem alteri deberi, art. 1141. Porro vero etiam requiritur, ut res nec amisſa nec furto ablata ſit art. 2279; nam tum tantum rei vindicatio conceditur, qua qui uti vult, malam fidem, amisſionem aut furtum probare tenetur. In aliis vero cauſis rei vindicatio haud conceditur: itaque dominium mobilium non hanc habet vim ut tribuat vindicationem, quae nitatur

(1) Zachariä, l. l. Tom. II. §. 359.
(2) Vid. Motifs, Tom. V. n°. 59. p. 18.

tur dominio ab una, posſesſione ab altera parte. (1)

Si ad regulam generalem revertamur, obſervandum est, creditorem dominum cenſeri ab eo inde tempore, quo conſenſus est interpoſitus; quocirca res periculo ejus est, ſecundum regulam, *res perit domino.* In jure Rom. vero ſecundum regulam, *debitor interitu rei liberatur*, ad eosdem effectus diverſa ex opinione procesſerunt, quocirca etiamſi traditio non dum ſit ſecuta, periculo est creditoris, niſi debitor in mora ſit ſolvendi, quo caſu periculum penes eum est. (2).

§. 3.

De conventionibus e quibus faciendi vel non faciendi oritur obligatio.

I. Sunt, qui contendant jure Rom. omnem faciendi obligationem, vel ad factum promisſum vel ad interesſe praeſtandum alternative obligare; verum quare ita distingueremus inter conventiones ex quibus dandi et faciendi obligatio oritur? Ipſa enim ratio et leges Romanorum huic obſtant opinioni. Naturale enim jus nos jubet pacta conventa ſervare, et

(1) Duranton, l. l n°. 337.
(2) Duranton, l. l. n°. 340.

et cur igitur quis magis teneretur ad dandum, quod promisit, quam ad praeſtandum factum quod in ſe ſuscepit? Nequit porro creditor cogere debitorem, ut interesſe loco facti ſuscepti ſolvat; cur igitur hic ſeſe liberaret obligatione ſua interesſe tantum praeſtando, cum creditor facti praeſtatione indigeat (1). Haec principia ſancivit jus Rom. licet enim leges ſtatuant, aliquem ad damnum et interesſe condemnari posſe, ſi factum promisſum non praeſtet, inde tamen non ſequitur promisſarium invito ad id cogi posſe, ut contentus ſit praeſtatione damni et interesſe, quia aliud pro alio invito creditori obtrudi nequit, l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. Quod ad vinculum juris praeterea inter obligationem ad dandum et faciendum, nullum diſcrimen faciunt leges, l. 2 et 23. ff. de O. et A. (2)

II. Aequitatem, quam Jcti Romani hac in parte ſecuti ſunt, auctores codicis quoque ſervarunt. Cum enim nemo ad factum cogi posſit, ne ſic libertati privatorum impedimentum ponatur, ſtatuerunt obligationem faciendi vel non faciendi, ſi a parte debitoris haud obſervatur, locum facere praeſtationi damni et interesſe, art. 1142. Inde vero concludi nequit oriri ex hac conventione obligationem alternativam, adeo ut ſive factum ſive damnum et interesſe praeſtandum ſit. Si quis enim impedire-tur

(1) Glück, l.l. Tom. IV. p. 2. §. 316.
(2) Warnkoenig, l.l. Tom. II. n°. 416.

tur casu quodam fortuito quominus negotium susceptum perficeret, ad praestationem damni et interesse non teneretur; quodsi vero alternative obligatus esset, et uni obligationi satisfacere non posset ad alterum tamen teneretur, art. 1193. (1) Ex art. 1142. porro effici nequit, nullum esse remedium, quo cogi possit debitor, ut obligationi e sua conventione oriundae satisfaciat: si enim salva ejus libertate fieri possit, omnino remedio lege concesso uti liceat. Sensus igitur art. cit. hic est, neminem indirecte neque per poenas neque per carcerem civilem (contrainte par corps) debitorem cogere posse ad faciendum (2). Creditori enim jus competit destruendi quod factum est contra obligationem non faciendi, et quidem sumtibus debitoris, salvo jure praestationem damni et interesse petendi, si ei locus est, art. 1143. Potest etiam, si debitor obligationi faciendi haud satisfecerit, alterius opera uti ad illud perficiendum, pariter sumtibus ejus, salva item restitutione damni et interesse. art. 1144. Ut vero illud destruere liceat, quod factum est contra obligationem non faciendi, indiget auctoritate judicis, licet casus adesse possint, si nempe periculum sit in mora, quando hoc auxilio opus non est.

C o n-

(1) Duranton, l. l. n°. 351.

(2) Zachariä, l. l. Tom. II. §. 299. nota 3.

CONCLUSIO.

Expofitis principiis effectibusque conventionum generalioribus, paucis contrahamus quae huc usque disputavimus. Obfervavimus in multis jus hodiernum cum jure Romano convenire, licet faepius longe diverfa fanciverint praecepta. Discrepantia autem haec ad tres potisfimum obfervationes referri potest, quae notam, ut ita dicam, characteristicam inter utrumque jus conftituunt.

I. In jure Rom. fola voluntatis declaratio inter partes contrahentes civilem obligationem et actionem producere nequit; fed ad id accedere debebat legis difpofitio e generali juris fanctione vel fpeciali conftitutione plenam obligandi vim conventionibus concedens. In jure vero hodierno folus confenfus, modo a perfonis contrahendi capacibus, et fuper objectum licitum interpofitus, valide obligat, exceptis tantum iis contractibus, in quibus folennia, lege praefcripta, obfervanda funt.

II. Cum peculiaris Romanorum procedendi modus ex ufu recesfit, discrimen quoque inter contractus bonae fidei et ftricti juris fecundum jus hodiernum cesfavit. Nam apud nos omnes conventiones bonae fidei dicuntur.

III. Nudae voluntatis declarationi majorem vim jus hodiernum tribuit, quam jus Rom. Per folum enim confenfum dominium rerum, quae in con-

ven-

ventionem deducuntur, jure nostro transfertur: Romani vero ſanciverunt regulam; non nudis pactis ſed traditionibus dominia rerum transferuntur. Per exceptiones vero jure nostro a regula generali propoſitas, malos effectus, qui ex ea provenire posſunt, juris Francici auctores praecidere conati ſunt.

Quod autem ſpectat convenientiam inter utrumque jus, facile quisque concedet, cetera principia atque effectus conventionum e doctrina Romanorum esſe hauſtos, quamvis quaedam dispoſitiones ſpeciales ob temporum, locorum, morum atque indolis utriusque gentis diverſitatem, aut aliis de cauſis a ſe invicem discrepent. Vidimus enim doctrinam juris hodierni de esſentialibus conventionum requiſitis cum univerſis juris Rom. principiis convenire: vidimus per conventionem jure ſancitam obligationis vinculum inter ſtipulantes oriri, a quo neutri eorum invito altero recedere licet: obſervavimus porro, inter ipſas partes contrahentes tantum illud vinculum conſtitui posſe: diximus etiam, quomodo debitor creditori rem in obligationem deductam praeſtare et conſervare teneatur, usque dum tradita ſit. Vidimus denique, ſi e conventione faciendi aut non faciendi oriatur obligatio, aeque jure Rom. ac Hodierno non alternative aut facultative debitorem esſe obligatum, ſed tum demum ad praeſtationem damni et interesſe teneri, ſi obligationi haud ſatis fecerit

rit debitor. In his enim omnibus aequitatem expresſerunt Jcti Romani, quam ſervarunt quoque Codicis civ. auctores.

Haec habui, Viri Clarisſimi! quae ad quaeſtionem a Vobis propoſitam responderem: quae ſcripſi ea accipiatis benevolentia quam pro ſe deposcunt juvenilia tentamina, quae, auctorem in ſcribendo parum verſatum arguunt. Quatenus autem quaeſtioni ſatisfecerim, vestrum declarabit judicium.

ERRATA.

p. 3. l. 4. deletur verbum *autem*

p. 4. l. 3. deletur comma post verbum *obligationes*.

p. 6. l. 14.	*dicunt*	lege	*dicant*
p. 9. l. 9.	*erant*	„	*essent*
p. 10. nota 1[a]	*comoedio*	„	*comoedo*
p. 13. l. 19.	*serraverit*	„	*servaverit*
p. 19. l. 2.	*um*	„	*tum*
p. 24. l. 20.	*dicunt*	„	*contendunt*
p. 24. nota 2[a]	*ementandi*	„	*emendandi*
p. 27. l. 1.	*continet*	„	*contineat*
p. 37. l. 23.	*dedit*	„	*dederit*
p. 41. l. 8.	*negant*	„	*negent*
p. 43. l. 23.	*poponeret*	„	*proponeret*
p. 52. l. 14.	*ei*	„	*sibi*
p. 53. l. 2.	*est*	„	*sit*
p. 54. l. 9.	*sunt*	„	*sint*
p. 58. l. 6.	*mera*	„	*mere*
p. 62. l. 18.	*vindentur*	„	*videntur*
p. 62. l. 21.	*venditorem*	„	*venditor*
p. 64. l. 11.	*earum*	„	*eorum*

TJALLING PETRI TRESLING,

PHILOS. THEOR. LIT. HUM. ET JUR. ROM. CAND.

EXPOSITIO QUAESTIONIS,

A NOBILISSIMO ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM, QUI TRAJECTI AD RHENUM EST, IN CERTAMINE LITERARIO,

ANNO MDCCCXXIX.

PROPOSITAE:

Disquisitio historica, de prudentia Gulielmi I. *Principis Arausiaci, in republica perturbata.*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT,

DIE XXVI M. MARTII ANNI MDCCCXXX.

PRAEFATIO.

Non facile dixerim, viri clarisſimi, quantopere me fefellerit laboris, quem aggresſus ſum, gravitas. Tot enim tantaque per triginta fere annorum ſpatium, admiratione dignisſima, in republica perturbata, ſingulari prudentia gesſit Gulielmus I. Princeps Arauſiacus, ut, ſi haec omnia diligenter examinare, ponderare et explicare, non dico juvenis, ſed eruditus vir cupiat, tempus citius, quam materiae ubertas ei deficiat. Quid igitur ego, juvenis, in literis novus homo, nulla eruditione, nulla ornate copioſeque dicendi facultate munitus, hac in re proficere posſem? Nihil profecto fecisſem, tantumque opus temere ſuscepisſem, niſi animos veſtros, in juvenes propenſos et faciles cognovisſem. Cujus rei tam late percrebuit fama, ut non mirum ſit, tantam ſtudioſae juventutis catervam in Academiam Trajectinam, elegantiorum literarum veluti emporium, allectam esſe. Nullus igitur dubito, quin in hac materia, quae proprie reconditam doctrinam et masculam eloquentiam ſibi depoſcit, juvenilibus conatibus facile veniam daturi ſitis. Nimis grave, fateor, opus est, quam quod humeris exantlare posſem et, ut vere dicam, tempus mihi, aliis quoque diſtricto ſtudiis,

nimis breve fuit. Dedi tamen, quod potui, non quod dare debui. Sed, ſi quid, vel minus accurate, vel minus limate ſcriptum mihi exciderit, quod ſaepius factum esſe mihi perſuaſum habeo, huic infantiae meae in vestra benivolentia, ne deſit praeſidium etiam atque etiam rogo.

Postquam animum ad ſcribendum appuleram, cavendum mihi videbatur, ne, aut motuum bellorumque civilium historiam traderem, aut Gulielmi vitam et res gestas enarrarem, aut elogium tantum conſcriberem. Pauca tamen, ad historiam et Reipublicae ſtatum pertinentia ſubinde ingerenda videbantur, ut quae ad Gulielmi prudentiam rite explicandam omnino necesſaria esſent. Saepius quoque ipsius Gulielmi orationes vel literas, aliquando integras, aliquando paullulum contractas, tradidi. Quemadmodum enim ex ungue leo, ita ex illis Gulielmi prudentia optime cognoscitur.

In magna fontium ubertate eos tantum adhibui, qui ad argumentum nostrum vel maxime ſpectant et fide dignisſimi ſunt. Quare Strada, aliisque, quos videre mihi non datum est, facilius carere potui. Propter argumenti amplitudinem nonnullas res, etſi memoratu dignisſimas, accurate narrare mihi non licuit. Itaque, ſi aliquando brevior, quam par erat, in expoſitione fui, optimos quosque ſcriptores laudare curavi. — Valete, viri Clarisſimi, mihique favete!

CA-

CAPUT I.

DE PRUDENTIA GULIELMI I. PRINCIPIS ARAUSIACI IN REPUBLICA PERTURBATA, EMMANUELE FILIBERTO, DUCE SABAUDIAE ET DEINCEPS MARGARITA DUCE PARMENSI, REGIS LOCO, IMPERIUM TENENTIBUS. A. MDLV—MDLXVII.

§. 1.

Si quaeratur, quo tempore Respublica Belgica perturbari inceperit, haud ſcio, an tempus quoddam certum conſtituere audeam. Etenim motus civiles minutatim nati et magis magisque excitati ſunt; non vero uno quaſi ictu eruperunt. Quodſi ad eorum originem importunumque, ex quo orti ſunt, fontem descendere velimus, ad Philippum II, regium ſuum Hispaniae imperium auſpicantem, veniamus, necesſe est. Hic enim Carolo V. vix ſuccesſerat, quum paterna vestigia inculcans conſiliaque ſibi proponens, illimitatum Belgarum im-

imperium cupide appeteret. Sed patre prudentia longe minor, atrocitate vero major, quod ille, callidis utens rationibus, paullatim asſequi studuit, brevi tempore, quocumque tandem posſet modo, sibi comparare voluit. Quo factum est, ut Belgarum amorem continuo in odium converteret. Parum Belgas cognoverat, mercaturae deditos, libertatis ſtudio flagrantes, virtute pollentes, contractibus quidem firmiter inhaerentes, in tyrannum vero impetuoſos, pertinaces. Parum eorum animos perſpexerat, nulla vi coercendos, cogitandique libertatem ante omnia ſibi vindicantes. Quum igitur, animis patris decretis exasperatis quaſi vincula injicere conaretur, ſacramque, si Dis placet, Inquiſitionem, quam neſanda injuria, dira caedes, inauditaque crudelitas comitabantur, in Belgium immitteret, fieri non potuit, quin omnium animos a ſe averteret. Itaque Belgae precibus primum, deinceps minis, tandem armorum vi intolerandam crudelitatem imperandique libidinem repellere conati ſunt.

§. 2.

Postquam regnum in ſe ſusceperat Philippus, Emmanuelem Philibertum, ducem Sabaudiae, Belgarum rectorum creavit.

Deinde undeviginti Belgarum proceres, inter quos erant Gulielmus, Hornanus, Aersco- tius

tius aliique, aurei velleris insignibus condecoravit. Deinde plurimos proceres, Gulielmum, Aerscotium, Egmondum, Bossuvium, Menenum, Barlaimontium aliosque (1) in senatum (2) allegit. Quibus postea additus est Viglius, Zuichemus *ab* Aytta (3).

Interea Antonius Perenotus, Atrebati Episcopus, regi persuadere conatus est, ut decreta a Carolo V contra haereticos facta renovaret atque amplificaret.

§. 3.

Postquam Philippus et Henricus II. Galliae Rex, aliquamdiu bellum gesserant, in quo Egmondus, et apud Augustam Veremanduorum et apud Gravelinam, Francos magna clade affecerat sibique immortalem gloriam paraverat, (4) Reges ad pacem conficiendam valde propendebant. Hanc in finem Philippus Gulielmum, Ferdinandum Alvarem à Toledo aliosque

(1) Vid. Hopperus, *Recueil et Memorial des Troubles des Pays Bas du Roy*, apud C. P. Hoynck van Papendrecht, Analect. Belgica, Tom. II. Part. II. pag. 18.— Wagenaar, *Vaderl. Hist.* Tom. VI. pag. 7.

(2) Hoc nomine, praeeunte Grotio, id quod Belgice dicitur *Raad van State* indicatum velim.

(3) Conf. Viglii Vita apud C. P. Hoynck van Papendrecht, in Analectis Belgicis, Tom. I. Part. I. pag. 30.

(4) Vid. Hooft, *Ned. Hist.* I. pag. 8, et 15.

que in Abbatiam Cercampiam misit, ubi mense Octobri a. MDLVIII. de pace agere coeperunt legati eamque perfecerunt mense Aprili a. MDLIX. (1). Uterque Rex propter multa belli incommoda pacem flagitabat. Sed accedebat etiam, quo pax illis placeret. Antonius enim Perenotus Atrebati Episcopus, homo vafer et malitiosus, propter peculiares rationes, Cardinali Lotharingiae clam persuaserat, ut nihil praetermitteret, quo pax a regibus confirmaretur. „ Quid „ quaeso, (ita fere ratiocinabatur), utrique prode„ rit, si calamitoso bello gerendo omne regnorum „ suorum robur, quod melius in Turcas, Christia„ norum sempiternos hostes adhiberi posset, dirime„ re pergant? Quin potius contentis viribus in haere„ sin, Christianae religionis infestissimum hostem „ irruant maximumque civitatum suarum malum, „ magis magisque jam effervescens, radicitus ex„ stirpent."

Haec et talia multa tantam in Cardinali Lotharingiae vim habuerunt, ut Perenoti consiliis quam maxime faveret, Regemque Henricum haud minore haereticorum odio imbueret. (2)

Quam

(1) Vid. Hooft, Op. lib. I. pag. 28. Nic. Burgundus, *Hist. Belgica* Halae Magdenburgicae, 1708. pag. 8, ubi pacis conditiones accurate traduntur.

(2) Vid, *Leven van Willem de I.* caet. Lugduni a. 1722. Tom. I. pag. 91. sqq.

Quamvis vero haec omnia clam et nefciente Gulielmo agerentur, ejus tamen perfpicacitatem fugere non potuerunt.

Quum enim, apud Henricum legatus, aliquando cum Rege venaretur, familiarem fermonem cum eo contulit. Tum rex forte narrare coepit, quid Dux Albanus ad omnes haeriticos omnesque, qui haerefi faverent per Hispaniam Belgiumque delendos compararet. Vehementi etfi dolore percülfus, moerorem fedulo represfit Gulielmus et tanquam tanti confilii conscius cum Rege collocutus, omnia, quae ille intus alebat, confilia callide elicuit (1).

Haec ubi cognovit, ingentes, quae miferis Belgis imminebant, procellas jam profpexit Gulielmus. Magna pars Belgarum Luthero, Calvinoque favebant, neque tantum vulgus, fed nobiles quoque innumeri, horum doctrinae dediti erant. Hos igitur omnes ad dira quaeque fupplicia conduci turpisfimaque morte affici jam videbat. Jamjam Inquifitionem, nulla vi coercitam, novo quodam ac inusitato furore agitatam, Belgium occupaturam praecipiebat. Huic vero fi omnes Belgae adverfarentur, ingentes copias regem misfurum, divinabat. Quod, cum Belgis, periculofum ad

(1) Vid. Apologie *ofte verantwoordinge des Doorluchtigen ende Hooggeboren Vorst ende Heers Wilhelm* caet. Leovardiae, a. 1746. pag. 67. *Leven I.* pag. 94.

ac prorſus exitioſum foret, quacumque poſſet ratione, impedire, apud animum conſtituebat. Praeclare intelligebat, quanta damna Perenotus moliretur, quantamque vim in Republica haberet. Itaque nihil antiquius, nihil optabilius habuit, quam ut hancce Reipublicae veluti pestem profligaret et in Hispaniam redire cogeret. Verum Gulielmus, ut erat (1), recte quoque perſpiciebat, magnâ prudentiâ, moderatione, lenitate, astutia hâc in re utendum neque ſtatim vi agendum esſe. Quare regiam auctoritatem venerans ac ſervans, conſiliis, ſermonibus, precibusque omne, quod extimescebat, periculum avertere decrevit.

§. 4.

Confecta pace in Hispaniam proficisci vehementer cupiebat Philippus. Neque inconſulta erat haecce ejus cupiditas. Quatuor enim anni jam elapsi erant, postquam Hispaniae regnum a patre acce-

(1) Breviter attamen apte Hugo Grotius in Ann. I. pag. 7. Gulielmum nostrum, his verbis delineavit: „ Aderat antiqua gentis claritudo, posſesſiones per Belgicam ampliſsimae, animus ingens et celans ſui, par animi magnitudini conſilium, et quantaevis fortunae capax; crudelitas et avaritia nullo ab ingenio longius abſuere. Validus rerum remotisſimarum indagine fidaque rerum omnium memoria. "

ceperat, quod tamen nondum investigaverat. Quare omnino necesse erat, ut omnem rerum statum ipse praesens indagare totamque civitatem ea, qua cupiebat, ratione constituere ac dirigere posset.

Dux Sabaudiae, cum pace, tum matrimonio, quod cum Henrici regis sorore contraxerat, bona sua, antea amissa, pro magnâ parte, recuperaverat. Quam ob causam Belgii praefecturam abdicare et in patriam redire concupivit. Itaque de novo Belgii rectore constituendo cum Perenoto, Albano, Gulielmo aliisque consilia Rex iniit. Post multas ac varias deliberationes hancce insignem dignitatem in Margaritam, Ducem Parmensem detulit. Margaritae, uti etiam sub Carolo V. mos fuerat triplex aderat concilium. Primum, quod Grotii exemplo utentes, Senatum dicemus, (Belgice *Raad van State*) de bello ac pace ut et de summis Reipublicae causis decernebat. Secundum (Belgice *Geheime Raad*) quod *Concilium secretum* vocabimus, legum cura et aequitatis temperatione occupabatur atque in publicis controversiis discernendi potestatem habebat. Tertium (Belgice *Raad der Geldmiddelen*) quod *concilium aerarii* nuncupabimus, cum aerarium tum Principis opes tuebatur (1).

Se-

(1) Vid. Grotius, Ann. I. p. 6. Burgundus, Op. L. pag. 2. Hooft, Op. L. I. pag. 21.

Senatum, cujus omnem fere potestatem antea fregerat (1) ipse instauravit Philippus. Porro Aurei Velleris equitibus, reliquorum duorum conciliorum sociis, ut antiquitus mos erat, Senatum adire permisit: convocante nimirum Margarita, quae Principis locum tuebatur. Reliqua duo concilia jam integra erant. Concilii secreti praesidium tenebat Viglius Zuichemus, cui aderant Perenotus et Barlaimont. Si forte res magni momenti agerentur, vel si Senatus sodales inter se dissentirent, Margaritam cum hisce tribus consilia inituram esse Philippus jussit. Quod et aliis et inprimis Gulielmo valdequam displicuit. Antequam enim Senatus convocaretur, Viglius, Perenotus et Barlaimont, de iis rebus, quae agerentur, cum Margarita jam collocuti erant (2). Praeter ea, quae jam constituerat Philippus, variarum Provinciarum praefectos eligere opus erat. Gulielmum igitur Hollandiae, Zelandiae, Trajecti, Frisii occiden-

(1) Vid. *Bijvoegs. en Nalez. voor het VIde Deel van* Wag. *Vad. Hist.* pag. 21.

(2) Vid. *Leven* cet. I. pag. 110. Magna sane causa erat, quare haec Gulielmo displicerent. Nam, quod eventus docuit, semper res, quae ad patriae perniciem ducebant in hocce concilio agebantur, quibus igitur adversari non poterant ii, qui patriae saluti consulebant. Exemplum hujus rei invenitur apud Wag. Op. L. VI. pag. 46.

dentalis, Vornae et Brielae praefectura ornavit; quibus regionibus, anno insequenti, Burgundiae comitatus additus est. Alios aliis provinciis praefecit (1).

Omnes Belgae tantam dignitatem in Gulielmum esse delatam vehementer gaudebant. Quamvis enim nostrates semper fere aegre tulerint, hominem peregrinum summis in Republica honoribus perfungi, Gulielmus tamen, etsi Dillenburgiae in comitatu Nassavia natus, propter ea, quae in Belgio possidebat bona et praesertim, quia longe maximam vitae suae partem apud Belgas degerat prope suo jure civis esse iis videbatur. Ante omnes vero eos, qui Romano-catholicae religioni non dediti erant, tali tantoque praefecto gavisos esse, quisque facile conjiciet. Etenim, tametsi ipse Gulielmus Romano-catholicam religionem profiteretur, omnia tamen bona de eo sperare licebat, cum, quoniam omnes probe noverant ejus animum placabilem, mitem, ab omni atrocitate quam maxime alienum, tum, quia pater ejus Gulielmus Nassavius fratresque Lutheri doctrinae se dederant (2).

§. 5.

(1) Vid. Hopperus, Op. l. pag. pag. 19. — Burgundus, Op. l. pag. 11. — *Leven* caet. pag. 104. — Wagenaar, Op. l. VI. pag. 104.

(2) Vid. Wag. Op. l. VI. pag. 44.

§. 5.

Republicâ constitutâ, Philippus tantum circumspiciebat, quomodo illimitatum Belgii imperium sibi comparare posset. In omnibus Perenoti consilia exsequens, a Paulo IV, Pontifice Maximo, petivit, ut concilium Tridentinum iteraret. Quae in hoc concilio componebantur decreta in Lutheranos infestissima, contra ita dictos haereticos adhibere maximasque iis infligere poenas decrevit. At vero rite perspexerat Perenotus, *in quo industria, vigilantia, ambitio, luxus, avaritia, bona malaque omnia excellebant* (1) tantas res non, nisi adhibito exercitu Regis consiliis studente, perfici posse.

Philippum Regem nullo negotio in eandem sententiam adduxit, atque effecit, ut Hispanae copiae in Belgio remanerent, hoc praetextu, quod limitibus defendendis inservirent. Quo melius consilia sua celare Rex posset, Gulielmum et Egmondum hisce copiis praeficere voluit. Hi vero excelsi animi duumviri, Regis patriae exitium comparantis in-

(2) Immortalis Grotii sunt verba Op. I. pag. 14. Confer. — Bentivoglio, *Hist. der Nederl. oorlogen, uit het Italiaansch overgezet*, *door* J. H. Glazemaker, Amst. 1674. pag. 19. — Van Meteren, *Hist* caet. I. p. 238. sqq. — Schiller, *Sämmtliche werke. XII. Geschichte des Abfalls der Vereinigt Niederl* caet. 1824. Lib. I. pag. 151.

inſtrumenta esſe noluerunt, atque munus, ſibi oblatum, firmiter recuſarunt (1). Vulgus facile decipere poterat Philippus. Gulielmum et Egmondum acrioris ingenii patriaeque amantisſimos viros non poterat. Quamvis enim Philippus et lenitatem et amicitiam ſedulo ſimularet, horum acumen tamen in intima ejus conſilia penetrabat atque clare perſpiciebat, eum imperium abſolutum, imperandique libidinem perſequi.

Gulielmi et Egmondi responſum, quod genuinum patriae amorem Belgicamque, ut ita dicam, integritatem ſonabat, Regi minime quidem placebat. Iracundiam tamen, pectus quaſi adurentem, illo tempore ſupprimendam esſe cenſuit. Verum, licet eam disſimularet, vindicta tamen ſemper animo verſabat, Regemque ſuis quaſi aculeis quotidie compungebat.

§. 6.

Quum tempus, quo Philippus in Hispaniam proficisceretur appropinquaret, ipſis nonis Octobribus Or-

(1) Hooft, Op. l. pag. 24 egregie, uti multa alia, haec enarravit. Inter alia haec ſcripſit: „ Maar deze Heeren, be- „ behartigende de vrijheid des vaderlandts en 's volks voor- „ deel boven hun bizonder, ſloegen 't grootmoediglijk af en „ voerden hem te gemoet: „ dat vergeefs, door vroomheid „ „ en wapenen der landzaten vrede bevogten waar, indien „ „ zij inwendiglijk, met het juk der vreemdelingen, ſlaaffcher „ „ wijze belast bleven. " "

Ordines, ut hoc utar, generales (de Algemeene Staten) Gandavum convocavit. Inter alia multa, quae hoc loco possunt omitti, ab Ordinibus postulavit, ut decreta contra haereticos accurate tenerent acriterque in eos inveherentur, quoniam omnes in religione mutationes importunas rerumpublicarum conversiones parere solent (1)

Paullo post Ordines libellum Regi miserunt, quo primo loco ab eo petiverunt, ne limites a peregrinis, sed ab indigenis defenderentur. Deinde Regem rogarunt, ut magistratus et consiliarios Belgicos, non vero Hispanos eligeret. Ordines hac in re Gulielmi consilia secutos fuisse, recte conjicitur. Hic enim olim ab Henrico, omnia, quae Rex moliebatur, acceperat ac probe noverat, quibus rebus et qua via Rex in id, quod sibi proposuerat, tendere conaretur. Quare verisimile est, Gulielmum Ordines clanculum impulisse, ut Regi in omnibus rebus adversarentur, quae libertati et saluti patriae periculosa erant (2).

Hunc-

(1) Vid. Hooft, Op. l. pag. 24. — Burgundus, Op. l. pag. 15.

(2) Confer. *Leven* cet. I. 117. sqq. Si ad ipsius Gulielmi in Apologia, pag. 68 verba attendamus, vix est, quod dubitemus, an Ordinibus persuaserit, ut Hispanorum reditum graviter urgerent. Ita enim ipse loquitur:

„ *Ende wij bekennen noch voorder, dat wij (zulcks zien-*
„ *de als hier te vooren verhaelt is) met rechten ernst der*
„ *selver tijdt voor ons namen, ons uiterste best te doen, om*
„ *dit*

Huncce libellum accipiens, Rex iterum iracundia perculſus est, eamque tamen iterum callide occultavit atque ita respondit, ut Ordinibus facile morem gerere velle videretur. Dixit enim, copias Hispanas ad patriam contra vicinos tuendam omnino necesſarias esſe atque inſervire posſe ad filium Carolum in Belgium deducendum. (1).

Deinde vehementer ſe dolere confesſus est, quod Ordinum voluntatem non prius noverat. Si hoc enim prius factum esſet, Hispanos omnes clasſe ſecum duxisſet. Tandem ſe ipſum militum Hispanorum ſtipendia ſoluturum easque quatuor elapſis menſibus, in Hispaniam revocaturum esſe promiſit (2). — Quisque, opinor, facile animadver-

„ dit Spaenſche geſpuys uit den lande te helpen verjaghen, „ hetwelke ons noch tot deſer uren niet en is berouwen: ja, „ ter contrarien, wij zijn dies wel verzekert, dat wij ende „ mijne Heeren onze medegenoten, mitsgaders alle de gene, „ die ſo lovelick een voornemen jonstich toeghedaau zijn ge„ weest, hebben ſodanich een daet volbragt, die in eeuwig„ heijt niet genoeg en zal konnen gelooft werden."

(1) De filio Belgis praeficiendo nunquam cogitasſe Philippum cuique perſpicuum erit, qui novit, qualis illius fuerit animus, in Belgas proclivis et a paternis consiliis quam maxime abhorrens qualeque inſuper Philippi erga optimum filium fuerit odium. Vid. Apol. pag. 44 et ſqq. *Leven* I. pag. 155. ibique laudd. Strada, lib. 7. — Brantome, *Un des hommes illustres.* Part II. Thuanus, ib. XV. aliique.

(2) Vid. Wag. Op. I. VI. pag. 52. ſqq.

vertit, quantopere Philippus hoc rescripto ordinibus placere studuerit. Sed cuique etiam perspicuum fore arbitror, quod eventus quoque docuit, quam acute eos decipere conatus sit. Paullo post Rex, *Gulielmum* frustra adhortans, ut haeresin omnibus modis exagitaret ac profligaret, conscensa navi Hispaniam petivit (1).

§. 7.

Cum Rex, relicto Belgio, in Hispaniam proficisceretur, Gulielmus, qui omnia de republica praeclara atque egregia sentiebat, in meliorem patriae salutis spem adductus est. Margaritam summas res tenentem cum Belgarum proceribus, de maximis rebus consilia inituram sperabat. Quae spes tamen vehementer eum fefellit. Margarita, nomine quidem civitatis gubernaculum tractabat; sed revera et facto Perenotus, Barlaimontius et Viglius, qui regis molimina omnino comprobabant, Belgium moderabantur. Quare nihil antiquius habuit Gulielmus, quam ut, Egmondi aliorumque procerum ope, illorum virorum vim frangeret malumque minitans averteret. In qua re perficienda, quid miremur magis ardoremne rerumque arduarum et difficilium voluntariam ac

(1) Vid. *Leyen* caet. II. pag. 131.

ac diuturnam perpesſionem, an ſingularem prudentiam, temperantiam et inuſitatem ſapientiam, valde dubitamus. Tria, veluti portenta, patriae exitium paratura, videbat: Hispanarum copiarum in Belgio moram; deinde Hispanorum Procerum ſumma in republica munera obeuntem catervam; diram, denique, cum injuria, caede, inauditisque tormentis ingruentem inquiſitionem. Gulielmus igitur his omnibus obtrectare, haec in fugam agere summopere conatus est (1).

Quatuor, post regis in Hispaniam reditum, elapſis menſibus, Ordines, Gulielmo multisque aliis ſuaſoribus, a Margarita postularunt ut copias Hispanas dimitteret. Fidem dederat ipſe Philippus; nondum tamen tenuerat. Quare, niſi Belgis omnibus infestisſimus videri vellet, promisſis ſtandum erat. Margarita vero jusſis, quae occulto a rege acceperat, obtemperans, Ordinibus hâc in re obſequi primum noluit. Tandem, ubi nullus alius percunctandi daretur locus, milites Brielam proficisci jusſit, ut ibi morarentur, donec clasſis, qua in Hispaniam transveherentur, parata esſet. Verumtamen, per varias cauſas exercitum usque ad annum inſequentem 1561 in Belgio retinuit (2).

§. 8.

(1) Vid. *Leven* caet. I. pag. 189. ſqq.

(2) Vid. Hooft, Op. l. I. p. 27. — Grotius, Op. l. p. 13. Wag. Op. l. VI. pag. 59. ſqq.

§. 8.

Interim Philippus, ut Inquiſitioni vim inſignem adſereret a Paulo IV. obtinuerat, ut Episcoporum in Belgio numerus, novis multis creatis, augeretur. Itaque tres Archiepiscopatus, Cameracenſem, Mechlinum et Trajectinum inſtitui curavit, quibus ſingulis varii ſubesſent episcopatus (1). Perenotus Mechlinae archi-episcopus creatus, magis magisque potentia crescebat; ſed unum omnium quoque, in dies percrebescens, odium in ſe contraxit. Episcopi, qui munere abierant, ſortem ſuam vehementer conquerebantur. Abbates, monachi, Belgarum proceres, omnes omnino alta voce clamitabant novasque res valdequam improbabant (2).

Gulielmus omnium maxime importunum rerum ſtatum deplorabat et nimium ingravescentem Perenoti potentiam reformidabat. Philippus ſibi probe conscius, Gulielmum in omnibus patriae ſaluti prospecturum, atque Perenoti conamina, ſi qua posſet, irrita redditurum esſe, literas miſit, quibus eum in ſuas partes allicere co-

(1) Vid. Hopperus, Op. l. p. 22. Burgundus, Op. l. pag. 19. — Van Meteren Op. l. l. pag. 246. Hooft, l. l. Flor. van der Haer, de Init. tumultuum Belg. Lovanii 1640 p. 130.

(2) Praeter auctores laudd. Vid. omnino Schiller, Op. l. lib. II. pag. 166. ſqq.

conabatur, admonebatque, ut opem ſuam ad confirmandos novos Episcopos conferret et pericula Romano-Catholicae Eccleſiae undique imminentia, quoad ejus fieri posſet, averteret. Quam regis epistolam Gulielmum minime deterruisſe, ſed ad patriae commoda perſequenda magis etiam impulisſe, quisque facile intelligit (1). In unum Perenotum oculos convertebat, — hunc unum omnium ſumme oderat ac infestum habebat; hunc unum, patriae exitium parantem expellere ac de ſummo, quod tenebat, potentiae fastigio dejicere, moliebatur. Neque Gulielmo tantum effrenata Perenoti vis ac potestas inviſa erat; ſed innumeri Belgarum Proceres haud minore efflati hominis odio capti erant. Quod ubi Perenoti arrogantia quotidie plus plusque conflagraret, omnes ſeſe Gulielmo conjunxerunt ad istius vim infringendam, eique omnibus modis reſistendum.

Verum enim-vero, uti in omnibus, ita hic quoque magna ſapientia et perſpicacitate utens, lento atque certo gradu ad scopum, quod ſibi ante oculos poſuerat procedebat. In iis rebus, quae ad religionem ſpectant, tolerantiam ante omnia amabat. Ipſe quidem Catholicus erat; at

(1) Regis epistola legitur apud Hooft, Op. l. I. pag. 33.

at vero pater fratresque ab hac religione discesſerant ſeque Luthero dederant (1). Quid mirum, Gulielmum novae doctrinae ſectatoribus ſummopere faviſſe? Accedebat etiam quod anno 1561 Mauritii Electoris Saxoniae filiam evangelicam, ut hoc utar, doctrinam profitentem, uxorem duxerat. Attamen Gulielmus, quamvis cum uxore eandem pectore aleret doctrinam illo tempore prudenter in Catholica religione perſeveravit.

Primum apud animum cogitavit, quomodo novorum Episcoporum electionem optime impedire posſet. Itaque cum Brabantiae Ordinibus occulte conſilia iniit, ut legatum ad Pontificem maximum mitterent, qui ei exponeret, quanta ad novas res perficiendas obſtarent. Hujus vero legationis ubi nuntius ad Margaritam perlatus est, Hispanorum apud Pontificem legatum earum rerum, quae parabantur, ſtatim certiorem fecit; quo factum est, ut Ordinum conatus effectu caruerint (2).

Eodem fere tempore in Gallia atrocisſimum bellum de religione inter regem Franciscum II. et Principem Condenſem aliosque evangelicam doctrinam profitentes exarſit. Philippus Galliae

(1) Vid. Apol. pag. 65. ſqq.
(2) Vid. *Leyen* caet. I. pag. 169.

liae regi jam antea auxilia contra haereticos promiserat. Itaque Margaritam bis mille equites ex copiis ordinatis (Belgice *benden van Ordonnantie*) in Galliam mittere jusfit.

Margarita de hoc jussu follicita regis literas cum fenatu communicavit atque mox intellexit, plurimos fodales regis decretum improbare. Gulielmus et Egmondus ante omnes acriter in id invehebantur et inter alia multa arguebant, hasce copias, ad patriam contra exteros tuendas, minime vero ad aliis civitatibus opem ferendum, conftitutas et collectas esfe. Praeterea copias in Galliam mittere non nifi confentientibus Ordinibus licere cenfebant. Quae Gulielmi et Egmondi fententia jure civitatis Belgico innitebatur. Nam fecundum privilegium magnum Mariae, Ducis Burgundiae, quo multa, quae comitis cum populo Belgico intercedebant jura, confirmata funt, comitibus cum exteris bellum gerere non licebat, nifi Ordines hac in re confentirent (1). Gulielmus enim probe noverat, fi Ordines convocarentur, fe tantum apud eos facile valiturum, ut totam rem impedirent. Tandem res eo pervenit,

(1) Mariae Ducis Burgundiae Privilegium legitur *Groot Placcaatb.* II. Fol. 658. ejusque fumma traditur. *Levon* cet. II. Introd. pag. 20. Confer. Fr. van Mieris, *Historie der Nederl. Vorsten* caet. 's Gravenhage, a. 1732. pag. 188.

nit, ut copiarum loco, pecunia in Galliam mitteretur (1).

Eodem anno 1662 Francofurtiae comitia imperialia (Belgice *rijksdag*) habebantur, ubi Maximilianus imperatoris Ferdinandi filius Rex Romano-Catholicus creandus erat. Quum Belgarum quoque legatus ad haec comitia mittendus esſet, hoc munus in ſe delatum iri Gulielmus ſperabat. Verum, quia Margarita ei illo tempore parum favebat, aliis electis legatis, hac ſpe excidit. Nihilominus Gulielmus Francofurtiam profectus est et, uti videtur, de Belgarum commodis cum plurimis Romanae religioni non addictis Principibus collocutus est atque amicitiam cum iis contraxit (2).

§. 9.

Quemadmodum in omnibus civitatibus fieri ſolet, ubi, converſo rerum ordine, nova ac juri civitatis contraria inducuntur, ita quoque illo tempore in Belgio varia civium erant conſilia ac opiniones. Omnes cives in duas partes erant distracti. Altera pars cui praepoſitus erat Perenotus regiis conſiliis favebat. Haec vero conſilia eo fere ten-

(1) Vid. *Leven* cet. I. pag. 271. Schiller, Op. I. pag. 182.

(2) Vid. *Leven* cet. I. p. 275. ſqq.

tendebant, ut Inquifitionis vi ac auctoritate haerefis dirimeretur, regiaque potestas simul magnopere amplificaretur. Huic parti fe adjunxerant aulici, qui omnem libertatis fenfum exuere, verecundiam omnem ac finceritatem odisfe, mollitiem, pravitatem ac voluptatem virtuti ac probitati anteponere folent. Deinde huic parti fe addixerat protervorum hominum turba, qui patrimonium fuum disfipaverant atque novarum rerum cupiditate flagrantes, honores divitiasque expetebant. Denique fequebatur vulgus, ftupidum istud ac credulum, miferrima fuperftitione proreptum, cui perfuafum erat, populi non esfe regis confilia et facta dijudicare; Ordines non oportere de fummis rebus deliberare, regis decreta improbare atque de reipublicae juribus ac privilegiis follicitos esfe.

Altera pars, cujus Princeps et moderator erat Gulielmus melius perspiciebat, ad patriae falutem omnino necesfe esfe, ut jura et privilegia accurate fervarentur, Regique abfoluta, nullis limitibus circumfcripta, potestas negaretur. Praeclare intelligebat, omnia in pejus verti, fi Inquifitio acrius urgeretur. Etenim haereticorum, uti vocabantur, numerus in dies augebatur, neque ex infima clasfe homines tantum, fed inprimis optimos cives atque ingentem nobilium partem complectebatur. Qui, fi omnes ad atrocisfimum Inquifitionis tribunal protraherentur, mag-

magna populi Belgici pars ultimo ſupplicio afficienda esſet. Quare tot tantaque mala a patria, quocunque posſent modo, avertere Gulielmus quique eum ſequebantur decreverunt. Gulielmo vero minime uti Perenoto perditorum ac profligatorum hominum favebat multitudo; ſed omnes fere Belgarum proceres, ordines, nobilesque (1). Ex qua re jam ſatis colligi licet cuinam, utrum Perenoto an Gulielmo optima res cordi esſet.

Perenotus certe magis potentia valebat, quippe cujus arbitrio omnia in aula gererentur; at vero natura nimis erat ſuperbus, pervicax, imperandique cupiditate conflagrans. Tametſi calliditate minime destitutus esſet, ſe ipſe tamen regere et mitigare non didicerat, disſimulandique artem, qua tantis rebus inhiantes homines, omnino carere non posſunt, parum noverat. In Gulielmo vero ſumma eminebat prudentia, perſpicacitas, cui ſingularem moderationem, lenitatem et, ut ita dicam, ſedationem adjunxerat. Comis erat ac modestus, ab omni fastu ac ſupercilio quam maxime alienus. Ubi res postularet, firmiter, conſtanter et nervoſe, ſententiam ſuam proferebat; attamen ſemper rite apud ſe decernebat, quid edicendum, quidve tacendum esſet (2). Egmon-

(1) Vid. *Leven* caet. I. pag. 306.

(2) De Gulielmi indole videatur omnino Nic. Burgundus Op. I. pag. 31.

mondum optimum et integerrimum virum arctisfima confuetudine fibi devinctum habebat. Cum hoc amico quotidie de lubrico rerum ftatu disferebat, cum hoc omnes suas molitiones communicabat atque deliberabat, quid agendum esfet, ut falva redderetur respublica. Non is erat Perenotus, qui vel precibus, vel minis, vel obtrectationibus facile flecti et ad meliora consilia reduci posfet. Quare praetermisfis omnibus ambagibus, recta via progrediendum armaque contra eum vertenda erant. Itaque Gulielmus cum Egmondo, Hornano aliisque multis Belgarum proceribus literas ad regem mittendas esfe cenfuit. Quibus haec vero continebantur:

„ Omnes Belgii cives, qui praeclare de republica „ fentiunt, dolent ac aegre ferunt, regiminis nomen „ penes Margaritam, vim penes Perenotum „ esfe. Nihil omnino boni de republica sperare „ licet, donec homo, regendi cupiditate protrac„ tus, populo quam maxime invifus, in Belgio mo„ ratur. Quam ob rem talem virum e Belgio re„ movere, nobis praeftare videtur, quam, unius „ hominis gratia, totum populum offendere. Ne „ vero putes, augustisfime Rex, nos talia exorare, „ ut nobismetipfis majorem potentiam compare„ mus. Omnes fimul nos testamur paratos, ad „ confiliariorum munere abeundum; quo nunc no„ mine quidem, non vero facto fungimur. Quod „ ad

„ ad religionem attinet, nosmetipſos, genuinos
„ catholicos profitemur, omniaque, quae a no-
„ bis exſpectari licet, perficere pollicemur."

Hasce literas Gulielmi, Egmundi et Hornani manibus obſignatas, quum rex accepit, rei novitate attonitus, quid responderet, diu dubitavit. Tribus menſibus elapſis haec fere retulit: De in-
„ ſigni vestra fide atque in me benevolentia, quarum
„ tot tantaque testimonia, et nunc et antea vidi,
„ non est, quod dubitem. Verum, quum mihi
„ nequaquam perſpectum habeam, quas ob cau-
„ ſas Perenotum domum rediturum cupiatis,
„ et quoniam ministros meos, inauditâ cauſâ, mu-
„ neribus ſuis exuere nunquam conſuevi, peto
„ a vobis, ut vestrum aliquis in Hispaniam pro-
„ ficiscatur, quo mihi praeſens hanc rem expla-
„ nare posſit."

Hacce regis responſione minime contenti, Gulielmus ſuique his fere verbis Regi rescripſerunt:

„ De omnibus iis, quae in Perenoto repre-
„ hendenda ſunt, non est, quod articulatim lo-
„ quamur. Res ipſa totusque reipublicae ſtatus,
„ haec omnia ſatis testantur. Neque enim, pu-
„ blicorum accuſatorum inſtar, adverſus Pere-
„ notum agere cupivimus, ſed regem tantum,
„ quod munus, quo fungimur, a nobis exigebat,
„ earum, quae geruntur rerum commonefacere vo-
„ lui.

„ luimus: qua in re nos, ob honores et dignita-„ tes, ſatis ſuperque fide dignos esſe arbitrati ſu-„ mus. Lubenter itinere in Hispaniam tendere-„ mus, niſi reipublicae ſtatus hoc vetaret. Adeo „ enim res conturbatae ſunt, ut non niſi magno „ patriae detrimento a ſtatione nostrâ decedere „ posſimus.

„ Porro te oramus, ut hasce nostras literas in bo-„ nam partem accipias, neque id nobis ſuccenſeas „ quod cum Perenoto amplius Senatui adesſe non „ posſimus, quippe quibus omnis vis et aucto-„ ritas fractae ſint et nihil, niſi umbra honoris „ relinquatur. Nihiloſecius in aliis omnibus re-„ bus, quae vel ad Regis obſequium, vel ad Pa-„ triae ſalutem ſpectant, nos officio gnaviter per-„ functuros esſe, promittimus."

Postquam hanc epistolam ad regem miſerant Margaritam quoque certiorem fecerunt, ſe non amplius Senatui interfuturos esſe.

Margarita, de tali rerum ſtatu magis magisque ſollicita, actuarium ſuum Armenteros in Hispaniam miſit, qui Gulielmi aliorumque querelas Regi enarraret, eique omnibus modis perſuadere conaretur, ut Peronotum e Belgio avocaret.

Quod, quum perfecisſet Armenteros, quid faceret omnino incertus haerebat rex. Dum apud ſe deliberabat, an Belgarum proceribus morem ge-

gereret et Perenotum e Belgio removeret, num vero in consiliis suis persisteret, Gulielmo, Egmondo et Hornano literas dedit, quibus eos admonuit, ut in senatum redirent suaque desideria regis voluntati ac publico commodo postponerent. Denique, se interea de Perenoto e Belgio revocando cogitaturum et consilia capturum esse, promisit (1).

§. 10.

Haec omnia Gulielmi praesertim prudentiâ gerebantur, ut Perenotus e Belgio expelleretur. Quorum vero conatuum dum incertus admodum erat exitus, nova animo ac cogitatione expendebat consilia novasque res moliebatur. Pro inusitata, qua gaudebat, sagacitate Perenoti insidias, Margaritae haesitationem, Philippi men-

(1) De Belgicorum Procerum querelis deque regis responsionibus Vid. Hopperus, Op. l. pag. 24. sqq. *Leven* caet. I. pag. 315. sqq. — Burgundus, Op. l. pag. 27. — Bentivoglio Op l. pag. 4 sqq. — Pieter Bor, *Nederlandsche Oorloghen*, Leid. 1621. lib. I. fol. 20. — Rich. Dinothus, *de bello civ. Belg. caet.* Basiliae 1586. pag. 9. sqq. — Van der Haer, Op. l. pag. 235. sqq. — Hooft, Op. l. p. I. pag. 41. — Wag. Op. l. VI. pag. 78. sqq. — Schiller, Op. l. II. pag. 189. sqq.

mentem, atque consilia praeclare quoque intelligebat, nihil hos omnes magis extimescere, quam Ordinum, ut dicebantur, generalium concionem. Etenim, cum Rex sibi probe conscius esset, et facta sua, et consilia a Belgarum commodis quam maxime abhorrere atque hanc ab causam ipsis Belgis minime placere posse, Margaritam Ordinum Generalium concionem permittere jam diu vetuerat, verens nimirum, ne consilia ejus et facta examinantes, ea improbarent omnes atque irrita redderent. Sed accedebat quod illo tempore talis concio Regi, Perenoto aliisque ejus ministris periculosissima erat. Plures enim Abbates a novis Episcopis auctoritate et quaestu privati, animo valdequam infesto regem intuebantur. Gulielmus et optimi quique Belgarum proceres a regia severitate dicam an crudelitate vehementer abhorrebant, ejusque imperandi libidini limites imponere summe exoptabant. Perenotus omnibus invisus erat; omnesque ejus potentiae atque Margaritae infirmitatis taedebat. Quare nullum in ejusmodi rerum statu efficacius malorum remedium videbat Gulielmus, quam a Margarita petere, ut Ordines Generales convocarentur. Itaque eximio, nervoso, patriae amorem Belgicamque integritatem sapiente sermone Margaritam compellavit. Qui sermo his fere verbis continebatur.

„ Jam

„ Jam tempus appropinquat, quo pecuniae fub-
„ fidium, in novem annos a Provinciis Regi con-
„ cesfum ab finem pervenit. Nulla amplius erunt
„ fubfidia, quibus militum ftipendia folvantur atque
„ aere alieno liberetur respublica. Regis domi-
„ nia huic malo fuccurrere non valent. Unde igi-
„ tur pecuniam exfpectare licet, nifi ipfe Rex
„ aliquid nummorum ex Hispania nobis mittat?
„ Quare nostrum esfe cenfeo, reipublicae faluti,
„ quatenus posfimus, prospicere. Ad quod per-
„ ficiendum, nihil nobis commodius videtur,
„ quam ut Ordines Generales ad reipublicae com-
„ moda perfequenda et pecuniam, qua indigea-
„ tur, fuppeditandam atque exigendam, convoce-
„ mus. Quid vero impedit, quo minus in tam lu-
„ brico rerum ftatu, Ordines congregentur. Prin-
„ cipes, qui recte de republica fentiunt, ejus-
„ modi conventum extimescere non oportet, ut-
„ pote qui iis et ope et confiliis paratus esfe fo-
„ leat. Regis tantum ministros et turpes confilia-
„ rios, qui imperii limites imprudenter excesfe-
„ runt ejusmodi concilium reformidare convenit,
„ quandoquidem rerum gestarum rationes reddere
„ tenentur. P e r o n o t u s jam eo arrogantiae pro-
„ rupit, ut Ordinum auctoritatem prorfus con-
„ temnat eorumque vi ac potentia coerceri nolit.
„ Eo respublica jam pervenit, ut innumeri inve-
„ niantur homines, qui Regis legumque auctori-

„ ta-

„ tatem in contemtum vocare aufi fint, cui in„ genti malo ut quam primum medeatur necesfe „ est. Prudentia civilis tales leges atque inftituta „ componere fuadet, quae civibus placere et ab iis „ fervari posfint; alioquin legum taedium, in mag„ num reipublicae detrimentum, cives perfundere „ folet. Quum igitur experientia abunde docuit, „ Belgas durisfima erga haereticos decreta perfer„ re non posfe, dira ista ac periculofa remedia „ ipfo malo multo magis extimescenda, nullo pac„ to adhibenda funt. Ordines folita fua fapientia, „ religionis reverentia, atque regis amore ducti, „ talia excogitare par est remedia, quibus et „ religionis dignitati et reipublicae faluti confula„ tur.

„ Denique virum aliquem, cujus fides et pru„ dentia testatae funt, Ordinum Generalium prae„ fidem creandum esfe cenfeo. Cui muneri tuen„ do nemo idoneor ac probitate fpectatior, quam „ Marchio Bergenfis mihi in mentem venit."

Hanc Gulielmi orationem Peronotum et Margaritam in magnas difficultates ac dubitationes aduxisfe, quisque facile conjiciet. Perenotus enim rite intelligebat, hujusmodi concionem, omnem ejus vim ac potentiam perfracturum eique exitium paraturum esfe. Margarita cum Perenoto praefagiebat, fi Ordines Generales convocari permittebet, regis imperium valdequam imminutum iri, quoniam Ordines populi jura ac

 pri-

privilegia omnibus modis vindicare conarentur. Quam ob caufam Ordines convocari firmiter recufavit, aperte confitens Regem, difertis verbis vetuisse, ne hoc concilium, fe abfente, congregaret. Ne tamen contumaciae fpeciem prae fe ferre videretur, Aurei velleris equites Provinciarumque praefectos convenire voluit.

In hoc tamen conventu nulla fere res magni momenti acta est; verum dies conviviis maxime et compotationibus trita est.

Itaque Gulielmi conatus ad Ordines Generales convocandos effectu quidem caruere; fed omnium Belgarum erga Perenotum odium eo vehementius conflagravit (1).

Gulielmus interea cum Hornano, Egmondo, Hoogstrateno, Bergensi, Brederodio, et Montignio focietatem iniit, qua conjunctim fe contra Perenotum armarent. Perenotus Regis favore fretus eorum conatibus diu restitit. Tandem vero, ubi unam omnium contumeliam in fe contraxisfet, ipfe munere fuo liberari vehementer cupivit, atque menfe Martio anni 1564. confentiente Rege, in patriam fuam Burgundiam profectus est (2).

§. 11.

(1) Vid. *Leven* caet. l. I. pag. 324. fqq. van der Haer. p. I. pag. 228,

(2) Vid. Viglii, vita, pag. 38. — Hopperus, Op. I. pag. 36. — Bentivoglio, Op. I. pag. 26. — Van Meteren,

§. 11.

Postquam Perenotus e Belgio decesferat, Reipublicae facies laetior multo facta est. Gulielmus, Hornanus et Egmondus in Senatum redierunt, fummamque patriae commodis diligentiam adhibuerunt, ita ut faepisfime in Senatu quafi pernoctati fint. Singularis quaedam apud omnes confiliarios, illo tempore, regnabat integritas tantaqne harmonia, ut de variis rebus maximi momenti; una faepe eademque fuerit omnium vox. Quae cum ita esfent, omnia bona ac praeclara de Republica fperare licebat (1).

Verum enimvero, breviter admodum tam felici rerum mutatione optimi Belgae gavifi funt. Aerumnofus enim, quem ipfe Perenotus imflammaverat, ignis, hoc repulfo, reftinctus quidem videbatur, fcintillae vero, etiam fub cinere gliscebant, atque paullatim in novam flammam exarferunt. Scilicet Perenotus e Belgio demigrans hostibus fuis

ren, Op l. pag. 261. — Burgundus, Op. l. pag. 31. — Hooft, Op. l. p I pag. 45. — Grotius, Op. l. pag. 17. — Wag. Op. l. pag. 89. — Cf. *Bijvoegfelen en Aanteeken.* caet. VI. pag. 39 feqq. — Schiller, Op. l. lib. II. pag. 194. fqq.

(1) Vid. Bentivoglio, Op. l. pag. 28. — Burgundus, Op. l. pag. 32. — *Leven* I. pag. 356 fqq. — Hooft, Op. l. p. I. pag. 45. — Wag. Op. l. VI. pag. 95. — Schiller Op. l. Lib. II. pag. 208.

ſuis inſidias ſtrui curavit. Odium ſuum et conſilia cum amicis communicavit, eosque omnibus modis incitavit, ut ejus vestigia ſtrenue inculcarent, regis imperium, quocunque posſent modo, ſtabilirent ac corroborarent, Gulielmo aliisque, qui patriae jura ac privilegia tuebantur, fortiter repugnarent. Itaque malum, quod plerique deletum putabant, viperae inſtar, usque ſerpebat atque Gulielmi ſingulari prudentia magnopere indigebat.

Inter Perenoti amicos qui vi et auctoritate pollebant, inprimis conſpiciebantur Viglius, Barlaimont, Aerſchot, Mansfeld, Megen et Aremberg. Quorum vero omnium maxime extimescendus erat Viglius, utpote qui et ingenio et honoribus plurimum in Republica valeret. Hunc igitur, non uti antea Perenotum fortiter impugnare, ſed amicitiae necesſitudine ſibi devincere Gulielmus ſumme ſtuduit. Frustra. — Viglius Regis imperium, quantumvis magnum et libertati infestum tueri ac in conſiliis ſuis firmiter perſeverare decrevit. (1).

Eodem plane modo Barlaimontii animum flectere conatus est. Domi ſuae Aurei velleris Equites convocavit atque cum iis conſilia cepit, quid agendum esſet ad Inquiſitionis asperitatem mi-

(1) Vid. Schiller, Op. l. caet. lib. II. pag. 212.

mitigandam. Ibi Barlaimontius princeps fuit, qui Gulielmo obſiſteret ejusque conſilia cum Margarita communicaret (1).

Deinde Regis gratiam ſibi conciliare conatus est Gulielmus; quem in finem literas ei miſit, quibus ſe fidelisſimum Regis Vaſallum profesſus est. Hisce literis rex respondit, ſe Gulielmi fidem nequaquam ſuſpectam habuisſe, neque falſis, qui ſibi allati esſent, rumoribus numquam credidisſe (2).

Denique Margaritam variis modis ſibi benevolam reddidit, ſimulque Senatus auctoritatem munivit et amplificavit. Margaritam ipſam jam antea taeduerat Perenoti quaſi tutelae (3). Itaque amicis ejus in omnibus obſequi amplius noluit, plura, quae antea in concilio ſecreto agi ſolebant, Senatui commiſit, ejusque ſententiam in plurimis rebus ſecu-

(1) Vid. Schillet, Op. l.l lib. II. pag. 212. ibique laudati Strada, 82, 83. — Burgundus, pag. 91. Vita Viglii pag. 70.

(2) Vid. Hopperus, Op. l. pag. 38. — Hooft, Op. p. I. pag. 46. — *Leven* caet. I. pag. 858. ſq.

(3) Margaritae et Procerum laetitia his verbis expresſit Viglius in vita pag. 38. Remoto, ſive recedente Cardinale, non tantum ejus inimici, qui in Senatu erant, non aliter exultavere, quam pueri abeunte ludi magistro, ſed ipſa etiam Duciſſa ſervitutem excusſisſe ſibi viſa fuit, cum antea nihil magis, niſi ex ejus conſilio reſolvere ſolita esſet

cuta est (1). Gulielmi conatibus vehementer repugnavit Viglius, qui Margaritae persuadere conatus est: Proceres omni fide indignos esse, utpote qui nil nisi suam ipsorum potentiam in Regii imperii perniciem molirentur (2).

§. 12.

Multi scriptores Hispanorum rationibus addicti, caussas expiscari conati sunt, quare tam felix rerum status denuo in pejus ruere coeperit, atque partium studio ducti, omnem culpam in Belgarum Proceres conjiciunt (3). Horum singulorum sententias accuratius indagare ac refellere nimis longum foret, nostrique argumenti expositionem extra modum dilataret. Aliorum (4) potius et nostram de ea re sententiam proposuisse, sufficiat. Verum, ut haec rite, et quoad ejus fieri possit, perspicue proponamus, res paullo altius repetenda videtur.

Christiana religio ex limpidissimo et pellucido veritatis fonte repetita primis temporibus pura, since-

(1) Vid. Burgundus, Op. l. pag. 32. sqq. — *Leyen* caet. I. pag. 356.

(2) Vid. Bentivoglio, Op. l. pag. 39.

(3) Vid. Hopperus, Op. l. pag. 39. — Viglii vita, pag. 40. — *Leyen* caet. I. pag. 360. sqq.

(4) Vid. Bor, Op. l. lib. II. fol. 22. — *Leyen*, I. pag. 370. sqq. et pag. 410. — Van Meteren, Op. l. pag. 314.

cera, aperta, ab omnibus partibus septa ac munita, sua se simplicitate ac candore facile omnibus commendabat. Postquam vero Graecorum, Judaeorum, Aegyptiorum placita simul et sacra ei illata et cum ea veluti conglutinata sunt, multis sordibus inquinata est. Deinde Episcopi Romani, aliis postpositis, paullatim ingentem potestatem sibi asseruere, ac regnum quoddam sacrorum constituere; unde Latini ritus et in sacris sermo pedetentim Christianae religioni irrepserunt. Hi, ubi auctoritate magis magisque excreverant, sacri imperii sedem Romae posuerunt, libros paene omnes, ne sacra scriptura quidem excepta, populis exemerunt, omniaque, quae ad sacrarum literarum interpretationem spectarent, sacerdotibus et monachis commendarunt. Haec fuit illa hierarchia, quae per plura saecula Romae exstitit maximamque vim in omnes res, tam sacras, quam politicas exercuit.

Per medii aevi tempora, quum orbis terrarum immunda barbarie esset involuta, quum hominum animi miserrima superstitione ac caeco obsequio premerentur, suo se pondere et auctoritate facile tuebatur haecce hierarchia.

Verum, ubi humana ingenia paullatim adoleverunt atque elegantiorum literarum studio, expugnato Byzantio, ad verum humanitatem conformati coeperunt, nova lux, mira claritate splendens hominibus affulsit. Huc accedebat, effrenata clericorum imperandi libido, qui terrestri imperio mi-

minime contenti, etiam de aeterna hominum ſalute decernere coeperunt. Itaque Lutherus, Calvinus, Zwinglius aliique corruptelarum exagitatores in lucem prodierunt, praeposteras hominum opiniones nova ſua eaque genuina doctrina propulerunt et meliora edocuerunt. Continuo contra hos totus Eccleſiasticorum ordo, qui neque auctoritate ſua, late patente, neque innumeris quaestibus ſe privari patiebatur, ſurrexit atque in omnes, ita dictos haereticos, arma vertere coepit. Ubique tribunalia inſtituta, qui in hominum animos inquirerent, ſaevisſimis tormentis ac diris equuleis intimos hominum ſenſus elicerent, omnesque, qui haereſis crimine convicti esſent, ultimo ſupplicio afficerent. O coecas hominum mentes! O incredibilem perverſitatem! Non perſpiciebant isti ſtulti homines, humanum corpus quidem acerbisſimo dolore, cruciatu et morte affici posſe, animum vero liberum et immortalem esſe nullaque vi coerceri posſe. Non intelligebant, animum in corpore veluti in diverſorio quodam degere, ex quo ſi ei non amplius placet, lubens recedit atque in beatiora loca commigrat.

Neque hoc animo percepit Philippus cum decreta contra haereticos emitteret Belgasque omnes, crudelisſimis in eos ſaeviens poenis, ad Romanam eccleſiam reducere vellet. Haeretici quidem ad Inquiſitionis tribunalia rapiebantur, in

vincula conjiciebantur, variis cruciamentis torquebantur gladio, laqueo, vivorum ſepultura, flammis aliove modo necabantur; ſed innocentia ſua fulti laeto ac forti animo ſupplicia perpetiebantur, mortemque ſubibant. Quorum ſingulari conſtantia, non mirum est, omnes haereticos in doctrina ſua firmiter perſeverasſe atque innumeram aliorum multitudinem ad eos converſam esſe. Etenim non tantum haeretici, ſed alii quoque, Romanae eccleſiae addicti, miram morientium firmitatem et perſeverantiam ſumme admirabantur, ab immani ista crudelitate vehementer abhorrebant et novae doctrinae amore ac cupiditate tenebantur. Quo factum est, ut haereticorum numerus, quem Hispani ſuppliciis perquam imminutum iri cenſebant, in dies cresceret et augeretur. Itaque Philippus religionis ardore dicam, vel ſuperſtitione ductus, ſaevitia ſua nihil aliud effecit, quam ut unum omnium odium Hispanis ſibique compararet. Atque haec cauſa erat, quare continuis turbis respublica Belgica exagitaretur. Hanc vero ubi percipere aut non posſunt, aut nolunt ſcriptores, qui Hispanis favent, omnem harum rerum culpam in Belgarum Proceres et in primis in Gulielmum nostrum, integerrimum patriaeque amantisſimum virum, conferunt.

§. 13.

Gulielmus, pro mirifica illa, qua gaudebat,

perſpicacitate in ingentia Inquiſitionis pericula, et damna penitus penetraverat eorumque ſequelas et Regi et populo exitioſas jam praeviderat. Itaque Regis animum flectere eique, ut aspera contra haereticos decreta mitigaret perſuadere ſaepisſime conatus est, cujus rei plura postea exempla trademus.

Interea judicia, quibus haereſis exſtirparetur, aliquanto laxius exerceri coeperunt; partim ipſorum Judicum culpa, partim communi omnium Inquiſitionis odio. Plures enim proceres, quos inter Gulielmus et Hornanus, ſiquidem potentia aliqua valerent, pro damnatis nonnumquam intercedebant (1). Quae cum ita esſent, Margarita Prid. Kal. Jan. Senatum convocavit. Ibi Senatores rogavit, ratumne esſet vel per literas vel, quod ſibi melius videbatur, per legatum haereticorum numerum quotidie increscentem, judiciorum ſtatum et pecuniae publicae inopiam Regi exponere?

In

(1) Vid. Hopperus, Op. l. pag. 39. — Wag. l. IV. pag. 99. Burgundus, Op. l. pag. 55 qui inter alia haec refert: Henricus Brederodius et Florentius Pallandius Culembergii comes ſubinde etiam damnatis aderant, et ſi posſent, ſupplicio adimebant." Dubito tamen an hoc verum ſit, quoniam nihil hac de re apud alios ſcriptores traditum invenio. Praeterea, Burgundus a partium ſtudio in omnibus liber nemini videri potest, cui notum est, eum ex Viglii Schedis et Tisſenacquii commentariis historiam ſuam, pro magnâ parte, conſcripſisſe.

In magna ſententiarum diverſitate ita fere Gulielmus locutus est:

„ Qui adhuc disſimulare convenit? ſine ambage
„ nunciandum est Regi, hoc in ſtatu ſalvam ſtare
„ non posſe rempublicam. Multitudo ex magnâ
„ parte a religione majorum deficit, nec pares
„ ſunt magistratus tanto incendio. Proprio vitio
„ Provinciae laborant, propter ſacerdotum mores
„ ſordibus maculatos. Frustra contagio arcetur,
„ cujus cauſa in visceribus alitur. Quid edicto-
„ rum ſeveritas hactenus profecit, niſi ut atro-
„ cior ſuccederet Inquiſitio? neque haec ipſa coer-
„ cendis flagitiis ſatis valida; mitioribus remediis
„ eluendae ſunt hae maculae. Ostentata tormenta
„ ingenia exasperant, ex unius cineribus mille re-
„ naſcuntur; male id cogitur ad quod perſuaden-
„ do pervenire oportet; acrius ſtimulat, qui con-
„ ſcientiis vim affert, et intempestiva ſunt remedia,
„ quibus delicta magis accendimus. Imitandi ſunt
„ periti medici, qui interdum plus quiete, quam
„ movendo proficiunt. Honeste cedit, qui tempori
„ cedit; hoc est necesſitatem aestimat. Nemo mihi
„ priorum ſaeculorum innocentiam objiciat. Idem
„ genius hodierna ingenia non conjungit. Neque
„ olim poenarum metus, ſed ſui mores quemque
„ continuere. Ne irritamenta quidem eadem ſec-
„ tis naſcentibus, quum adhuc inter paucorum,
„ viliumque conſcientiam concluderentur: totae
„ hodie regiones huic disciplinae accedunt, ut mi-
„ rum

„ rum adeo videri non debeat, si plerisque Belgis „ impetus iste novitatis imposuerit, qui ut frangatur, relinquendus est sibi in pingui inertique licentia, ne ad insaniora adigatur necessitate. Vidimus, quantum turbae Valencenis, Tornaci et „ Antverpiae, accenderit! quid futurum, si plures „ simul urbes reverentiam exuant? Incertum est „ remedium, quod pollicetur nobis Tridentinum „ concilium, et ut vanum esse credamus, Germani non recipiunt. Exemplo eorum mitius vivendum est cum sectariis; quos ne catholici „ illic Principes cruciatibus asperant. Si crederem, ad conscientias hominum valere supplicium, suaderem exquisitiorem quamque crudelitatem, sed cum per tot annos igne ferroque „ nihil profectum videam, utilius judico detrahere aliquid horrori legum, quam palam facere „ impares eas esse flagitiis. Priscorum temporum „ sectas gladius non delevit; eruditione et eloquentiâ vitaeque exemplo, revocati sunt errones „ illi ad ecclesiam. His armis hominum animis „ vim inferimus, religio imperium despicit, nemo „ cogi potest, ut credat invitus. Et haec solidiora pacis sunt consilia, quae tamen privatae „ curiae Senatores non recipiunt. Malunt omnia flagrare incendio, ut in turbidis undis largius piscentur. Unde enim justitiae ista corruptela, nisi ab ingentibus illorum vitiis, insatiabili aviditate cuncta prostituentium? Non superarent

„ tot

„ tot divitiae istis hominibus e ſcholastico ſqual-
„ lore in concilium accitis, ſi muneribus nihil
„ concederent. Scimus, quo conducti ſunt ſtipen-
„ dio, nec illud par esſe, quod luxum et pom-
„ pam, et tam infames ſumptus toleret. Uti-
„ nam tam modeste peccarent, ut negari flagitia
„ posſent. Nunc ſi populo credimus, non aliter
„ rectius, quam auro tentantur, nec quidquam
„ tam ſancte indulgent, ut non accipiant, ſed ut
„ promiscue omnes avaritiae non inſimulem; ac-
„ cuſare certamina, invidiam, ſimultates posſum,
„ et privati odii ſtimulos, quibus adverſandi li-
„ bidine invicem ſe lacesſunt, et miſerorum cala-
„ mitatibus injuriae ſuae litant. Quis probet
„ intempestivam cancellarii Brabantiae jurgandi
„ licentiam, et exerceri ſolitas cum Masio
„ contentiones? Dicerem erupturas in publicam
„ perniciem, niſi quis crederet, a me malignius
„ prolata, ad conflandam invidiam. Interim ſci-
„ mus quam turbida ſint conſilia eorum, quibus
„ affectus officit. Non est igitur, quod in discri-
„ men vocent innocentiam Procerum, quaſi ſci-
„ licet gubernatores, ad infamis cujusque lictoris
„ libidinem centurias militum ſubministrare de-
„ beant. Ponant illi Senatores modum animo ſuo,
„ ne tam proni ſint ad indulgentias, quas cum a
„ nobis non impetraverint rei, in ista curia ſta-
„ tim redimunt. Hoc est, quod rempublicam
„ funditus trahit. Nemo ad remittenda ſcelera fa-

„ ci-

„ cilis esse potest, quin semper aliquid adjiciat „ malo publico. Nunquam mihi placuit, in tot „ concilia, curas Imperii et arcana distrahi. Sufficit omnibus concilium status, et hoc ipsum „ Proceres non raro inter se secreto mussitarunt, „ ideoque repeto, ut omnes intelligant, haut aliter tot malorum finem haberi posse, quam si „ Privatae curiae, et Finantiarum officia, in Proceres transferat Rex Philippus conciliumque unum, veluti unum corpus ex omnibus „ faciat. Postulandum hoc est ab eo disertis verbis, nullum alioquin fructum legatio habitura „ est (1)."

Videt, opinor, quisque, qualis fuerit Gulielmi mens, quales rationes, qualis patriae amor. Periculosum erat, omnia, quae animo versabant cives, Regi tradere; periculosum erat ei explicare, quanto decretorum suorum fastidio tenerentur omnes, quantaque minitarentur. Verum periculosius multo erat, omnia ista dissimulare ac celare. Fundamenta, quibus innitebatur civitas, vehementer concutiebantur; omne reipublicae veluti aedificium jamjam casurum videbatur, quod ubi semel collapsum esset, nulla vi, erigi posset. Haec praevidit Gulielmus. Itaque Regi totam rem enucleandam esse censuit. Regis erat eligere, utrum rei-

(1) Verba ex Burgundi, Op. I. pag. 40 sqq. descripta sunt. Conf. van der Haer. Op. I pag. 255.

reipublicae quasi parietes fulcire, confirmare, et corroborare an labentes convellere mallet.

Egmondus, legatus electus, in Hispaniam proficiscitur. Hic ibi Senatus literas tradere, aerumnosam rerum statum enarrare, ut Inquisitionem temperaret Rex precari. Frustra. Magna quidem comitate, a Rege Hispanisque proceribus Egmondus excipitur, literas quidem regiae benevolentiae testificationibus oppletas afferens in patriam revertitur: Rex tamen eandem quam instituerat, viam, tenere, omniaque de religione decreta servare constituit (1). Voluit autem, ut tres Episcopi et nonnulli Theologi, fama conspicui, nec ingenio deteriores cum Belgarum proceribus convenirent de puerorum educatione et de poenis haereticorum consilia inirent.

§. 14.

Hoc factum est octavo calendas Junias a. 1565. In illo concilio, saepius habito, Episcopi leges de religione integras servandas esse censuerunt, Proceres vero, pro temporum ratione, aliquatenus ab iis recedendum esse, putarunt. Quum tertio conve-

(1) Vid. Hopperus, Op. l. pag. 40. — Viglii vita, pag. 41. Burgundus, Op. l. pag. 48. sqq. — Denothus, Op. l. pag. 11. — Hooft, Op. l. pag. 50. sq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 88. sq. — *Leyen* caet. I. pag. 394. sqq.

venirent Gulielmus a Margarita rogatus, illius temporis ancipitem rerum ſtatum his fere verbis expoſuit. „ Non immerito commoveor nomine Reipublicae, quamcircum intraque ſectarii „ laceſſunt, et penetralia ejus crebris quatiunt „ motibus. Remedia ista languentis aevi modum „ excedunt; niſi ſponte in Labyrinthum currere pla„ cet, unde ſera nos poenitentia ſine pudore et „ damno non eripiat. Si nescitis; atrociſſima re„ ligionis ſunt diſſidia. In Gallis praeſens habemus „ exemplum, qui nunc in ſe acrius, quam in nos „ olim incurrerunt. Tam vastum regnum ita ſedi„ tione distractum est, ut videatur aliter compo„ ni non poſſe, quam alterius partis exitio. Quid ſi „ ſectarii nostri, quod ſuis nequeunt conſequi viri„ bus, excidio patriae aliunde quaerant, aemulasque „ gentes ſpecie auxilii arceſſunt in laceratum dis„ cordiis imperium? acerrimus morſus est irrita„ tae neceſſitatis. Neque ignoro adferri multa „ poſſe, quae a derogandis legibus nos abſter„ reant. Nam nec ipſe leges temere vertendas ju„ dico, ſi pares erunt flagitiis; ſi conditio ſaecu„ li inutiles non fecit, ſi tempora aliud non deſi„ derant. Nunc etiam horrorem illarum judices „ averſantur, et ad rigorem calculos non porri„ gunt. Et quid obſecro profectum tam exquiſi„ tis ſuppliciis? Carcerem, laqueos, cruciatus ho„ mines isti ridendo excipiunt. Adverſus terribiles „ flammarum apparatus rectos oculos tenent, ne-

„ mo

„ mo tot vexatus tormentis poenitentiae vestigia „ exhibuit. Et si verum volumus, quotidianis spectaculis animatur constantia; unius exitium, plurium est illecebra. Ad haec verendum ne lacessita patientia exeat in furorem, et ad armorum necessitatem desperatio traducatur (1)."

Singularis quaedam, ni fallor, in hacce nervosa oratione splendet prudentiae civilis peritia, mira quaedam de impendentibus procellis praesagitio atque insolita ad adversariorum effringendos animos vis. At vero hi nullo facto a proposito suo recedere volebant legibusque et decretis, utut perniciosis, mordicus adhaerebant. Tandem Margarita Theologos sententiam suam literis mandare jussit. Quae haec fere continebat.

Concilium Tridentinum, ut iis videbatur, optime curaverat, ut omnes ecclesiae Romanae doctrinam accurate edocerentur. Caeterum, sacerdotum erat, omnibus ecclesiae commodis gnaviter servire. Porro idem concilium de clericorum moribus curam agendam scholasque instituendas esse jusserat.

Praeterea decreta, jam ante triginta et quinque annos confecta, mutare minime expedire videbatur. Attamen judices clanculum admonendos esse duxerunt, ut pervicaces tantum haereticos morte damnarent, ut inter varias sectas, uti decebat, distinguerent; ae-

(1) Vid. Burgundus, Op. l. pag. 44. sqq.

aetatis, conditionis, indolisque personarum rationem haberent: variasque poenas infligerent. Denique summum numen invocandum esse censebant, ut omnia mala, quae sacrae Catholicae ecclesiae imminebant, averteret.

Hocce theologorum judicium Margarita Philippo impertiebatur. Cui ita respondit, ut omnia, quae ad religionem Romano-catholicam vindicandam spectabant, vehementer approbaret, nihil temperantiae permitteret, omniaque, tam patris, quam sua ipsius decreta accurate servari vellet. Praeterea concilii Tridentini decreta per omne Belgium quo tenerentur promulgari jussit.

Itaque Margarita haec omnia regis nomine per literas cum Episcopis et provinciarum rectoribus communicavit.

§. 15.

Quibus literis acceptis, Gulielmus Margari-

(1) Vid. Hopperus, Op. l. pag. 47. sqq. — Viglii. vita, pag. 14. — Bentivoglio, Op. l. pag. 35. Van Meteren, Op. l. I. pag. 414. Hooft, Op. l. l. pag. 64. — Burgundus, Op. l. p. 47. — *Leven*, I. pag. 409. Wag. Op. l. VI. pag. 177. sqq. — Schiller, Op. l. Lib. II. pag. 244. sqq. — Regis decretum integrum nobis tradidit Bor, Op. l. Libr. II. fol. 22 sqq.

ritae multis verbis rescripsit, suamque et de praecepto regio sententiam copiose et graviter exposuit. Haec vero epistola amplior est quam quae integra hic transcribi possit. Tanta tamen tamque egregia summae prudentiae indicia continet, ut eam hoc loco omnio praetermittere religioni habeam. Quare eam in minorem formam contractam lectoribus tradendam esse censeo:

„ Literas accepi tuas regisque jussa ex iis cog-
„ novi. Tametsi meam de re tanti momenti sen-
„ tentiam non antea audieris, in omnibus tamen
„ negotiis me fidelissimum ministrum praesta-
„ bo. Neque etiam quae de hac re sentio nunc
„ dissimulare animus est. Praestat enim, omnia,
„ irato etiam rege, aperte enuntiare, quam pos-
„ tea, ubi respublica perturbari inceperit, merito
„ silentii poenas dare. Quod ad concilium Tri-
„ dentinum attinet, id non magnis difficultatibus
„ premi duco; praesertim si respiciamus ad eas
„ quae adjectae sunt exceptiones.

„ De Inquisitione vero monendum mihi vide-
„ tur, omnes querelas, quae olim de novis
„ Episcopis creandis regi adlatae sunt, inquisi-
„ tionis timore et odio ortas esse. Imperator
„ quondam Carolus et verbis et literis, Bel-
„ gis saepius promisit, se nunquam Inquisitionem
„ apud eos instituturum esse: quae promissa
„ confirmavit ac saepius repetivit ipse Rex Phi-
„ lippus. Quae cum ita sint, populus jure,

 olim

„ olim sibi concesso, se omnino destitui, nullo
„ pacto pati posset.

„ De decretis vel ab Imperatore Carolo, vel
„ ab ipso Rege profectis, dicam, quod sentio.
„ Haec antea saepissime mitigata sunt neque re-
„ gis ministri solebant in his exsequendis maxima
„ severitate uti. Quidni igitur Rex eadem mo-
„ deratione agere pergit? Respiciendum ad ea,
„ quae vivimus, tempora, quibus vicini nostri, an-
„ cipiti fortuna, tanta ad cogitandi libertatem ac-
„ quirendam gerunt ac moliuntur, ut fieri vix pos-
„ se videatur, quin nostrates eorum exemplo ex-
„ citati, eadem sibi vindicent. Nulla vi eorum
„ animi coerceri possunt. Clementia et lenitate
„ tantum, si quid mihi credis, utendum est. Quo
„ vehementius rex in eos irruet eo contumacius
„ resistent ejusque conatus irritos reddent. Omnes
„ clamitabunt, regem promissis suis non stare, ty-
„ rannidem sibi affectare. Patriam missam facient
„ innumeri cives, in vicinas regiones migrabunt
„ Belgiumque vacuum relinquent. Religionis sta-
„ tus non melior evadet; nihil omnino rex
„ proficiet, nisi quod totam rempublicam miser-
„ rima aerumnarum voragine submerserit. Mit-
„ to alia multa hujus rei incommoda, de quibus
„ rex olim saepius admonitus est. Hoc tan-
„ tum addam, praesentem rerum statum ac tem-
„ pus ejusmodi decretis minime convenire. Cives
„ enim continuis calamitatibus exagitantur sum-

„ ma

„ maque frumenti inopia premuntur. Quin potius rex decreta ſua exasperare diſinat, donec ipſe praeſens in omnem reipublicae ſtatum inquirere et prouti res postulat, omnia inſtituere potuerit.

„ Quodſi vero rem ſine ulla mora ad exitum perducere velit, equidem vehementer opto, ut meo loco alium quendam eligat virum, qui populi animos ſedare, me melius, noverit.

„ Quod reliquum est, obſecro te atque obtestor, ut omnia ea, quae ſcripſi, in bonam partem accipias, tibique perſuaſum habeas, me omnia patriae amore regisque obſequio ductum, ut Christianum decet, integerrima fide gerere atque ſemper gesturum esſe (1)."

§. 16.

Gulielmus igitur regis decretum vehementer improbabat et cum eo Egmondus, Hornanus aliique multi ſenatores aliquatenus conſpirabant. Quaerebatur in Senatu, utrum regis decretum ſtatim promulgaretur, an vero postquam regi expoſitum esſet, quibus difficultatibus illud premeretur. Illius ſententiae Gu-

(1) Epistola ipſa integra exhibetur apud Bor, Op. I. Lib. II. fol. 23. ſqq. Conf. *Leven* cet. I. pag. 405 ſqq.

Gulielmus; hujus vero Viglius acerrimus patronus exſtitit.

„ Regis voluntas — inquit Gulielmus — omni„ no perſpicua, ex variis deliberationibus profecta, „ nobis explicatur. Huic igitur repugnare maximae „ foret contumaciae, qua in acerbam Regis invi„ diam atque iram incurreremus.

„ Agedum — inquit Viglius — totam hanc „ iram in me ſuſcipio. Si reipublicae ſaluti „ tanto malo profuerimus, huic pervicacitati nos„ trae postea facile veniam dabit." Tum Guliel„ mus, „ quid quaeſo, inquit, omnes nostri „ tot rogatus, quid innumerae literae, quid tan„ dem legatio nuper ſuſcepta, apud regem va„ luere? Nihil profecto. — Quid igitur exſpecta„ bimus? Num nos ſenatores, promeriti ergo, „ cujus nullam gratiam conſequemur, regis odium „ provocabimus (1)."

Quorſum haec? — quaeret forte quispiam. An Gulielmus reipublicae antea inſignis propugnator jurium, privilegiorum ac cogitandi libertatis acerrimus quondam vindex in Philippi ſuperbi tyranni partes tranſiit? Minime vero. — Ita quidem clamitant ſcriptores Gulielmo infesti atque integerrimo viro hac in re labem adſpergere conantur, non incallide arguentes: eum ſibimet ipſi non conſtitiſſe,

(1) Vid. Hopperus, Op. l. Viglii vita, pag. 45. — Burgundus, Op. l. pag. 52. — Hooft, Op. l. pag. 67. ſqq.

ſe, atque olim patriae cauſam contra regem ſuscepisſe, omnes aerumnas a civium cervicibus ſedulo repulisſe, nunc vero omnia mala odio ſuo condonare, ut postea gloriari posſet, ſe omnia ante praevidisſe, regemque de inſtantibus malis commonefecisſe.

Aliquam quidem horum ratiocinium, fateor, prae ſe fert veritatis speciem; at vero re accuratius examinata et perpenſa, luculenter apparet, eos Gulielmi conſilia ac prudentiam minime perſpexisſe. Itaque operae pretium erit horum ſcriptorum errorem breviter explanasſe teterrimamque, quam Gulielmo inurere conati ſunt, maculam abſterſisſe.

Omnia, quibus Philippi animum flectere posſet, jam expertus erat Gulielmus. Ingentia quae imminebant pericula, ſi Inquiſitionem acrius urgeret, ei jam expoſuerat ſaepius. Egmondus, ipſe coram, regem admonuerat. Frustra. — Conſiliis ac monitis nullo pacto obſequi velle videbatur. Quid igitur? Sagacisſimum ingenium alia excogitavit atque nova plane ac inuſitata agendi ratione uti conſtituit. Regis decretis obtemperavit; nihil amplius reſtitit. Num igitur populum, quem antea ſemper adamaverat miſere perdere voluit, ut rex tanta ejus calamitate tandem moveretur, perverſaque ſua conſilia ex illius aerumnis edoceretur. Non ita ſane. Quod postea factum est, divinando jam praevidit ingenioſus homo: ſcilicet, regis decretis paucos tantum obſecun-

cundaturos, plurimos vero obtrectaturos esse. Quare minime timebat, ne horum decretorum promulgatione patriae exitium pararetur. Sed regem hujus ipsius promulgationis effectibus edoctum recta tandem spectaturum atque ex diuturna sua velut dementia tandem expergefactum iri sperabat. Regis enim consilia ad summum asperitatis fastigium evecta erant; tanta populo mala infligere cogitabat, quanta exantlare nullo modo posset. Itaque hoc temporis quasi puncto utendum erat, quo rex se suis ipsius armis facile compungeret. Si vero regis consiliis resistere perrexisset decretorumque publicationem retardasset Gulielmus, rex interea novas ac meliores ad finem quam sibi proposuerat persequendam rationes excogitasset ac lentiore quidem sed certiore quoque gradu Belgarum perniciem parasset (1).

Quae cum ita sint, non est quod Gulielmi sermones rationesque damnemus; sed potius singularem ejus ac prope divinam sapientiam admiremur. Quae enim tanta excogitari potest prudentia, quae tam praeclaris, tam variis ac primo oculorum obtutu prorsus contrariis rationibus utitur, ut saluberrimam, quam spectat, finem attingat? Ubi tantum ingenii acumen in aliis hominibus conspicitur, quod, quum omnis salus conclamata omniaque subsidia negata esse videntur, nova sem-

per

(1) Dissentit Schiller, Op. l. Lib. II. pag. 249.

per ac vix ſperata conſilia inveniat? Quam cum ejus obtrectatores intelligere aut nolint aut nequeant admirabilem prudentiam, facta ejus inconſiderate calumniis proſequuntur.

§. 17.

Ingentes, quae reipublicae impendebant procellae, de quibus Gulielmus regem ſaepius admonuerat magis magisque appropinquabant.

Quarto Nonas Novembres in comitis Kuilenburgenſis aedes viginti fere Nobiles convenerant. Ibi, cum de religionis lubrico ſtatu ac de Inquiſionis ſaevitia ſermo incideret, omnes de tantis malis omni opera avertendis cogitare coeperunt. Hinc praeclarum illud Nobilium Belgarum foedus initium cepit. Quod magis ac magis auctum et amplificatum maximam in republica vim habuit. Hujus foederis progresſus accurate enarrare res nimis longa et ab argumento nostro, per ſe ſatis amplo, nimis aliena videtur (1). Quare ſatius duco, inda-

(1) De Nobilium Belgarum foedere videat. Jona Willem te Water, *Hiſt. van 't verbond der edelen*, 1776. — Hopperus, Op. l. 69. ſqq. — Dinothus, Op l. pag. 13. ſqq. — Bentivoglio, Op l. pag. 38. ſqq. — Bor, Op. l. Lib. III. fol. 37. — Burgundus, Op. l. pag. 64. ſqq. — Hooft, Op. l. I. pag. 71. — Grotius, Op. l. pag. 19. ſqq. — Van Me-

dagare, quatenus Gulielmo hujus foederis conſcius fuerit ejusque conſiliis ſtuduerit ac opem tulerit.

Sunt, qui putent, Gulielmum hujus foederis auctorem vel ſaltem clam participem fuiſſe (1). Qua in re tamen vehementer errare mihi videntur. Foedus inter nobiles jam diu ante ictum erat, quam Guliemus ejus conscius factus est. Ubi rem cognovit, eam ſtatim improbavit, ut pote qnae ad rempublicam ſervandam aegre inſerviret (2). Quum vero Nobilium libellus Margaritae offerretur in hacce agendi ratione nihil invenit, quod vituperaret (3). Ex qua Gulielmi approbatione

Meteren, Op. l. I. p. 323. — Van der Haar, Op. l. pag. 300. ſqq. — *Leven* I. pag. 428. — Wagenaar, Op. l. VI. 122. ſqq. — Schiller, Op. l Lib. III. pag. 1. ſqq.

(1) Nic. Burgundus, Op. l. pag. 134. — *Leven* cet. I. 432. — Wagenaar, Op. l. VI 134.

(2) Hoc abunde conſtare mihi videtur ex ipſius Gulielmi verbis in Apol. prima exhibitis. Vid. *Leven*, I. 433. — Confer. Van der Haer, Op. l. pag. 306.

(3) Quid de nobilium libello ſenſerit Gulielmus optimo patet ipſius verbis, quae leguntur in Apol. II. pag. 73. ſq. „ Maer de ghene, daer wy te voren van geſegt hebben, datze bevonden deze vervolghingen ſeer hardt ende onverdraghelick te weſen, ende datze, al ſo lange als deſelve ſoude blijven durende, gheen vaste gerustheyt in den lande en konden bemercken, (ſoo 't ghewoonelick in dien ende in diergelycken ſaken pleeght te gheſchieden) begonnen nieuwe aanſlaghen voor te ſtellen, de welcken wy uyt redene onſes lasts ende officien, die wy waren bedienende, mid-

ne nonnulli ſatis inconſiderate confecerunt, eum foederis participem ac ſaltem fautorem fuisſe. Videlicet, non diſtinguunt inter ea, quae de ipſo foedere et quae de libello ſentiebat. Ipſum quidem foedus antea damnaverat; libellum vero nil continentem, quod cum boni civis officio pugnaret, comprobavit.

Postquam Gulielmus et Hornanus intellexerant, ſe in Senatu operam oleum prorſus perdidisſe, aulam Senatumque reliquerunt ſeque in dynastias ſuas receperunt. Gulielmus igitur Bredam petivit. Meditanti ibi de miſerrimo reipublicae ſtatu, nullum aptius malorum levamen in mentem venit, niſi quod cum aliarum provinciarum praefectis, Au-

„ middel vonden om te ontdecken. Soo veele isſer af, beſorgende, dat deſe dingen mochten gheraken ſeer ghevaerlick „ af te loopen, ende een quaet eynde te nemen; daer beneven achtende, dat deſen wegh den ſachtſten ende in den „ rechten wel gefondeerd was, dat wy niet quaet en hebben „ ghevonden, dat de voorſchreven Requeste ſoude ghepreſenteert werden. Dewelcke wy gheenſins en willen ontkennen; „ en ſooverre van daer is het, dat wy 't ſouden ſoecken te „ bewimpelen, dat wy ter contrarien 't ſelve tot groote voor „ deele voor onſe eere ende reputatie, oock tot ſonderlingen „ dienſten des Konincks ende des landts zyn houdende; want „ hadden s' Konincks wyſe Raden ſo wel beraden gheweest, „ datze ſulcks in den eerſten verwilighet hadden, daer en ſouſoo veel jammers ende ellendigheyt niet uyt zyn ontſproten ende naegevolghet, door de welcke 't geheele landt „ byna verdorven ende vernietigd is geworden."

Aurei velleris equitibus et ſenatoribus nonnullis Hoogſtratiam conveniret conſiliaque caperet ad rempublicam labentem et jamjam cadentem ſustentandam atque fulciendam. Omnes igitur Hoogſtratiam adierunt. Gulielmus tristisſima reipublicae pericula et atrocisſimum, quod impendebat, bellum civile iis depinxit et explanavit. Deinde propoſuit, ut ſe cum eo ad patriam ſervandam conjungerent atque vi ſua ac auctoritate omnia mala averterent. Frustra. Major pars eorum, qui aderant teterrimam rerum faciem inertes adſpicere, quam unicam quae ſupererat ſalutis viam ingredi malebant. „ Itaque (ſunt fere ipſius Gulielmi verba) nos„ ter conventus nihil effecit, quam quod omni ter„ rarum orbi luculento testimonio indicaverimus, „ nos ea, quae quotidie comperimur, mala jam an„ tea praevidentes, omnia tentasſe, quibus immi„ nentes calamitates effugere et avertere posſe„ mus (1).'

Hanc congregationem alii malivolentia, errore alii ducti, ita explicuerunt, ut Gulielmi conſilia reprehenderent ejusque fidem ſuſpectam haberent (2). Equidem ſic existimo, Gulielmum hac in re nihil egisſe, quod vel cum Philippi re-

(1) Vid. Apol. pag. 72. ſq.

(2) Vid. Bentivoglio, Op. l. pag. 37. ſq. — Burgundus, Op. l. p. 67, — *Leven*, I. pag. 435. ſqq. — Wag. VI. pag. 132. ſqq. Conf. Van der Haer, Op. l. pag. 306. ſqq.

regis dignitate, vel cum ſua ipſius auctoritate, vel cum patriae ſalute non conveniret.

§. 8.

Interim Margarita per Megenum Nobilium foederis et libelli, quem moliebantur, nuntium accepit. Post varias deliberationes Aurei Velleris Equites Bruxellam vocare decrevit. Plures ad Gulielmum literas dedit, quibus ab eo petivit, ut Bruxellam rediret. Hisce precibus amplius reſiſtere nolebat atque cum aliis Aurei velleris equitibus ſexto Kal. Apriles a. 1566 Bruxellam profectus est.

Postquam omnes in unum erant congregati, Margarita eos admonuit, ut ſententiam ſuam candide explicarent. Tum ita fere orſus est Gulielmus:

„ Utinam in principio credidisſes nobis. Suaſe-
„ ramus ſi morbi ſaevitiam ponere velles, utere-
„ re potius aliis artibus, iisque mitioribus, quam
„ metu mortis contaminatos in desperationem ad-
„ duceres. Omnes, ut vides, ejusdem animi ſu-
„ mus; religionem Catholicam ſalvam volumus, et
„ ſi integritas ejus ſine ope Inquiſitionis retineri
„ non posſit; agedum digna haec est, cui fortunas
„ impendamus et ſpiritum. Sed, ut modo audisti,
„ longe nobis diverſa ſententia est, tolli ergo de-
„ bet tot malorum ſeges atque materia, ut nos
„ periculo liberet. Inquiſitionem tamen recte di-
„ ſtin-

„ ſtinxit, quisquis paulo ante duo ejus genera „ conſtituit, Papalem et Episcopalem. Priorem il„ lam, quia posſumus, habere deſinamus, alteram „ enim omnino non posſumus; niſi ut Episco„ pos exterminemus ſedibus, quorum esſe munus „ nemo ignorat, in cujusque mores et genium „ vitiaque inquirere. Et hoc ipſum, quidquid „ est, Inquiſitio est. Neque tamen illa est, quam „ nefaria voce perſtringit populus. Papalis illa, „ ſeu Romana ſive Hispanica, ſeu quovis alio no„ mine dicta, illa tamen ſola in fastidium venit, „ questusque et odia hominum prope in tumul„ tum concitat. Quid igitur ea opus est nobis, „ quam multis gentibus deësſe video? Pristinus „ rerum ſtatus plerisque Galliae, et Germaniae „ populis nihil ad conſtantiam obfuit. Satis erit, „ mea ſententia, ſi pastores curam intendant, ſi „ episcopi officium impleant ſuum. Nam et ſalva „ regis pace, Papalem adimi posſe ſat conjicio. „ Ille enim cum ad te ſcriberet, nihil ſe ex vete„ re more mutare velle adjecit. Ante Lutheri „ ortum Inquiſitionem Papalem nemo noverat. Im„ peratoria Majestas primus induxit; at cum otiare„ tur eccleſia, cum torperent episcopi, cum ſorde„ rent ſacerdotum mores; breviter cum tempora exi„ gerent. Nescio tamen, utiliusne Caeſar, an pericu„ loſius fecerit, quod leges publicas, hoc est, fun„ damenta reipublicae concusſerit. Interim alia est „ hodie imperii facies, alius dignitatum adſpectus,

„ alius

„ alius rerum ordo. Provincias adfpicite, tot episco-
„ pis, quot opulentis fere civitatibus instructas. Ec-
„ quid mirum, fi ad feculi nostri genium remedia
„ exigimus. Medici non nifi aegre ad tristiora re-
„ currunt; omnia prius experiuntur, antequam ad
„ ustionem veniant. Nondum deplorata res est, et
„ comfumpta remedia. Periculofe ftatus bene con-
„ ftituti leges vertuntur. Imitandi funt periti me-
„ dici, qui acerbiora medicamenta, fuavi tempe-
„ rant mixturâ et ftomacho naufeantis accommo-
„ dant. Lenitate non rigore opus est nobis. Vide-
„ mus fastidium populi: mitigandum hoc est, ne
„ (quod abominor) in feditionem exeat. Quod
„ ad me igitur attinet, magnopere cenferem, hoc
„ esfe tempus, quo Inquifitionis exercitium differ-
„ re oporteat; quod fine cujusquam fraude facere
„ licet. Inquifitores ab hodierno Pontifice diploma
„ non habent, fine quo hactenus illorum nemo
„ jurisdictionem incepit, et ipfi quoque fato Pon-
„ tificis, mandatum fuum exftingui existimant. Haec
„ de Inquifitione, mea, nec (ut vides) fola fen-
„ tentia est. De edictis vero quid judicem, jam
„ ante multa audisti, et plura nunc in contem-
„ plationem veniunt. Nihilominus Viglius per-
„ veniendum putat ad gladios," aliter fectarios,
ait, tolli non posfe." „ Et, ut verum fatear, ea
„ fententia olim plurium fuit, fed ego illam con-
„ ditioni temporum, non prudentiae imputo. Ufu
„ rerum compertum est, exquifitiorem quamque
„ cru-

„ crudelitatem, magis esse sectarum illecebram.
„ Nam qui novae religioni accedunt, ita plerum-
„ que affecti sunt, ut a Deo traductam putent fidem
„ suam, atque unam praesenti morti pervicaciam
„ anteponant. Proximis annis multi professiones,
„ illas amplexi sunt, haud alio vitio, quam quod
„ in perituris constantiam mortis attoniti admira-
„ rentur. Recte eos credere debere ducebant,
„ qui ob hoc ipsum quod crederent, corpora sua
„ (quae utique non oderant) suppliciis offerrent
„ in pignus, et infanda tormenta laeti exciperent.
„ Hoc in Gallia, hoc in Anglia, hoc apud nos
„ denique, crudelitas profecit, ut plures de novo
„ reos faceret. Primi quoque Christiani jactare
„ solebant sanguinem martyrum, semen esse Eccle-
„ siae. Proinde Julianus imperator, ut eos sibi
„ invisos funditus erueret, mitius habuit, et sane
„ plures ille pace et otio a fide abstraxit, quam
„ priores illi ferro, et sanguine. Non est gladio
„ jus in animum. Judaeorum pervicaciam, nullus
„ unquam Regum excussit. Animi viribus debel-
„ landus est animus. Quam atrociter haeresis Grae-
„ corum concussit imperium? fere tamen Caesa-
„ res exilio contenti fuere. Nec Constantinus
„ ab Ario, Constantius ab Aetio, Theo-
„ dosius a Nestorio graviora exegit supplicia,
„ et hic tamen tristissimas poenas legibus sanxerat, ut
„ terreret noxios quorum interim nemo gladio pe-
„ riit. Ubi jam sunt Ariani, quos non unum re-
„ gnum

„ gnum, non unum imperium, fere dicam, non „ unus capiebat orbis? ſecura ſegnities, et non „ irritata vetustas omnia exſtinxit. Omnis hae- „ reſis hoc in ſe habet, ut exoriens tollat ſuper- „ cilium; ſimul vero atque exuta novitas est, ſibi „ relicta, et nullo cogente, ſponte evanescit. Con- „ tenti ſimus poenis, quibus tanti Imperatores „ fregere flagitia: nunquam tutius, quam per „ exempla progredimur. Nova et inexperta cum „ periculo ſuscipiuntur. Carolus Caeſar anno „ MDL. ſollicitantibus Provinciis, de rigore legum „ quaedam detraxit; ſicut Rex Philippus proxi- „ me meditabatur: benignitatem ejus Episcopi de- „ flexere. An rectis conſiliis, ipſi viderint. Ego in- „ terim leges pro moribus temporum flectendas „ judico. Vincemus ſcelera, ſi non vicerint. Nam „ ut omnino esſe deſinant, vix equidem fieri pos- „ ſe existimo. Naſcituras ſemper haereſes Apos- „ tolus praedixit. Demus vero, leges illas opti- „ mas esſe; quid jam tamen proficient? In plu- „ res contagio ſerpſit, quam citari posſint ſingu- „ lorum nomina. Quid ſi, dum intentos jugulo „ ſuo viderint enſes, ad inſaniora necesſitate adi- „ gantur? Ex parva ſcintilla magnum ſaepe ortum „ est incendium. Haud aliis initiis Galli in ſedi- „ tiones erupere; cum quibus conjuratos intélligo „ ſociare conſilia. Placandi ergo aliqua ratione ſunt „ nobis, ſi pacem retinere volumus. Quod in

„ praesentiarum dedi, tutum est consilium. Quae
„ vero vobis optima videbuntur, Deus secundet (1)."

Haec Gulielmus. Caeterum in hoc conventu haec fere una eademque omnium erat vox, decreta contra haereticos non omnino quidem rejicienda, sed aliquatenus mitiganda esse.

Paullo post hanc conventionem Nobiles foederati, Henrico Brederodio duce, Bruxellam venerunt libellumque supplicem Margaritae obtulerunt. Quae, ubi non ea, quae exoptaverant respondit, novum libellum confecerunt. Tandem vero co-

(2) Videat. Burgundus, Op. l. pag. 72. sqq. — Conf. omnino Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 74. qui hancce Gulielmi orationem elegantissimo sermone reddidit. Wagenaar, Op. l. VI. pag. 138. Gulielmi orationem a Burgundo conflatam et ab Hooftio Belgicam factam censet eique adeo nullam fidem tribuit. Verum esse videtur, hanc orationem et a Burgundo et ab Hooftio aliquantum ornatam esse; sed propterea non omnino ficta dicenda est. Burgundus eam, ut videtur, ex Viglii schedis petivit et igitur fide dignus est. Nam Viglius ipse huic concilio adfuit. Vid. *Nalezing op het* IV Deel *van* Wag. pag. 50. Mihi quidem Hooftius, Burgundum secutus esse non videtur. Credo potius utrumque ex eadem fonte Gulielmi orationem petivisse, quod ex comparatis utriusque auctoris orationibus facile apparet. Etenim, quod ad argumentum attinet fere conveniunt: quod vero ad verba uterque suas rationes secutus esse videtur. Caeterum, Hooftium ex Burgundi opere historiam suam hausisse non verisimile est, quoniam hujus rei nullibi offendimus vestigia.

conatuum nullos fere fructus adepti, urbem denuo reliquerunt (1).

Neque tamen omni prorſus effectu caruerunt Nobilium molitiones. Brabantiae enim, Flandriae et Namurcae Ordines etiam libellum pro magna parte Nobilium libello haud disſimilem Margaritae tradere cogitarunt. Concilium ſecretum deinceps rationem praeſcripſit, quâ decretorum contra haereticos asperitas aliquatenus temperaretur (2). Qua re effectum est, ut Bergensis (3) et Montignius (4) in Hispaniam mitterentur, ut de laudata moderatione cum Rege colloquerentur (5).

Hi igitur de Inquiſitione abrogandâ, de decretis mitigandis, de Senatu alia ratione inſtituendo deque variis praeterea cauſis coram Rege verba fecerunt. At vero parum profecerunt. Res quotidie procrastinata est. Rex

(1) Vid. Viglii vita, pag. 46. — Hopperus, Op. l. pag. 72. — Hooft, Op. l. Vol. I. 75. — Bor, Op. l. lib. II. pag. 40. ſqq. — Burgundus, Op. l. pag. 76. ſqq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 43. ſq. — Dinothus, Op. l. pag. 55. — Van Meteren, Op. l. Vol. I. p. 325. ſqq. — *Leven*, cet. I. pag. 450 ſqq. — Wag. Op. l. VI. 140. ſqq.

(2) De decretorum moderatione Vid. Bor, Op. l. Lib. I. fol. 45.

(3) Joan van Glimes, *Markgraaf* van Bergen.

(4) Floris van Mommeranci, *Heer* van Montigni.

(5) Vid. Bor, Op. l. I. fol. 44. — Dinothus, Op. Lib. I. pag. 30. — Burgundus, Op. l. pag. 84. — Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 79. — Vad der Haer, Op. l. pag. 317. ſqq. — Wag., Op. l. VI. pag. 155. ſqq.

Rex nulla ratione ad meliora consilia conduci potuit.

§. 19.

Antea verbi divini ministri in privatorum hominum aedibus clam conciocinari solebant. Ubi vero Calvinistarum et Lutheranorum numerus magis magisque creverat et Nobilium libellus Margaritae traditus erat, audaciores facti, divina oracula plerumque in campis palam interpretari coeperunt (1). Hae vero conciones saepius ad maximos motus ansam dederunt, quia congregati homines nonnunquam a magistratibus armorum vi interpellabantur. Quo factum est, ut postea non nisi armati convenirent.

Antverpiae ingens hominum caterva urbem egredi solebat, ut sacrorum oratorum declamationes audiret. Horum numerus adeo auctus erat, ut magistratui metum incuterent neque armorum vi amplius comprimi possent. Hanc ob causam magistratus Margaritam compellavit ut continuis, quibus urbs exagitabatur turbis, quocumque posset modo, finem imponeret urbisque tranquillitati prospiceret. Margaritae rogatu adductus Gulielmus Antverpiam petivit. — Mi-

(1) Vid, Burgundus, Op. I. pag. 85. — Hooft. Op. I. Vol. I. pag. 83.

Mirum est, quam brevi tempore Gulielmi prudentia turbulentos hominum animos sedarit. Postquam in urbem advenerat statim magistratum adiit atque continuo perspexit mutuam magistratum inter et cives regnare diffidentiam. Hanc igitur primum mira sua, qua pollebat, facundia ac comitate sustulit. Deinceps armatam concionem Christianae religionis sanctitati et dignitati minime convenire, civibus persuasit. Denique mille et ducentos milites urbanos ad tranquillitatem urbis et securitatem tuendam cogere jussit. Itaque sua prudentia, sagacitate et auctoritate omnes seditiones, nisi omnino, pro maxima saltem parte, removit (1).

§. 20.

Interim rex iter in Belgium moliebatur, quippe quod ab Hispanis unicum malorum levamen haberetur. Quandoquidem vero hyems instabat, iter suum in vernum tempus distulit. Ut tamen Belgarum animos interea pacaret, Margaritae literas misit, quibus haec constituit. Primo loco Pontificis maximi Inquisitionem intermittere permisit, Episcoporum vero Inquisitionem servari voluit. Deinceps decretorum mode ra-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. III. fol. 53. sq. — Hooft, Op. l. l. pag. 85. sqq. — Van Meteren, Op. l. l. pag. 372.

ratorum specimen quoddam, nec regiae majestati, neque etiam Romano-catholicae religioni repugnans conficere concesſit, ut ipse postea de eo sententiam suam edere posſet. Tandem, foederatis aliisque, prouti sibi ratum videretur, veniam dare Margaritae commiſit: exceptis tamen iis, qui publice crimine quodam accusati esſent. Omnia denique, foedera, conventus, conciones sacras armorum vi coercenda esse, decrevit (1).

His literis alias Hornano et Egmondo misſas addidit. Ad Gulielmum vero sua ipſius manu conſcriptam epistolam dedit, quibus humaniter testificabatur, se omnem suam spem in eo ponere, eique maximam fidem habere. Summe laudabatur propter ea, quae Antverpiae gesſerat, simulque admonebatur, ut fratrem Ludovicum nimia audacia proreptum, ad meliora conſilia reduceret (2).

Facile quisque animadvertit, quam astute implacabile suum, erga hosce triumviros, odium disſimulaverit. Itaque minime est, quod hac in re lenitatem ejus et clementiam laudemus. Etenim ea, quae postea facta sunt, satis superque manifestarunt, quo tandem erga hos viros esſet animo, eumque blandis verbis, eum tantum in finem usum fuisse, quo

(1) Vid. Burgundus, Op. l. pag. 113. sqq.
(2) Vid. Wag.. Op. l. VI. pag. 171.

quo facilius eos formidolosis suis veluti laqueis irretitos teneret.

§ 21.

Relicta Antverpia, Gulielmus, Margaritae jussu, Nobilium ad S. Trudonis aedem congregatorum animos ad mitiores rationes reducere conatus est (1). Dum haec agebat, veteres flammae, quas prudentia sua restinxerat, novo furore Antverpiae exarserunt. Itaque denuo in hanc urbem itinere tetendit.

Calvinistas in campos convenire magnopere taedebat. Quare in ipsa urbe conciones sacras habere volebant. Quod cum tranquillitatem maxime offenderet, Gulielmus et verbis et armorum vi iis fortiter restitit (2).

Vixdum Antverpiensium animos aliquatenus condocefecerat Gulielmus, cum vulgus ubique, nescio qua mentis pravitate proreptum, in horrendum sacrilegium (decimo nono Kal. Septembres) erumperet (3). Scelestam istam iconomachiam innuo, quae

(1) Vid. Dinothus, Op. l. pag. 35. sqq. — Burgundus, Op. l. pag. 98. — Van der Haer, Op. l. pag. 432. — Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 97. — Van Meteren, Op. l. Vol I. pag. 343.

(2) Vid. Bor, Op. l. Lib. I. fol. 60. — *Leven*, I. pag. 490.

(3) Vid. Hopperus, Op. l. p. 96. — Dinothus, Op. l. pag.

quae etsi ab infimae clasfis hominibus perpetrata, omnem simul populum inexorabili Hispanorum odio afflixit atque tristisfima aerumnarum voragine submersit.

Omnes humanioris indolis homines, tam qui Romanae ecclesiae addicti erant, quam horum adversarii, ab ejusmodi facinore quam maxime abhorrebant. Neque tamen Proceres multi, Nobiles, immo et noster Gulielmus Hispanorum malitiosam calumniam effugere potuerunt, quasi vero vulgus ad nefanda ista flagitia admonitionibus praemiisque invitasfent. Verum si totius iconomachiae originem et progresfus accuratius indagamus, cuique perspicuum erit, eam, nescio quo fato, inopinato incepisse, furibundis non deliberatis animis, mira celeritate peractam esse. Qui haec omnia attenta mente expendit, nullus dubitat, quin falso Belgarum Proceres aliique accusati sint (1).

Quum

l. pag. 47. sqq. Bentivoglio, pag. 49. — Burgundus, pag. 117. sqq. — Van der Haer, Op. l. pag. 342. — Hooft Op. l. Vol. I. pag 99. — Bor, Op. l. L. I. fol. 62. — Van Meteren, Op. l. pag. 351. sqq.

(1) Vid. van Meteren, Op. l. I. pag. 355. — *Leven*, I. 495. sqq. — Wag. Op. l. VI. pag. 179. sqq. — Gulielmus quae sibi adspergebatur, labem ipse abluere conatus est. Vid. Apol. pag. 78. ubi haec leguntur. „ Dat se seggen van 't breken der „ beelden, autaren, kercken ende andere ongheregheltheden, „ wij houden, dat niemandt en is onder u lieden, mijne „ Heeren, die niet ghenoegh bekent en zij, dat wij aan sulc-
„ ke

Quum tantae longe lateque bacchantis ac ſaevientis inſaniae fama ad Margaritam perlata esſet, ingenti extemplo pavore perculſa est atque ex urbe recedere voluit. Quod conſilium tamen, ſuadente in primis Viglio, postea abjecit (1). Ut vero praeſenti malo ſuccurreretur, Gulielmus aliique effecerunt ut gubernatrix cum Nobilibus pacisceretur. (Decimo Kal. Septembres) Inter alia conſtitutum est, ut Inquiſitio abrogaretur; res olim a Nobilibus gestae oblivione obruerentur, ſi in posterum officio ſuo naviter fungerentur; ut conciones ſacrae in locis ubi hactenus non habebantur, prohiberentur, ut Nobiles omnibus, qui religionis cauſa indignati erant, perſuadere conarentur, ut iis decretis quae Rex, conſentientibus Ordinibus Generalibus, promulgaret parerent (2). His ita conſtitutis, tertium Antverpiam profectus est Gulielmus, ut in nonnullos iconoclastas animadverteret omnibusque de religione motibus ſubveniret.

„ ke wijze ende maniere van doen noyt gheen behaghen en „ hebben gehadt; oock dat veele van den ghenen, die ons „ behoorden te helpen ende voorteſtaan, ons over d'ander „ zijde 't onrechten ghelastert ende gheſcholden hebben, om „ dat wij noyt en hebben willen daer toe verwilligen, dat „ ſulcke dinghen ſonder voorgaende Ordonnantie van de Ma„ giſtraten en Overheeren ſouden geſchieden."

(1) Vid. Viglii, vita, pag. 47.

(2) Vid. Bor, Op. I. Lib. I. fol. 67. — Grotius, Op. I. Lib. I. pag. 23.

ret. Singulari ſapientia infinitoque labore omnia Antverpiae in ordinem redegit atque cum Calvinistis et Lutheranis pactum iniit, quo urbis tranquillitas valde muniretur (1). Neque tamen ingentis laboris remuneratio aliqua Gulielmo contigit, quoniam Margarita facta ejus etiam improbavit.

§. 22.

Mira quadam Gulielmus gaudebat ſagacitate, qua omnia, quae inimici animo agitabant, eliciebat, omnesque eorum actiones, ſermones, literas facile perſpiciebat ac exquirebat. Singulari hac facultate, qua omnia arcana expiſcabatur, binas Francisci d'Alavae regis in Gallia legati literas Margaritae miſſas exceperat. Inter alia multa, quae homini imprudenti exciderant et ex quibus omnia regis conſilia luce clarius apparebant, ſcripſit; noviſſe regem, Gulielmum, Egmondum et Hornanum, omnium turbarum eſſe auctores. Tempus jam appropinquare, addidit, quo rex graviſſimam iis contumaciae poenam inferret, illimitatumque Belgarum imperium ſibi compararet. Re-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. I. fol. 69. ſq. — *Leven*, I. 518. ſqq. — Hooft, Op. l. Vol. pag. 111. — Burgundus, Op. l. pag. 140. — Wag. Op. l. VI. pag. 198. ſq.

Regem vero interea summum erga eos favorem et benivolentiam simulare, ut ejus consiliis melius inservirent. Eandem ob causam Montignium et Bergensem, magna comitate et festivitate receptos esse, omni honore et gratia frui variisque rationibus in Hispania detineri (1).

His literis acceptis, omnia imminentia mala Gulielmo plane erant perspecta. — Itaque cum Ludovico fratre, Egmondo et Hoogstrateno Tenerimundam convenit atque consilia cum iis cepit (2). Quae ibi acta sunt, haec fere fuisse videntur. Primum, vel Generalium Ordinum conventum, vel regis in Belgium profectionem, quantum possent, efficere decreverunt. Deinde, quamvis rex iis omnino diffideret, officio suo patriam erga et regem accurate se perfuncturos esse constituerunt. Porro Hornanum, qui propter ea, quae Tornaci nuper gesserat, nullam gratiam iniens, muneribus suis abire urbemque relinquere in animum induxerat, ad meliora consilia reducere conati sunt. Denique Gulielmus, quem Hollandia, Zelandia et Trajectum diu efflagitaverant, a Margarita

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. I. fol. 77. sq. — Burgundus, Op. l. pag. 162. — Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 114.

(2) Vid. Hòpperus, Op. l. pag. 112. — Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 114. — Van Meteren, Op. l. Vol. I. pag. 387. sqq. — Wag. Op. l. VI. pag. 196. sqq.

ta petere ſtatuit, ut Hornanum vel Hoogſtratenum interea Antverpiae praeponeret.

Margarita plurium provinciarum precibus indulgens Gulielmo tandem abire permiſit. (1) In Hollandiam profectus, hujus Provinciae et Friſiae occidentalis Ordines Schoonhoviam arcesſivit, eosque adhortatus est, ut contentis viribus omnes tumultuum flammas comprimerent patriaeque ſaluti et quieti diligenter prospicerent.

Deinde exercitu ducentorum et ſexaginta equitum ſtipatus Trajectum ad Rhenum petivit. Hic perturbatos civium animos pacare, Calvinistas cum Romano-catholicis conciliare ſummopere conatus est. Iisdem, quibus Antverpiae rationibus uſus, cum Calvinistis paciſci ſtuduit iisque extra urbem locum quendam ad conciones ſacras habendas concesſit. Neque tamen, uti ſperaverat, quietem inſtaurare potuit. Adverſabatur enim ei cum magistratus et Ordinum, tum civium praepostera contumacia.

Interim Amſtelaedamum miſerrimis motibus exagitabatur atque Gulielmi prudentia et auctoritate quam maxime indigebat. Calvinistae Romano-catholicorum templum quoddam ſacrum, quod Fratrum (Belgice *de Kerke der Minnebroeders*) dicebatur invaſerant. Gulielmus a Calvinistis impetravit, ut ex hoc templo recederent et in locum aliquem de-

(1) Vid. Hopperus, Op. l. pag. 111. ſq.

designatum convenirent. Praeterea alia, quibus turbae omnes sedarentur constituit.

Eadem ratione Lugduno aliisque urbibus magnopere profuit (1).

Ordines Hollandiae, omnia, quae Gulielmus effecerat, bona recordantes quinquaginta et quinque millia florenorum donum ei obtulerunt. Verum excelsi animi vir, qui in omnibus quae gerebat, patriae amore ducebatur, nullam utique quam civium gratum animum remunerationem exspectabat. Itaque hisce, tanto homine dignissimis, verbis Ordinum munus accipere recusavit. „Vestra erga me benevolentia per mihi grata accidit. „Donum vero recuso. Pecunia illa, tam lubrico „patriae statu, ad meliorem finem adhibenda est."

Paullo post libellum in lucem edidit Gulielmus, quo miserrimum rerum statum praeclare exposuit simulque ostendit, rempublicam salvam evadere non posse, nisi concessa cogitandi libertate. Haecce scriptio acerrimum ingenium, divinam quandam sapientiam summamque prudentiae civilis peritiam luculenter ostendit (2).

§. 23.

(1) Vid. *Leven* cet. I. pag. 529. sqq.

(2) Quae Gulielmus hac scriptione dixit, utut praeclara ac lectu dignissima, hoc loco tradere argumenti amplitudo minime patitur. Lector igitur horum legendorum cupidus adeat. Hooft, Op. I. Vol. I. pag. 166. sqq. — Bor, Op. I. Vol. I. fol. 92. sqq.

§. 23.

Cum foederati quotidie numero et potentia crescerent et ubique tumultus suborirentur, Margarita in eos arma convertere decrevit. Itaque exercitum congessit, cui Arembergum, Megenum, Gulielmum aliosque praeposuit. Foederati quoque copias contraxere et Margaritam debellare cogitarunt. Ita utrimque bellum comparatum est et variis in locis varia fortuna pugnatum est.

Janus a Marnix Tholousii dominus sexcentorum fere militum manu Wallacriam sibi subjicere moliebatur. In itinere vero nuntius ei affertur, insulam a regiis copiis occupatam esse. Itaque conversis navibus Antverpiam petivit et haud procul ab urbe in pago Austervellia, majorem exercitum comparaturus, castra posuit. Contra hunc Philippum Lanojum Beauvoisii dominum misit Margarita. Qui tertio Idus Martias a. 1567 cum Tholousio congressus totum ejus exercitum profligavit. Tholousius se in domum quandam recepit ac cum paucis contra hostium impetus se fortiter defendit. Quum eos nec depellere neque ad pugnam elicere posset Beauvoisius castellum incendio delere decrevit. Inflammato aedificio, pars eorum, qui inerant constrictis gladiis se medios in hostes injecit sibi-

bique per eos viam parare conata est, pars avidis flammis arrepta atque combusta est, pars denique ab hostibus capta et cruenta nece interfecta est.

Ita dum certabatur, Calvinistae Antverpiae de moenibus ea omnia adſpicientes, Tholousio opem ferre voluerunt. Armis correptis, portam, quae Auſtervelliam verſus ducebat, egredi conabantur. Hanc tamen obſesſerat Gulielmi praeſidium, nec quemquam exire pasſum est. Calvinistae quindecim millia numero in Merio ponte, quatuor millia numero in Coperbruggio congregati ſunt. Magistratus timore perculſus Gulielmum adiit. Hic cum Stralio conſule iis, qui ad Merium pontem convenerant obviam venit ac vociferatus est: „ Quid viri Antverpienſes haec ſibi vult repenti„ na conſternatio? Quo ruitis armati? Quid vo„ bis vultis? Quibus ista ſecesſione excidium ma„ chinamini? Si quis injurius est vobis, accedam ad „ partes, ſed ante omnia intelligam, in quos erup„ turus ſit ille impetus, utrum in hostes an, „ quod detestor, in cives."

Nemo eorum ad haec respondere audebat. Multifariam tantum omnes clamabant. „ Si nulla „ alia res — perrexit Gulielmus — concordiam „ vestram offendit, armorum contentione non „ est opus. Continete manus a civili ſanguine, „ nec in viscera vestra armamini. Parum inter„ est, utrum vos, an illi forum inſideant. Mi-

„ li-

„ lites, quos videtis, vestri ſunt, vestro ae-
„ re merent: ducum vestrorum imperia acci-
„ piunt: pro vobis ſtant pro vobis excubant:
„ communem civitatis tutelam gerunt. Neque eos
„ utique in cives; ſed in ſeditioſos pacisque inſi-
„ diatores conſcripſimus, in hac potisſimum regio-
„ ne urbis custodiam agere jusſos. Ita fert rigor
„ militaris disciplinae, ut intra fines ſibi asſignatos
„ armatum neminem extra commilitones recipiant.
„ Si tamen ita vultis, per me licet, ut pari ju-
„ re in foro excubetis cum militibus; modo vos
„ quietos, praeſtetis."

Dum haec disſerebat Gulielmus, ea, quae in Coperbruggio erat collecta, ſeditioſa turba, inſano clamore portarum claves ſibi postulans, ad Merium pontem venit. Gulielmus eorum animos blandis verbis demulcere frustra conatus est. Eo proces-ſerant audaciae et veluti rabiei, ut tonſor quidam ſclopetum ſuum Gulielmi pectori impo-ſuerit exclamans:

„ O ſceleste patriae tuae exſtinctor et proditor,
„ qui omnium malorum turpisſimaeque fratrum
„ nostrorum necis unica cauſa es (1)." Quum Gu-

(1) Ita Bor, Op. l. Lib. III. fol. 111. — Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 132. ſqq. — Van Meteren, Op. l. Vol. I. pag. 400. — *Leven*, I. pag. 573. — Minus recte, ut videtur, Burgundus, Op. l. pag. 182 et van der Haar, Op. l. pag. 462. haec cum Hoogstrateno acta esſe narrant.

Gulielmus importunam hancce hominum catervam omni ratione vacuam videret, necesſitate coactus, quingentos urbem egredi permiſit; reliquam partem his verbis continuit:

„ Ego me in tempore ſubducam manifesto dis-
„ crimini, ut internecionis vestrae nuncium domi
„ exſpectem. Sapiet is quidem, qui exemplo meo
„ idem faciet, damnatâ illorum temeritate, quos
„ incondite portis egresſos, praeſentisſimum exi-
„ tium arcesſere video." Ubi reliquos non ſequi viderent ii, qui egresſi erant, in urbem redierunt omnesque in Merio ponte conſederunt. Nox interea incidit. Postridie omnes cives ad arma currere properant. Catholici cum Italis, Anglis, Hispanis, Luſitanisque, Calvinistis ſeſe oppoſuerunt. Diram ſtragem jamjam editura videbatur insana turba. Miſerandus feminarum, virginum, puerorumque audiebatur ejulatus totamque urbem contremefecit. Nulla ſalutis ſupererat ſpes: utrimque omnes civium ſuorum ſanguini inhiabant.

Verum enim Gulielmi prudentia atque efficacisſima oratio omnia mala a civium cervicibus averterunt. Admonuit omnes, ne civium ſuorum ſanguine turpiter ſe polluerent, iisque expoſuit, quo tandem calamitatis pervenirent, niſi a truculentis ſuis conſiliis deſisterent armaque deponerent. Haec ejus oratio tantum apud omnes invaluit, ut pacem componere cuperent (1). Tantus in Gulielmo ſplen-

(1) Dinothus, Op. l. pag. 63. ſq. — Burgundus, Op. l. pag.

ſplendebat patriae amor, ut pro ea vitae ſuae periculum facere haud dubitaret. Tanta in ejus oratione eminebat perſuadendi vis, tantaque auctoritate, comitate et dignitate ornatus erat, ut turbulentam ac veluti furibundam hominum turbam, dira quaeque et horrenda minitantem, placare et comprimere poſſet.

§. 24.

Omnia, quae in Belgio gerebantur, Philippi animum non poterant non acerbo dolore affligere. Vehementi quotidie ira acerrimisque veluti aculeis pectus ejus quotidie pungebatur. Odium in Belgas magis ac magis vehemens incrementa cepit et effecit, ut diram vindictam per noctes atque dies cogitaret. Post varias deliberationes Albanum Ducem cum magno exercitu in Belgium mittere omnesque armorum vi ad mutum obſequium cogere conſtituit.

Interea omnia in Belgio ad pacem propendere videbantur. Foederatorum numerus quotidie imminuebatur; Margarita omnes armis continebat; iconoclastas, partim morte affecerat, partim in carcerem conjecerat. Ubi igitur regii conſilii certior fac-

l. pag. 184. — Bentivoglio, Op. l. pag, 65. ſq. — Viglii vita, pag. 50. — Hooft, Op. l. Vol. I. 132. ſq. — Van der Haer, Op. l. pag. 468. ſqq. — Van Meteren, Op. l. pag. 597. ſqq.. — *Leyeu*, I. 567. ſqq.

facta est, omnia denuo in pejus mutatum iri atque rempublicam novis, magis etiam metuendis, malis exagitari praevidebat. Itaque regi fcripfit: omnes tumultus fedatos esfe; maleficos, alios poenas jam dedisfe, alios carcere inclufos esfe; omnia pacata et ad obedientiam parata esfe. Quae cum ita esfent, regem fumtus inutiles facturum esfe, fi exercitum in Belgium mitteret, qui nil efficere posfet, nifi quod motus turbasque renovaret. Haec et talia Margarita (1).

Verum, non is erat Philippus, qui a confiliis, quae femel fibi propofuerat, facile recederet. Summa imbutus erat contumacia et fuperftitione, quod ex omnibus rebus quae antea factae erant, jam fatis patere potuit. Itaque in propofito perfistere atque exercitum comparare decrevit. Quum Gulielmus haec omnia audisfet, muneribus fuis abire atque ex patria decedere ratum esfe putavit. Quid enim amplius exfpectaret? Potentia rege longe erat minor; omni auxilio erat destitutus et non nifi cum magno vitae fuae discrimine remanere poterat. Albanum repellere atque limites contra eum defendere vehementer quidem cupiebat (2); verum ab omnibus fuis erat relictus ac nullo modo fie-

(1) Vid Bor, Op. l. Lib. I. pag. 127.

(2) Hoc luculenter patet ex iis, quae ipfe Gulielmus fcripfit Apol. pag. 691.

„ Waer 't zake, dat onze medebroeders van der ordre en-

fieri poterat, ut tantam militum vim ipse compararet. Quod poterat, effecerat; reliqua fummi numinis curae commendanda erant.

Itaque nec Margarita, neque etiam Egmondus confiliis et precibus impedire potuerunt, quo minus muneribus fuis fe abdicaret et in Germaniam proficisceretur (1).

Albanus, exercitu comparato, post varios cafus et difficultates in Belgium pervenit (2) multosque tanto terrore percusfit, ut Gulielmi exemplum fecuti, fe apud extraneos populos reciperent.

Vix-

„ ende onze medegenoten van den Rade van State in haren „ raedflagenliever hadden willen met ons ftemmen, dan haer ey- „ gen leven foo goede koop wechgeven; foo hadden wy oock „ mede lyf ende goet by gezet om den Hertoge van Alve ne- „ de de Spangniaerds buiten s'lands te houden."

(1) Vid. Bentivoglio, Op. l. pag. 77. — Bor, Op. l. Lib. I. fol. 117. — Hooft, Op. l. pag, 141. fq. — Van der Haer, Op l. pag. 479. — *Leven*, I. pag. 584. fqq. — Profectionis fuae rationes expofuit Gulielmus in Apologia quam edidit. a. 1567. — Vid. Bor, Authent. ftukken. — Conf. Apol. quam in lucem mifit, a. 1584. pag. 79.

(2) Vid. Dinothus, Op. l. pag. 71. fqq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 81. fq. — Burgundus, Op. l. pag. 201. fqq. — Bor, Op. l. IV. fol. 127. fqq. — Hooft, Op. l. pag. 149. — Van Meteren, Op. l. pag. 421. fqq. — *Leven*, I. pag. 609. — Schiller, Op. l. Lib. IV. pag. 24. fqq.

Vixdum Albanus regis praecepta cum Margarita communicaverat, quum illa praeclare intellexit, omnia arbitrio ejus relicta ſibique omnem potestatem ademtam esſe. Quare a rege petivit, ut imperium deponere ſibi liceret (1).

(1) Schiller, Op. I. pag. 227. ſqq.

CA-

CAPUT II.

DE PRUDENTIA GULIELMI I. PRINCIPIS ARAUSIACI, IN REBUPLICA PERTURBATA, FERDINANDO A TOLEDO, DUCE ALBANO, REGIS LOCO IMPERIUM TENENTE. A. MDLXVII—MDLXXIII.

§. 1.

Albanus, Belgium vix ingressus, jam tot tantaque injuriae et crudelitatis specimina dedit, ut non ambiguum videretur, qualis tandem Belgii, hoc rectore, foret fortuna.

Primum, Egmondum et Hornanum magna comitate et urbanitate excipiens, variis machinis in aulam suam allicuit eosque, dum aliquando ad convivia in vitati in ejus domo degerent, inaudita perfidia ac fallacia comprehendit et in carcerem contru-

trudit. Quam miseram fortunam optimi et integerrimi viri ibi sint experti quemque vitae habuerint exitum, hoc loco enarrare, supervacaneum duco (1).

Tristia eorum fata penitus novit et deplorat omnis posteritas, nefandumque Albani facinus in perpetuum exsecrat. Ita, quae divinarat et decedens amicis praedixerat Gulielmus, nimium vera fuisse eventus docuit. Ipse vero, dolentibus Hispanis, periculum salvus effugerat. Ubi Egmondi et Hornani caedem absens audiverat Perenotus: nihil Albanum fecisse, dixit, donec taciturnum illum hominem compressisset (2). Tantum in Perenoti pectore tunc etiam vigebat erga Gulielmum odium tantaque ejus praestantiae recordatio.

Omnia, quae inde ab adventu suo in Belgium crudelia, injusta et nefanda Albanus gessit, non moramur. Nonnulla, quae maxime notanda videntur, et cum hujus scriptionis proposito arcte cohaerent, breviter attigisse, sufficiat.

Duce Albano Belgio praeficiendo, jura, quae sibi cum populo intercedebant, rex violabat; quoniam ei non licebat, extraneos aliquo munere ad rem-

(1) Vid. Bor, Op. l. IV. fol. 131. sqq. — Dinothus, Op. l. pag. 74. — Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 180. sqq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 97. sqq. — *Leven*, cet. II. pag. 11. sqq. Grotius, Op. l. 28. sq

(2) Vid. Van Meteren, Op. l. Vol. I. pag. 437.

rempublicam Belgicam pertinente ornare (1). Quod antea quoque nunquam factum erat. Philippus igitur hac in re, cum quod ad Perenotum aliosque, tum quod ad Albanum attinet, Belgarum jura primus invasit. Deinde copiis Hispanis in Belgium immittendis privilegia, olim civibus suis concessa, imprudenter diremit.

Albanus, regia auctoritate munitus non tantum in ita dictos haereticos diris suppliciis saeviit, sed omnes Belgii cives, paucis exceptis, laesae majestatis reos fecit, immanesque poenas iis inflixit. Neque accusatos, ut causa eorum ageretur, in solita ordinaria judicia vocavit, sed ipse tribunal instituit idque *turbarum concilium* (*Belgice Raad van beroerten*, nuncupavit. Quod concilium, quum sibi religioni non habuerit in innocentium civium vitam et bona grassari, deinceps *concilium sanguinolentum* a nostratibus dictum est. Nec immerito. Eo enim crudelitatis et injuriae processit, ut ministros evangelicos et qui arma contra regem gessissent non tantum, verum etiam, qui

(1) Vid. Privilegium Mariae, Ducis Burgundiae, quod inter alia haec continet.

„ Dat niemant tot eenige staet, ampt, ofte bediening, groo-
„ te ofte klein, hoedanig die ook wesen mogt, zouden wor-
„ den gevordert, dan die gheboren was binnen den lande van
„ Holland, Zeeland en Vriesland "

Confr. Privil. Hollandiae, apud van Meteren, I. pag. 232.

qui vel de Inquisitione, vel de decretis contra haereticos, vel de novis Episcopis, libellos regi obtulissent: qui conciones sacras haberi permisissent, sacrilegia non impedivissent; qui evangelicos concionatores hospitio excepissent, calvinistarum funeribus interfuissent; qui denique Deomagis, quam hominibus obsequendum esse dxissent, omnes poena capitali dignos judicaret (1). Ita Albanus neglectis populi privilegiis, contra jus fasque ipse horrendum judicium creavit, innumeros cives nullo crimine convictos dira caede necavit et nec nobilitatis neque aetatis neque innocentiae rationem habens omnes, quos oderant Hispani, insanae eorum invidiae condonavit.

§. 2.

Gulielmus Hoogstraten aliique Albani potestatem evaserant. Verum atrox iste homo contra hos quoque diram vindictam cogitabat. Melius sine dubio fecisset, si Gulielmum extorrem, tranquille traducere vitam passus esset, sed implacabili, quo pectus flagrabat, odio etiam absentem prosecutus est. Fortissimum et versu-

(1) Vid. Viglius ad Hopperum, Epist. 42. — Bor, Op. l. Lib. IV. fol. 151. sqq. — Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 164. sq. — Van Meteren, Op. l. Vol. I. pag. 440. — Wag. Op. l. 251. sqq.

ſutum hostem omnibus modis laceſſivit, et e latebris elicere ſtuduit ſibique ſimul exitium paravit.

Itaque Gulielmum publice laeſae majestatis, proditionis aliisque criminibus accuſavit, bona ejus et dominia omnia publicavit eumque ad cauſam ſuam defendendam in jus vocavit (1). Deinde omnes omnino juris limites excedens, Philippum comitem Burensem, Gulielmi filium, qui Lovaniae ſtudiis operam navabat, neglectis hujus Academiae privilegiis, comprehendi et in Hispaniam mitti jusſit (2). Gulielmo nunquam dubium fuerat, quam tristia fata eum manerent, ſi in Albani potestatem ſeſe traderet. Verum illo temporo Hornani, Egmondi, Montignii, Bergensis aliorumque Belgarum procerum flebili ſorte in ſententia ſua valde confirmatus est. Itaque Albani imperio reſistens, ſe ad omnium earum rerum, quae gesſisſet, coram legitimis judicibus rationem reddendam, ſemper paratum fore, respondit. Deinde Albani non esſe in ejus res gestes inquirere, ſed hoc jus Aurei velleris ordi-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. V. fol. 456. ſq. — *Leven*, II. pag. 33. — Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 167. — Dinothus, Op. l. pag. 76.

(2) Vid. Apol. pag. 81. ſq. — Joan. Baptista, de Pasſis commentariorum de tumultibus Belgicis, Lib. VIII. apud C. P. Hoynck van Papendrecht, Analecta Belgica, Tom. II. Pars II. pag. 135.

dini tantum competere, exposuit. Denique se vehementer optare, ut causa sua ab Imperatore Electoribus aliisve idoneis judicibus dijudicaretur professus est (1).

Eodem fere tempore apologiam conscripsit, qua rerum gestarum rationes latius exposuit; quam deinceps publici juris fecit.

Quum muneribus suis se abdicaret et e Belgio decederet Gulielmus, nullum negotium se adversus regem suscepturum esse dixit, donec hic personam ejus et bona intacta relinqueret. Philippus vero et Albanus eum jam turpiter adorti erant bonaque ejus imprudenter in aerarium retulerant. Quare promissis amplius stare, non necesse erat (2).

Belgium, quod paterno amore carum habebat, cujus saluti strenue semper prospexerat, pro quo saepius vitae suae periculum fecerat im-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. IV. fol. 161. sqq. — *Leven*, II. pag. 38. sqq. — Apol. pag. 81. sqq. — Hooft, pag. 168.

(2) Vid. Apol. pag. 21. ubi haec Gulielmus: „ Soo moe- „ ten se wel weten, dat se hen doe wel hadden moghen te „ vreden houden met ons gewillich ballinckschap, zonder ons „ voorder te vervolghen, selfs ghemerckt, dat wy hen hadden „ doen weten by zekeren persoon van qualiteyt, die noch „ by leven is, waer 't dat ze bestonden ons aan onse eere of- „ te goederen aan te tasten, datse ons daerdoor souden dwingen „ na ons vermoghen sulck ordre in onse sacke te stellen, als „ de noodt soude vereysschen."

immani tyrannide oppresſum erat, dura quaeque ac crudelia patiebatur neque aerumnarum pondus amplius exantlare valebat. In unum Gulielmum, qui pro jure et libertate ſaepisſime propugnaverat, omnes oculos converterant; ab hoc uno dolorum levamen quoddam, malorum finem ac requiem, auxilium et ſalutem exſpectabant. Unum Gulielmum omnes Belgae ſervatorem efflagitabant: omnes exſules ad bellum contra Albanum gerendum adhortabantur. Quid igitur? an omnem patriae amorem restingueret, omnem miſericordiae, quo imbutus erat, ſenſum expectoraret, placidaque apud Joannem fratrem quiete fruens, patriae ad exitium vergenti opem non ferret? Minime vero. Quamvis non niſi in ſuam perniciem quidquid ſuscipere posſet, quamvis bonis ſuis esſet destitutus, quamvis omne auxilium ei denegatum esſet, omnia nihilo ſecius experiri Belgisque, quocunque demum posſet modo, ſalutem reddere decrevit (1). Quum tan-

(1) In Apol. pag. 80 ſqq. haec leguntur verba:
„ Want wie ſoude ſonder hert-zweer ende treuren konnen
„ verhalen alle dat verbannen, ontweldighen van goederen, vanghen ende ſpannen, alle die geleden pynen ende ſmarten, ſoo
„ menigherhande ſoorte van afgryſelicke en jammerlicke dooden, daar deſe bloetgierige luyden, (welcke in wreetheyt
„ alle de wreetſte tyrannen van der werelt, als Phalaris,
„ Busiris, Nero, Domitianus, ende andere, verre te
„ boven gaan) de arme onderſaten der landen van herwaerts —
„ over ſoo langhe mede gequelt hebben?"

tantum ſummi viri conſilium animo contemplamur modumque, quo id perficere ſtuduit, cogitatione perlustramus, quid admiremur magis, utrum audaciam qua contra potentisſemum hostem, desperatum et formidoloſum bellum gerere non veritus est, an ſummam qua in hac re uſus est prudentiam et circumſpectionem, valde dubitamus.

Etſi bellum, quod moliebatur, paullulum differre tempusque opportunius exſpectare mallet, quo vel Albani vis ac potestas diminuta esſet, vel ipſe viribus magis valeret, undique tamen tantopere precibus adhortationibusque invitabatur, ut amplius reſistere noluerit (1).

Primum apud Imperatorem Maximilianum II. aliosque principes de injuria ſibi illata vehementer conquestus est atque ab iis auxilium contra Hispanorum vim et contumeliam petivit. Magna facundia iis expoſuit, quo tandem temeritatis Hispanorum libido prorupisſet, omne Belgium ferrea manu ſibi ſubjiciens, ipſique Germaniae aliquando periculoſa futura. Imperator igitur literas ad Philippum miſit, quibus eum admonuit, ut a tanta licentia deſisteret et Gulielmum in bonorum posſesſionem restitueret. Verum Philippus respondit, omnia ab Albano ex regia voluntate geri.

Gu-

(1) Vid. Hooft, Op. I. Vol. I. pag. 171.

Quare, si Gulielmus causam suam defendere cupiebat, ad Albanum iret (1).

Gulielmi precibus commoti, nonnulli principes, qui novae doctrinae favebant, militibus vel pecunia eum adjuvarunt. Joannes, ut Gulielmo fratri pecuniam subministraret, omnia sua bona et dominia pignoribus obligavit. Multi quoque exsules multique, qui in ipsa patria tristia fata perpetiebantur nummos ad bellum comparandum collegerunt. Ipse Gulielmus omnia fere, quae ex Belgio recedens, secum duxisset, vendidit (2).

Si ad consilium modumque, quibus Albano bellum inferre constituit respiciamus, non potest, quin ejus prudentiam summe admiremur. Albanum enim variis locis simul impugnare, vires ejus ita dissipare eumque conturbare studuit. Hunc in finem Coquevillium, qui octingentis fere militibus, a Principe Condensi et Colignio in Galliae collectis, praepositus erat, Hannoniam et Artesiam invadere jussit. Deinde Hoogstratenum eodem tempore in Gelriam incursionem facere; Ludovicum fratrem

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. IV. fol. 160. sq. — Hooft, Op. l. I. pag. 171. sqq. — Dinothus, Op. l. pag. 77. sqq. — Van Meteren, Op. l. I. pag. 444. — Bentivoglio, Op. l. 85. sqq. — Grotius. Op. l pag. 31.

(2) Vid. Bor, Op. l. IV. fol. 165. sq. — *Leven*, II. pag. 46. sqq. Hooft, Op. l. I. pag. 175.

trem tractum Groninganum ingredi jusſit. Postquam hi Albani copias in varias regiones distraxerant, ipſe cum ſat valida manu Brabantiam occupare animo agitabat.

Verum fortuna ejus conſiliis parum favit. Coquevillius, antequam bellum inceperat, Albani machinis circumventus, regis Galliae jusſu in ipſa patria tanquam latro decollatus est. Hoogstrateni expeditio, etſi primum felicior, quoque effectu caruit (1). Ludovicus vero, ancipite pugna apud pagum Wittewierum pugnata, postridie ejus pugnae prope Heiligerleam Arembergium Albani ducem magna clade affecit. (undecimo Kalendas Jun. a. 1568.) (2). Qua victoria reportata Ludovici exercitus quotidie tantas accesſiones fecit, ut ad ſeptem millia militum excreverit. Hoc

(1) Vid. Dinothus, Op. l. pag. 79. ſq. — Bor, Op. l. Lib. IV. fol 169. — Bentivoglio, Op. l. pag. 91. ſq. — Hooft, Op. l. pag. 75. ſq. — Van Meteren, Op. l. pag. 454. ſqq. — *Leven*, II. pag. 59.

(2) Vid. Bor, Op. l. Lib. IV. fol. 167. — Hooft, Op. l. pag. 177. — Van Meteren, Op. l. I. pag. 456. ſqq. — De Tasſis, Op. l. pag. 137. ſq. — Viglius ad Hopperum, Epist. LXI. apud P. C. Hoynck van Papendrecht, Analecta Belgica, Tom I. Pars II. — Quot numero fuerint Ludovici copiae inter auctores non constat. Notandus tamen videtur Dinothi, Op. l. pag. 82. inſignis error, qui eas tria millia equitum et decem millia peditum fuisſe ſcripſit.

Hoc exercitu Ludovicus, homo audax, in consiliis ſtrenuus, belli peritus, Albanum magna vi approperantem fortasſe vincere potuisſet. Verum cum ſumma pecuniae inopia premeretur, milites tumultuari coeperunt et non, niſi inviti, cum Albani exercitu conflixerunt. Itaque tristisſima clade apud Jemmigiam affectus, cum exigua copiarum parte ad fratrem in Germania exercitum inſtruentem pervenit (1).

Quare trium harum expeditionum, quibus Albanum perturbari ſperaverat, effectus fere nullos vidit Gulielmus, bellumque formidoloſum ſolus, majore periculo, gerere coactus est. Cujus calamitatis cauſa non in Gulielmi agendi ratione, ſed potius in aliorum ducum festinatione et pecuniae penuria, qua vehementer laborabat quaerenda videtur. Quodſi Hoogstratenus aliique duces ad Gulielmi admonitiones accuraratius attendisſent et pecunia promisſa opportuno tempore Gulielmo tradita fuisſet, ſtatim cum exercitu Brabantiam invadere potuisſet, felicioremque conatuum effectum conſecutus fuisſet.

§. 3.

Quandoquidem Philippus contra jus fasque Guliel-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. IV. fol. 174. — Van Meteren, Op. l. Vol. I. pag. 482. ſqq.

lielmi bona occupaverat, ipsumque principem intoleranda injuria et contumelia lacesſiverat, hic proprie nulla obedientia regisque reverentia tenebatur. Quare, rejecta omni temperantia, omnique obſequio regi denegato, arma contra Philippum vertere jure ſuo potuisſet. Verum ecce miram eximii viri moderationem ſimul et prudentiam. Non enim, uti jam ex diplomate, quod Ludovico fratri tradiderat (1) ſatis patere poterat, adverſus regem bellum gerere, ſed Hispanorum effrenatae vi ſe opponere decreverat. Hi enim foedera, quibus obſtringebantur rumpentes privilegiaque, quibus Belgae gaudebant, negligentes, ſumma crudelitate, minimeque ferenda injuria in cives quotidie ſaeviebant, eos omnibus modis vexabant, immo ſervitute et exitio minitabantur. Quae omnia tantopere a patriae ſalute abhorrebant, ut necesſario vi repellenda esſent. Patriae igitur ſalus ſua civibusque jura reddenda erant. Hoc tantum efficere ſtudebat, nihil inſuper cupiebat. Hanc ob cauſam arma tamdiu gerere conſtituit, donec Hispani, vel ſua ſponte, vel armorum vi coacti, a perverſis ſuis et truculentis conſiliis abſisterent et ad meliora reverterentur. Caeterum regem Belgii comitem et dominum colere eique ubi deceret, obedire paratus erat.

Sed, quaeret forte quispiam, quomodo haecce G u-

(1) Vid. Bor, Op. I. Lib. IV. pag. 165.

Gulielmi obedientia cum bello contra Albanum gerendo consistere poterat? siquidem hic omnia, quae faciebat crudelia ex voluntate regia perageret. Nonne Albano resistens ipsi quoque regi bellum indixit Gulielmus?

Habet sane haec argumentatio aliquid, quo se nobis commendet atque aliquam certe prae se fert veritatis speciem. Verum re accurate examinata Gulielmi rationes omnino probandae sunt.

Quo clarius haec res nobis perspecta sit, age, eam exemplo quodam ex vita privata, petito illustremus. Si igitur famulus, qui sese domino cuidam ad obediendum obligavit, ab alio quopiam ejusdem hominis famulo in jure suo laedatur, sive hoc sua sponte, sive mandante domino fecerit, nonne famulus laesus injuriam sibi illatam repellere suo jure potest? Num propterea omnem obedientiam domino denegasse censendus est? Minime vero. Etenim certas tantum operas praestare tenetur, quas si neglexerit et amplius praestare neget tum demum in obstinationis notam incurrere potest. Nunquam vero sese obstrinxit ad gravem injuriam a domino, vel aliis, vel sibi illatam, aequo animo perferendam.

Eodem plane modo Gulielmus regis jussis, quatenus cum Belgii juribus privilegiisque convenirent, semper obtemperavit adeoque obedientiae officio perfunctus est; Albani vero inauditam crudelitatem ac intolerandam injuriam ferre noluit neque etiam

etiam debuit. Quemadmodum enim famulo, ſceleſta et injusta domini mandata negligere et, ubi ea ab aliis perfici vidit, impedire licet, ita quoque Albano nefanda facinora, regis auctoritate munito, perpetranti, obſiſtere Gulielmo omnino licuit.

Nemo vero putet hanc Gulielmi obedientiae testificationem tantum ſimulatam fuiſſe. Postea enim et verbis et factis ſaepius praeclare ostendit, ſe tantum contra Albani, non vero ad regium imperium evertendum arma ſuscepiſſe. Cujus rei etſi nullum aliud ad nos perveniſſet testimonium, niſi libellus (1) quem Belgae, Gulielmo et Hollandiae Ordinibus in primis auctoribus a. 1573. Philippo regi miſerunt, vel ex hoc ſolo jam ſatis patere poſſet, Gulielmo animum antea non fuiſſe, regium imperium exturbare.

Antequam ſe ad arma convertit Gulielmus, rationes ſuas literis, typis expreſſis, late expoſuit: inter alia multa testificans, ſe ad ſummi numinis honorem, verbi divini ejusque ministrorum reverentiam regiique imperii dignitatem vindicandam arma ſuscepiſſe et

(1) Exhebitur apud Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 342. ſqq. et apud A. Kluit, *Inwijingsrede over 't regt, 't welk de Nederlanders gehad hebben, om hunnen wettigen Vorst en Heer* Philips, *Koning van Spanje aftezweren, Leijden* 1779. *Bijlage A.*

et pro patriae salute omnium bonorum suorum periculum fecisse (1).

Quae quum ita sint, Gulielmi proba consilia, patriae amor, et singularis prudentia hac quoque in re summa laude dignissima sunt habenda.

§. 4.

Tandem Gulielmus post varia impedimenta serius, quam optaverat, cum exercitu in Belgium profectus est (Quarto Kal. majas a. 1568).

Exercitus ejus, etsi multa opera et sumtu comparatus, cum numero, tum apparatu Albani exercitu multo erat inferior. In hujus enim exercitu multi militabant Hispani, bello consueti, in periculis versati. Illius vero exercitus ex diversis hominibus, undique collectis, pugnandi arte ignaris constabat. Hic omnia, quae ad exercitum instruendum et ad vitam sustentandam necessaria sunt, in castra sua congesserat et praeterea opibus abundabat; ille autem regiones investigabat depopulatas, omni victu privatas atque pecunia, ad bellum gerendum ante omnia necessaria, prorsus indigebat. Nihilominus Gulielmus ingenti labore et prudentia sua omnibus his malis ita succurrit, ut parum

(1) Vid. Bor, Op. I. Lib. IV. fol. 181. sqq. — *Leven*, cet. II. pag. 87. sqq.

rum abesſet, quin hostem ſuum vicerit. Omnes profectionis quae obſtabant difficultates, mira industria ac conſtantia ſuperavit, tumultuantium militum animos ſingulari ſapientia pacavit, Moſam flumen aliquot equitum ordinibus in trajectu depoſitis, inuſitata audacia et arte cum exercitu vado tranſiit, aciem ſtruxit atque Albanum variis modis ad proelium invitavit. Quae omnia ejus conamina ſi, vel fortuna adverſa victus et pecuniae inopia, vel Albani (qui Quinto Fabio Maximo *Cunctatori* illi hac in re haud disſimilis, non pugnando hostem debellavit) Albani igitur calliditate et astutia irrita facta ſunt, propterea tamen Gulielmo boni belli ducis laus minime denegAnda est.

Quum hyems jam appropinquaret et Gulielmus pecunia prorſus indigens, nullos amplius ſumtus facere posſet, necesſitate coactus, in Galliam profectus est atque exercitum magna pro parte exauctoravit. Deinde cum parva manu Principi Condensi se adjunxit et Hugenotorum, ut dicebantur, rebus opem tulit (1).

§. 5.

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 138. — Viglius ad Hopperum, Epist. LXIV—LXVII. — Bor, Op. l. Lib. IV. fol. 182. Dinothus, Op. l. pag. 78. ſqq. Bentivoglio, Op. l. pag. 142. Hooft, Op. l. Vol. I. pag. 197. Grotius, Op. l. pag. 32. — Van Meteren, Op. l. pag. 490 — *Leven* cet. II. pag. 97. ſqq. — Wag. Op. l. pag. 285. ſqq.

§. 5.

Postquam Gulielmum, inertia magis, quam virtute recedere coëgerat, laetitia exſultare gaudioque triumphare Albanus. Pars Belgarum patriae amantisſima, acri dolore perculſa Albani victoriam clam deplorabat moeroremque aegre in pectore comprimebat. Pars vero, deterioris ingenii homines, tyranni timore imbuta, adulationi indulgens, Albani nomen ſummo laudis praeconio in coelum ferebat (1) Albanus, potentia ſua nullis limitibus circumſcripta innitens, omnia ſuo arbitrio

(1) Impius profecto et ſtudioſi nomine indignus jure haberer, ſi hoc loco commilitonum meorum ingenuum et plane liberale facinus, nullo laudis praeconio celebrarem. Etenim, etſi ab argumento noſtro alienum ſit, ſua ipſius praeſtantia cum omni poſteritate communicari ſumme meretur.

Cum Albanus triumphans Bruxellam rediret anteceſſorem quendam Lovanienſem inſana inceſſit cupido aliquid ad victoris vanitatem conferendi. Quare hujus cum alias victorias, tum eam praeſertim, quam nuper reportaverat, ſummis laudibus in coelum efferre inſtituit. Verum dicentis vocem, tanta vehementia, rumore tanto excepit auditorum pedum ſupploſio, ut orationi, vixdum incepto finem imponere cogeretur. Non is ego ſum qui ſtrepitus, praeſentibus praeceptoribus, in ſcholis editos facile laudem. Hoc autem mihi perſuaſum habeo, juvenes Lovanienſes hac in re omnium approbatione et applauſu dignisſimos fuiſſe, quippe qui, niſi diſcipulorum civium ſaltem officio egregie perſuncti ſint. Vid. Dinothus, Op. l. pag. 99.

trio gerere et tyrannidem ſibi affectare usque quaque pergebat. Omnes, qui olim reipublicae faverant, vinculis devinciebantur, ad ſanguinolentum tribunal rapiebantur, tormentis, verberibus atque omni ſupplicio excruciati necabantur.

Qui Gulielmi partibus fuerant addicti graviſſimas poenas non effugerunt, bonis ſuis et vita plerumque destituebantur. Ut tamen non ab omni clementia alienum videretur atrociſſimum Hispanorum imperium, omnibus iis, qui in vetustis turbis culpa ſe haud vacasſe confiterentur veniam dedit.

Nova inſuper eaque minime ferenda onera civibus imponere Albanus conſtituit; perinde ac ſi experiri voluerit, quatenus Belgarum patientiam lacesſere posſet. Novum enim a. 1569. cenſum induxit, quo omnium bonorum centeſimam, ſoli praeterea vigeſimam omniumque rerum venditarum decimam exegit. Inauditum ſine dubio facinus, civium commodis infestisſimum. Tria concilia, Ordines, Viglii ſermones, apud hominem pertinacem non tantum invaluerunt, ut ab inſtituto deſisteret. Cenſum inſtantius quotidie urgebat (1). Ad

(1) Vid. Viglii, Commentarius *rerum actarum tempore Ducis* Albani *ſuper nova impoſitione ſeu vectigali decimi denarii rerum venditarum*, apud P. C. de Hoync van Papendrecht, Analecta Belg. Tom. I. Pars I. pag. 287 ſqq. De Tassis, Op. I. pag. 140 ſqq. Viglii, Epist. ad Hoppe

Ad haec mala accedebat etiam bellum cum Anglis gestum (1), et paullo post nova calamitas, quum proruptis aggeribus, magna Hollandiae pars undis obrueretur (2).

§. 6.

Postquam Gulielmus e Gallia in Germaniam redierat, de Belgis fuis femper follicitus, novas animo ac cogitatione complectebatur rationes. Bellum, quod nuper contra Albanum gesferat fecum recogitabat feque viribus Hispanis longe minorem videbat. Non adeo opibus valebat, ut magni exercitus fumtus ex re privata facere posfet. Stipendia, commeatus, omnia reliqua belli fubfidia ei faepius defuerant. Inde milites, incompofita turba, avaritia, non vero patriae amore ad arma congresfi, faepius feditiones movebant et ad focordiam deflectebantur.

Ita-

perum LXXXII. LXXXIII. LXXXVI. XC. XCII. CII. — Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 187 fqq. — Dinothus, Op. l. pag. 98. — Bentivoglio, Op. l. pag. 113. — Hooft, Op. l. pag. 201 fqq. — Grotius, Op. l. pag. 32 fqq. — *Leven* cet. II. pag. 135 fqq.

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib VI. fol. 96 fqq. — Van Meteren, Op. l. pag. 305. — Viglii, Epist. ad Hopperum, LXXXIV LXXXVI. LXXXIX. XCIV. — De Tassis, Op. l. pag. 145. — Hooft, Op. l. pag. 201.

(2) Vid. Grotius, Op. l. p. 33.

Itaque nihil aptius Gulielmo in mentem venit, quam ut, quod ipse aegre valeret, per alios efficere Philippique animum placare conaretur. Cum circumspiceret ad quemnam Principem se converteret, Maximilianus imperator et propter insignem, qua apud Philippum pollebat, auctoritatem et propter animum in Belgas et inprimis in Gulielmum proclivem, omnium ei aptissimus visus est, qui eum cum rege in gratiam reduceret. Hunc igitur rogatum, ut erat, facilem ac benevolum reperiit. Maximilianus omnia, quibus Philippi animum delenire et cum Belgis reconciliare posset, adhibuit. Vanam vero in pectore spem aluit. Philippi contumacia, nec precibus, nec miseriis neque etiam Imperatoris admonitionibus movebatur (1).

Interim ex Paulo Buisio, integerrimo homine, patriaeque amantissimo, qui clam ad Gulielmum profectus erat, omnia quae in Belgio agebantur accurate accepit. Postquam omnem rerum statum mente et cogitatione perlustraverat, sive aliorum consiliis admonitus, sive suis ipsius utens rationibus, fortunam, terra huc usque ei infestam, mari experiri decrevit. Itaque collectis nonnullis navibus, quibus Adrianum Bergensem dominum a Dolhain aliosque praefe-

(1) Vid. Hooft, Op. l. I. pag. 303. — Van Meteren, Op. l. pag. 514. — *Leven* cet. II. pag. 150.

fecit. His ex Hispanorum navibus, si qua possent, praedari permisit, Gallos vero, Germanos, Anglos, Danos, Suecos, nullis incommodis affici jussit (1).

Res certe, fateor, primum exigua erat, temere suscepta, paucos omnino fructus pollicens. Neque tamen in ea Gulielmi prudentia desideratur. Expeditio quidem parva erat, adeoque non statim ad magnos exitus ducere posse videbatur; sed eandem ob causam ab Albano nihili habebatur immo et despiciebatur. Parva incepta ad magnum finem saepius tendere experientia abunde docet. Ita haec expeditio, ubi paullatim viribus creverat classis, et Hollandiae urbes nonnullas mari vicinas expugnaverat, magnos sane effectus habere poterat. Hollandiae et Zeelandiae Ordines in Gulielmum propendebant magnaque spes erat, eos se cum eo aliquando ad Albanum expellendum, conjuncturos esse. Omnem populum effrenati imperii valde taedebat. Si igitur piratarum armis aliquatenus fortuna annueret, omnes in meliorem spem adducti, arma fortiter contra Albanum verterent.

Saepius quaesitum est, quo tandem jure Gulielmus usus sit, cum classem instrueret ducibusque diplo-

(1) Vid. Bor, Op. I. Lib. V. fol. 508. — Hooft, Op. I. pag. 208 sq. — Van Meteren, Op. I. pag. 528. — Wag. Op. I. VI. pg. 308.

plomatibus ſuis auctoritatem daret. Haec res multis ſane difficultatibus implicita nec facile expeditu videtur. Gulielmus enim muneribus ſuis, quibus in Belgio ornatus erat ſua ſponte ſe abdicaverat iisque inſuper ab Albano erat privatus. Quare nulla proprie in Belgio gaudebat potestate. Arauſiacus quidem et Nasſavius Princeps erat; ſed hoc nomine contra Hispanos arma vertere non poterat. Verum, quamvis haec ita ſint, non omni omnino defenſione caret Gulielmi agendi ratio. Albanus enim contra jus fasque Gulielmum accuſaverat, damnaverat ejusque bona aerario addixerat. Haec juris laeſio tanta profecto erat, ut Gulielmus nulla amplius obedientia teneri atque injurio imperio hostem ſe probare ſuo jure posſet. Porro, ut vitae periculum effugeret, in Germaniam recedere coactus fuit et contra jus publicum, quod imperantibus intercedit cum magiſtratu, omnibus honoribus destitutus est. Quum igitur non legitimo modo praefecturis ſuis privatus esſet, hoc titulo provinciarum ſuarum jura ſibi vindicare vimque injustam repellere poterat. Albanus potentiae ſuae limites excesſerat, omnem Ordinum vim et auctoritatem fregerat, neglexerat atque, quamquam ſe hostem non profesſus erat, hostili tamen manu in cives ſaevire ſibi permiſerat. Eandem igitur licentiam Gulielmus ſibi ſumere ac, etſi ſe regis hostem non diceret, Hispanorum injuriam depellere, novo quodam jure valebat.

Ve-

Verum, utcunque ſit, claſsis alicujus certe auctoritate munita esſe debuit, ne, aliorum piratarum inſtar, omnium populorum communis hostis cenſeretur. Quare pro rerum angustiis et patriae periculo prudenter Gulielmum omnino egisſe, mihi perſuaſum est. Quod ſi claſsis praefecti rapiendi et praedandi furore obcaecati, aliorum nonnunquam gentium navigia molestiis afficere non dubitarunt, hoc minime Gulielmo imputandam est. Hic enim cum diplomatibus ſuis, tum Bergenſem illicita facinora aggredientem puniendo, ſatis ostendit, ſe ab ejusmodi factis vehementer abhorrere (1).

Quo melius nauclerorum inconditam turbam contineret, Lumbresium (2) claſsis praefectura ornavit novasque leges confecit, quibus inter alia conſtituit, ut omnibus aliis conſiliis postpoſitis, in Albanum tantum arma verterent; ut quaque navi verbi divini minister veheretur, qui navigantium animos adprobitatem et manſuetudinem adhortaretur; denique ut ſibi tertia pars praedae concederetur (3).

Si rationes, quas Gulielmus illo tempore ſibi ante oculos poſuit paullo accuratius conſideramus

(1) Vid. Hooft, Op. l. pag. 210.

(2) Gilain van Fiennes, *Ridder en Heere* van Lumbres.

(3) Vid. Bor, Op. l. Lib. V. fol. 233 ſqq. — Hooft, Op l. 216. — *Leven* cet. II. pag. 172.

mus, non potest, quin ejus prudentiam ſumme admiremur, qua ab exiguis initiis pedetentim ad magnam potentiam evadere conatus sit. Etenim claſsis magis ac magis viribus aucta Albano maxima damna intulit atque Gulielmo nummos ſubminiſtravit, quibus novum bellum comparare poſset. Cum Albani, quo tenebantur Hollandia et Zeelandia, metus quotidie imminueretur, odium vero magis etiam incenderetur, utramque provinciam in ſuas partes trahere Gulielmus vehementer ſperabat. Quod ubi factum esſet claſſe ad oram maritimam appellere, urbes maritimas expugnare, cum magno exercitu Belgium invadere ſuisque ſuccurrere, apud animum conſtituit.

Interea, ſuadente Gulielmo, Proceres exſules Imperatori Maximiliano aliisque Principibus, qui in comitia Spirae Menſe majo a. 1570 habita, congregati erant, ſcriptionem miſerunt, qua de Albani injuria ac privilegiorum neglectu vehementer conquesti ſunt horumque Principum auxilium implorarunt, ut eos cum rege reconciliarent. Verum, quamquam plurimi Principes Belgicarum calamitatum magnopere miſerebantur, Proceres tamen Albani praeſertim praeſtigiis, nullam malorum ſublevationem conſecuti ſunt (1).

Gu-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. V. fol. 228 ſqq. — Hooft, Op. l.

Gulielmus per ſuos ubique impenſe operam dabat, ut ad exercitum inſtruendum pecuniae vim ſibi compararet. Hunc in finem per Angliam, Germaniam et Belgium omnes, qui novae doctrinae addicti erant eo perducere conatus est, ut vel nummos conferrent vel crederent (1).

Praeterea in Galliam, Angliam, Sueciam, Daniam legatos miſit, qui contra Hispanos opem peterent. Verum, etſi nonnullae civitates, ſive miſericordia affectae, ſive imperii amplificandi ſpe imbutae, Gulielmi rogatui primum faciles aures praeberent, Philippi regis timore devinctae, ei auxiliari non auſae ſunt (2).

§. 7.

Quum potentiam ſuam navalem adeo dilatatam videret Gulielmus, ut majores res ſuscipere poſſe ſibi videretur, Hornam, Enkhuſam, Brilam aliasque in ora maritima urbes expugnare conatus est (3). Praeterea in Gelriam et Tranſiſa-

I. pag. 212. — Van Meteren, Op. l. pag. 517. — *Leven* cet II. pag. 168.

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. V. fol. 262 ſqq. — *Leven* cet. II. pag. 188 ſqq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Lib. V. fol. 241 ſqq. — Hooft, Op. l. pag. 221 ſq. — *Leven* cet. II. pag. 202 ſqq.

(3) Vid. Bor, Op. l. Lib. V. fol. 238.

ſalaniam impetum facere et Daventriam cum primis oppugnare conſtituit (1). Verum conamina ejus cum aliis cauſis, tum tempestate adverſa, irrita erant reddita.

Tandem, ipſis Kalendis Aprilibus, Brila capta, prima libertatis lux Belgis ſuborta est. Gulielmus nuper Lumaeum (2) claſsi praefecerat eique, uti jam antea Lumbresio, ſi quam posſet, urbem maritimam caperet mandavit. Lumaeus cum claſse in Anglia morabatur. Sed inde recedere a Regina coactus, primum in Friſiam vela dedit. Verum vento adverſante ad Vornam inſulam appulit et repente Brilae expugnandae conſilium cepit. Quod, fortuna ſecunda, mira celelitate et audacia perfecit (3).

Quum Gulielmus hujus expugnationis certior esſet factus, quamquam ad bellum gerendum nondum paratus erat, Lumaeo tamen auxilia miſit, ut urbem captam tenere aliasque oppugnare posſet. Neque res effectu caruit. Aliae urbes inter

(1) Vid. Bor, l. l. — Van Meteren, Op. l. pag. 531. — *Leven* cet. II. p. 183.

(2) Willem, *Graave* van der Mark, *Heere* van Lumei.

(3) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 147, ſq. — Bor, Op. l. Lib. V. fol. 265. ſq. — Hooft, Op. I. pag. 228. ſqq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 123. — Dinothus, Op. l. pag. 105 — Van Meteren, Op. l. Vol. II. pag. 22. ſqq. — Wag. Op. l. VI. pag. 141.

ter quas, Vlisfinga, Vera, Enkhufa, Horna, Alkmaar, Edam, Monnikendam, Purmerenda, Lugdunum, Gouda, Harlemum, in Gulielmi partes tranfierunt: aliae, inter quas Mons Hanoniae, Oudewater, Zierikzea, armorum vi capiebantur (1). Tam inopinata rerum converfio eo facilius procedebat, quo impenfius omnes Gulielmo favebant. Accedebat etiam, quod Albanus, nihil mali fuspicans, exercitum fuum per totum Belgium disfipaverat, ut decimas, a quibus populus vehementer abhorrebat, vi exigeret.

§. 8.

Gulielmus jam paullo post, quam Albanus in Belgium venerat, novae doctrinae erat addictus. Verum, quum ab omni crudelitate quam maxime esfet alienus, femper voluit, ut Romano-Catholici in Belgio quoque incolumes esfent. Quibus tamen jusfis milites, qui fub eo arma ferebant, parum faepius obtemperarunt. Deinde omnes, quae oppugnarentur urbes, regis nomine a fe, tanquam Hollandiae praefecto, ut traderentur pos-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. 148. fqq. — Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 268. — Dinothus, Op. l. pag. 106. fqq. — Hooft, Op l. Vol. II. p. 238. fqq. — Van Meteren, Op. l. Vol. II. pag. 26. fqq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 129. — *Leven* cet. II. pag. 249. fqq.

postulari voluit (1). Unde facile apparet, Gulielmum se ab imperio suo, quod olim tenuerat, minime jure destitutum censuisse et contra Albanum, non vero contra regem bellum suscepisse.

Albanus tandem edoctus, se crudelitate, saevitia et in censu exigendo licentia, res suas ipsum perdidisse, cum, quas amiserat, urbes armis recuperare, tum, simulata lenitate iratos Belgarum animos placare summopere enisus est. Itaque Ordinibus vicesimas et decimas remittere promisit, si tantum vicies centena millia florenorum quotannis pendere vellent. Qua de re Ordines Hagae comitum consilia capere jussit. Horum vero animi ab Albano adeo erant aversi, ut ejus jussis amplius obedire negarent. Itaque Dordracum cum Nobilibus pluribus variarumque urbium legatis convenerunt et de patriae salute deliberarunt. Gulielmus Aldegondium, ut omnia ejus consilia exponeret, legatum Dordracum misit. Hic igitur, Gulielmum magnopere gaudere, inquit, quod urbes Hollandiae praefectum suum tanta benivolentia agnoscerent et cum eo contra Albanum arma susciperent. Porro ab iis petivit, ne ab egregio illo instituto unquam desisterent eique armis et opibus ad libertatem vindicandam adessent.

Or-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 272. — *Leven* cet. II. pag. 256.

Ordines deinde decreverunt, ut centena millia coronarum ad Gulielmum mitterentur, quibus ſtipendia ſolvere et exercitum comparare posſet. Quoniam Gulielmum haudquaquam legitimo modo muneribus ſuis privatum putabant, eum, ſub regis imperio, Hollandiae, Zeelandiae et Trajecti Praefectum crearunt eumque tanquam Ordinum Generalium principem ſocium, abſente rege, patriae defenſorem elegerunt. Tandem Ordines et Aldegondius ſibi invicem fidem dederunt, ut in omnibus rebus eadem ſequerentur conſilia, nec, niſi conſentientibus omnibus, pacta inirent (1).

Praeterea Ordines Lumaeum, quem donec ipſe aberat, copiis praefecerat Gulielmus, in hoc munere confirmarunt. Gulielmus Lumaeo jusſa dederat, ex quibus abunde patere potest, quam egregie de patria ſentiret et quam accurate Lumaei indolem, rudem illam parumque manſuetam, ceteroquin ſinceram et integram perſpexerit. Primum eum admonuit, ne nimis magno exercitu colligendo inutiles et graves ſumtus faceret neque urbes, qui milites excipere negarent, propterea ſtatim hostes putaret, ſi alioquin pecunia vel commeatu reipublicae auxiliari et quod poſtulabatur jusjurandum praeſtare vellent. Deinde ubique civium honores, urbium vel regionum jura et

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 282. ſq. — Hooft, Op. l. l. pag. 258.

et privilegia integra ſervata voluit. Porro utriusque doctrinae cives absque omni impedimento et molestia in certa ac determinata loca convenire, Deumque ſua quisque ratione colere permiſit. Cives denique et ſe ipſum jurejurando obſtrictos voluit. Civium erat jurare, ut regi, Gulielmo duce, firmiter ac conſtanter adhaererent, ut Gulielmo, in omnibus, quae ad ſummi Numinis honorem, ad regis majestatem et ad patriae ſalutem tenderent, ſemper obedirent; ut denique, jura ſua ac privilegia ſemper tuerentur, neque cum regis legatis, niſi conſentiente Gulielmo, paciscerentur.

Ipſe Gulielmus jusjurandum dabat, ſe ſuos contra Hispanos defenſurum esſe neque cum rege aliisve hominibus absque ſuorum conſenſu, de aliqua re pacturum esſe.

Tandem utriusque doctrinae ſocios jurejurando devinctos voluit, ut mutua benivolentia, tolerantia ac lenitate vitam placidam agerent (1).

Gulielmus igitur nihil antiquius habuit, quam ut patriam a crudeli Hispanorum imperio liberaret; ſibi vero ſummum imperium attribuere haud quaquam molitus est (2). Belgium a Philippo re-

(1) Omnia, quae huc pertinent copioſius traduntur apud Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 289.

(2) Scriptor anon. (Beaufortius?) in opere pasſim laudato. — *Leyen* cet. II. p. 282 nescio quo errore ductus, narravit, Gulielmum

rege ea ratione, qua antiquitus ſolebat, regnari, neminem Hispanorum in Belgio honoribus fungi; verbo, ea, quae Belgium olim obtinuerat, jura integra ac inviolata ſervari: hoc erat quod ſummopere efflagitavit.

§. 9.

Albanus interea Montem Hannoniae magna manu circumſederat et haud mediocris aderat metus, ne eximia illa urbe potiretur. Quare Gulielmus confestim copias ſuas contraxit, ut Albanum repelleret urbemque obſidio liberaret. Antequam vero ad bellum proficiscebatur, libellum in lucem edidit, quo iterum cauſas, quare arma ſusciperet, expoſuit (1). Pridie Idus Augus-

ad ſummam in republica potentiam adſpirasſe. Nihil enim omnino, quantum ſcio, Gulielmus, vel dixit unquam, vel ſcripſit, vel egit, ex quo hoc colligi licet. Ordines eum quidem, donec rex abesſet Belgii principem et defenſorem pronuntiarunt, ſed propterea perpetuum Belgarum imperium in eum detulisſe dici non posſunt. Albani imperium tam ferox factum erat, ut Belgiae ei amplius obſequi non valerent, tam odioſum, ut ei obedire nollent. Itaque prudentia magnaeque auctoritatis viro opus erat, qui cives contra Hispanorum injuriam defenderet turbulentosque animos contineret et ad unum idemque propoſitum, pristinam ſcilicet libertatem conduceret. Qua in re nemo ſane Gulielmo paratior, nemo aptior eligi potuit. Nemo enim huic prudentia, vel patriae amore antecellebat, nemo ab imperandi cupidine magis erat alienus.

(1) Vid. Bor, Op. I. Lib. VI. fol. 290.

gusti, Rurimundam, quae commeatum exercitui ſuppeditare negaverat, expugnavit. Ibi militum petulantia ac lascivia multa mala civibus intulit atque in eccleſiasticos inprimis ſaevitum est, qui in loca ſacra vitae periculum effugere conantes, immani caede necati ſunt. Haec res Gulielmi cauſae minime profuit et multorum animos ab eo avertit. Neque tamen hoc malum Gulielmo tribuendum est, qui a tali ferocitate vehementer abhorrebat. Nullo pacto fieri potuit, ut exercitus longe maxima parte ex evangelicis constans, illo tempore disciplina militari contineretur. Albani crudelitatis fama longe lateque percrebuerat. Quid igitur mirum, evangelicos diram vindictam cogitasſe et ante omnes clericos, in quos omnium malorum culpam conjiciebant, vehementi odio proſecutos esſe? Boni, fateor, ducis est militum animos vi et auctoritate ſua adeo coercere, ut nihil omnino injusti crudelisve ab iis agatur. Cujus rei Rusſorum belli dux Diebitsch Sabalkansky nuper illustre praebuit exemplum. Verum magnopere differt, qualia ſint tempora, qualesque ſint milites. Rusſi enim felicisſimum vivunt tempus; bellum gesſerunt, commodis ſuis quidem inſerviens, non vero prorſus necesſarium; exercitus eorum ex aptisſimis hominibus conſtat, qui jam diu ante militarunt atque imperio bellico paullatim asſuefacti ſunt. Praeterea Rusſiae incolae, ut qui monarchico imperio ſint ſubjecti, praefectis ſuis accurate obedi-

dire a pueris probe edocti sunt. Bellum, quod Gulielmus gerebat longe aliud erat. Tempora erant tristissima; bellum gerebatur non tantum pro patria et pro libertate civili, verum etiam pro libertate morali. Gulielmi exercitus, undecunque collectus erat ex hominibus, gente, moribus, consiliis, omnino diversis, omnibus tamen Hispanorum et Romano-Catholicae religionis odio plus aequo conflagrantibus. Accedebat, quod Gulielmus pecuniae et victus penuria laborabat; quare militum avaritiam explere eorumque praedandi et populandi cupidinem reprimere nullo pacto poterat. Quae quum ita sint, non est, quod hac in re de Gulielmi prudentia dubitemus, militumque saevitiae culpam in eum vertamus.

Interim in Hollandia eadem protervitate, malevolentia et agendi libidine milites ad injustissima quaeque facinora impellebantur. Quibus malis ut prospiceret, decretum interposuit Gulielmus, quod poenam capitalem omnibus minitabatur, qui cives, vel canonicos injuria afficerent eorumve bona raperent (1). Quo certior atque firmior fieret reipublicae status, Gulielmus cum Ordinum legatis consilia iniit et expendit, quid esset agendum, quo Hollandiae jura vetusta ac privilegia tuerentur, et quo Ordinibus satisfieret. Tandem man-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 290. sq. — Hooft, Op. l. pag. 270. — *Leven* cet. II. pag. 300.

mandatum (Belg. *Instructie*) composuit, quo Ordinibus concesſit, omnia ſcripta in arce Goudana recluſa, quibus Hollandiae privilegia continebantur per legatos ſuos deſcribi. Deinde conſtituit, ut Ordines pecuniae publicae cauſam agerent cenſumque exigerent. Porro, quo tutior evaderet navigatio et mercatura, omnia priora diplomata abrogare et nova componere decrevit. Dein Lumaeum qui, abſente Gulielmo, Hollandiae praefecturam tenebat, in omnibus Ordinum conſiliis parere jusſit. Caeterum urbium res civiles et politicas ab earum praefectis gubernandas esſe, conſtituit, niſi ipſe aliquem, conſentientibus Ordinibus, rectorem crearet (1).

§. 10.

Postquam haec ita in castris ordinaverat Gulielmus, cum exercitu adverſus Albanum Montem Hannoniae profectus est. Quum ibi advenisſet, Albanum, qui castra ingenti vallo ſepſerat ac muniverat, variis modis ex ſua veluti arce elicere et ad proelium cogere conatus est. Frustra. — Albanus iterum cunctatoris partes egit neque ullo pacto cum Gulielmi exercitu congredi voluit. Tandem, quum omnia haec conamina nullum ef-

(1) Vid. Bor, Op. I. Lib. VI. fol. 290. ſqq. — Hooft, Op. I. pag. 170. — *Leven* cet. II. pag. 302. ſqq.

effectum haberent Montem reliquit, in Gelriam venit et, quod perpetuum, quo affligebatur, erat malum, pecuniae inopia coactus, ſtipendia omnia ſolvere cum non posſet, ſeditioſum exercitum dimiſit (1).

Difficile admodum est, post tam magnum temporis intervallum, res bello a duce aliquo gestas dijudicare, cujus rationes et conditio nobis non ſatis ſunt perſpectae. Num igitur Gulielmus ita, ut debuit ac potuit, hac in re egerit equidem affirmare non auderem. Verum, ni fallor, Gulielmus illo tempore minore audacia, quam quidem prudentia uſus est. Etenim, cum Albanus vallum ſuum egredi conſtanter negaret, quidni inſtantius eum adortus est Gulielmus ac cum omni ſua vi in Albani munitiones irruit ſibique viam ad hostem patefecit? Virium ſuarum conscius, ſe valere tantum fortasſe non cenſuit. Atqui etiam ſibi probe conscius erat, ſe tantum exercitum, imminente pecuniae inopia, non diu continere posſe. Quare, ſi cum Albano quocumque tandem posſet modo, conflixisſet, nihil omni-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 158. ſqq. — Viglius ad Hopperum, Epist. CLXXIX et CLXXX. — Bentivoglio, Op. l. pag. 142. ſqq. — Dinothus, Op. l. pag. 129. ſqq. — Bor, Op. l. Lib VI. fol. 292. ſqq. — Hooft, Op. l. pag. 270. — Grotius, Op. l. pag. 37. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 88. — *Leven* cet. II. pag. 305. ſqq. — Wagenaar, Op. l. pag. 387.

nino amittere, magna vero commoda fortasſe conſequi potuisſet. Quodſi Albanum de ſedibus ſuis depulisſet, omnes Belgii urbes et regiones ſecum eo conjunxisſent Albanique vim nullo negotio perfregisſent. Nunc vero, ubi, infecta cauſa recesſit Gulielmus, novus metus omnium animos tenuit omnemque fiduciam pectoribus excusſit. Itaque melius acturus fuisſe mihi videtur, ſi vires ſuas periclitatus esſet hostemque magno impetu aggresſus esſet.

§. 11.

Postquam exercitum ſuum dimiſerat Gulielmus, in Hollandiam profectus est, ubi Lumaeus, potestatis ſuae limites excedens, omnia ſuo arbitrio gerebat tantaque utebatur atrocitate, ut multi cives Hiſpanorum tyrannidem ejus imperio praeferrent. Quum Enkhuſiam adveniret Gulielmus, omnes cives laetitia exſultarunt, quaſi vero patriae ſua ſalus esſet reddita. Postquam naves nonnullas armaverat, quo melius bellum maritimum procederet, Harlemum, ubi Ordines convenerant, itinere tetendit. Ordines ejus adventu non mediocriter laetabantur, quoniam miſerrimo rerum ſtatui diffidentes, nullam amplius malorum requiem ſperare audebant. Mirum est, quam appoſite anxios eorum animos confirmaverit, erexerit,

rit, novaque ſpe perfuderit. Innumeri cives, qui antea propter fortunam adverſam adeo desperaverant, ut patriam relinquere cogitarent, iterum animum extulerunt, neque pericula amplius metuerunt. Omnia inſtauravit Gulielmi prudentia; nec rebus militaribus tantum, verum etiam regiminis et judiciorum defectibus medicam manum adhibuit (1).

Postquam Montem Hannoniae recuperaverat Albanus, ad alias urbes, quae ab eo defecerant ſe convertit atque cruenta nece inauditaque perfidia in eas ſaeviit. Cujus rei Mechlinia, Zutphania, Narda aliaeque, in quibus diram ſtragem edidit, urbes, exemplo inſervire posſunt (2). Tanta crudelitate cum implacabile ſuum odium explere, tum omni Belgio terrorem incutere omniaque ſibi ſubjicere conatus est. Verum eventus hanc ſpem praeter modum fefellit. Omnes urbes, aliarum tristisſimo exemplo, ſortem, quae omnes exſpectabat, edoctae, maxima quaeque pericula lubenter ſubierunt

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 302. ſqq. — Hooft, Op. l. pag. 284. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 113. ſqq. — *Leven* cet. II. pag. 315. ſqq.

(2) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 163. ſq. — Viglius, ad Hopperum, Epist. CLXXIV et CLXXXVII. — Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 303. ſqq. — Hooft, Op. l. pag. 279. et ante omnia, pag. 286. ſqq — Van Meteren, Op. l. II. pag. 133. ſqq.

runt ultimaque experiri quam se atrocissimo hosti tradere maluerunt. Quandoquidem nemo omnino resistebat, Fredericum filium cum magna Albanus manu in Hollandiam misit. Hic continuo adversus Harlemum, quam urbem Gulielmus diligenter muniverat, arma vertit. Postquam urbem obsederat, ingentem statim in eam impetum fecit, verum magna virtute rejectus est (1).

§. 12.

Quum Gulielmus Hispanos fortuna sua fretos, cum ingenti exercitu in Hollandiam penetrare videret, vehementi extemplo dolore percussus est. Clare perspiciebat, se tantam vim repellere non posse. Itaque potentiorum civitatum auxilium implorare unica, quae superesset, salutis via sibi videbatur. Hollandiae, Zeelandiae et Frisiae occidentalis Ordinibus convocatis, post varias deliberationes, legatos ad Angliae reginam mittere decreverunt. Quae tamen legatio, uti multae, quae praecesserant, nullum omnino effectum habuit (2).

Interim Lumaeus intolerandam agendi libidinem sibi assumens, multa injusta civibusque odiosa

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 169. — Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 309. sqq. — Hooft, Op. l. pag. 294. sq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 310. — Hooft, Op. l. pag 299. — *Leven* cet. II. pag. 337. sqq.

ſa peregerat. Milites nulla omnino disciplina militari coercebat iisque multa incommoda civibus inferre permittebat. Tantam perverſitatem tantasque iniquitates et molestias cives amplius ferre nolebant. Gulielmus igitur, tametſi magna Lumaei in rempublicam merita gratus agnosceret, eum tamen munere ſuo exuere coactus est (1).

Quod ad bellum magis ac magis conflagrans attinet, utrimque magna virtute et vehementia variaque fortuna pugnatum est. In navalibus proeliis Zeelandorum fortitudo multas naves hostiles cepit, merſit, aut incendio delevit, glorioſamque ſaepius victoriam ſortita est. In terrestribus vero certaminibus Hispanorum arma ubique fere ſuperiora erant. Nemo erat, qui ſe cum exercitu iis objicere poterat; urbes tantum inuſitata virtute ac conſtantia reſistebant. Cujus rei, ſi qua unquam urbs, Harlemum illustrisſimum exemplum edidit.

Gulielmus variis modis obſesſae urbi opem ferre conatus est ſaepiusque commeatum et militem urbi injecit. Neque tamen eam obſidione liberare potuit. Ergo Harlemum post fortisſimam ſeptem menſium defenſionem hostibus ſe tradere coactum fuit (2). (Quarto Idus Jul. a. 1573) Frede-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 310. — Hooft, Op. l. pag. 299. ſqq. — *Leven* cet. II. pag. 338. ſqq.

(2) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 170. ſqq. — Viglius ad Hopperum, Epist. CXCVIII. CC. et CCI — Dinothus,

dericus patre Albano ferocitate haud inferior tantam per urbem ſtragem edidit, ut carnifices defesſos cruentae caedis taederet innumerique cives in fosſam, quae per urbem ducit, immergerentur.

Quum Harlemi calamitas per Belgium divulgaretur ſumma desperatio omnium pectora perculit. Maxima ubique regnabat pecuniae penuria, urbes agrique populata erant neque aliquem malorum exitum iis ſperare licebat. Quare Sonojus, qui Friſiae occidentalis imperium tenebat, cum conſiliariis ſuis miſerrimum rerum ſtatum Gulielmo exponere decrevit. Omnium animos adeo perturbatos et timore perculſos esſe ſcripſit, ut bona ſua colligere patriamque relinquere approperarent. Urbes non ſatis munitas neque militibus inſtructas esſe, quae ſe contra hostium vim tueri posſent. Omnes et agricolas et oppidanos ad ſummam egestatem pervenisſe. Quare, niſi aliunde auxilium mitteretur, hostibus ſe amplius reſistere non valere. Gulielmum igitur rogavit, ut ab extraneo quodam principe validam militum manum pete-

thus, Op. l. pag. 142. ſqq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 170. ſqq. — Hoofi, Op. l. pag. 300. ſqq. — Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 322. ſqq. — Van Meteren, Op l. pag. 144. ſqq. — *Leven* cet. II. pag. 371. ſqq. — Wagenaar, Op. l. VI. pag. 415. ſqq.

teret quum nulla alia ratione urbibus animus reddi, civesque ad arma revocari posſe videbantur.

Quibus literis acceptis, G u l i e l m u s, cujus animus excelſus in calamitatibus ſemper eximie ſplendebat, amplam reſcripſit epistolam, quam ita in compendiariam formam redegimus:

„ Quamvis de vestro in verbum divinum et rem-
„ publicam amore nunquam dubitavimus, valde-
„ quam mirum nobis accidit, vos propter for-
„ tunam adverſam, omni ſpe excidere, atque
„ eam, qua olim tantopere pollebatis, fortitudi-
„ nem amittere. Omnem, qua Harlemum ſervare
„ posſemus, opem contulimus, neque etiam vitae
„ nostrae pro hac urbe periculum facere dubitavi-
„ mus. Verum, quamvis hanc urbem nobis adi-
„ mere ſummo Numini placuerit, num propterea
„ omnem, quem in eo poſuimus ſpem dimitte-
„ mus? An propterea divina illa potentia quicquam
„ diminuta est? An eccleſia hac una calamitate
„ ad exitum est perducta? Miſerorum Harlemen-
„ ſium ſortem vehementer deploramus, verum in-
„ numerorum martyrum ſanguis Eccleſiae Chri-
„ ſtianae olim quoque ſalutem reddidit. Quare,
„ quum hostem, nulla utentem justitia, miſericordia
„ nulla, jura nostra invadere ac violare nostram-
„ que perniciem moliri videamus, omnes vires in-
„ tendere debemus, ad cauſam nostram justitia in-
„ nitentem, quamdiu valeamus, defendendam. Plures
„ nobis ſuperſunt urbes, Harlemo magis etiam

„ mu-

„ munitae, quae ſi, favente ſummo Numine, ho- „ ſtium impetus frangere acriter perſiſtant, non „ est, quod de republica desperemus.

„ Petitis a nobis, ut vos certiores faciamus, „ num cum quadam extranea potestate foedus ſan- „ civerimus, unde auxilium ſperare liceat. Res- „ ponſum in promtu est. Antequam enim Chris- „ tianae Eccleſiae patriaeque oppresſae cauſam ſus- „ cepimus, cum ſumma, quae reliquas omnes lon- „ go post ſe intervallo relinquit, potestate, foe- „ dus inivimus, adeo firmum atque validum, ut „ nobis perſuaſum habeamus, nos et omnes, qui „ huic foederi fidem haud negant, aliquando, „ quidquid contra nitantur hostes, hujus potes- „ tatis valida manu ſalvos evaſuros esſe. Ves- „ trum interea est, hosti gnaviter obſiſtere ne- „ que animum despondere. Hostis naves inſtruit, „ ut Flevi imperium ſibi vindicare posſit. Ve- „ rum age, clasſem vestram ei opponatis ejus- „ que potentiam virtute vestra coerceatis. Qua „ in re Zeelandorum ſingularis audacia, qui hos- „ tem ſaepius jam repulerunt, vobis exemplo in- „ ſervire potest. Firmiter in bello perſiſtatis et „ quidquid ſuperveniat calamitatis, nunquam ani- „ mum amittatis, verum cogitetis, belli fortunam „ ſemper ancipitem esſe (1)."

Ve-

(1) Vid. Bor, Op. I. Lib. VI. fol. 328. ſqq. — Hooft, Op.

Quisque, opinor, Gulielmi prudentiam miramque dicendi vim, qua anxiorum civium animos erexit, summa admiratione dignas habet. Etenim non blandis verbis vanisque extranei auxilii pollicitationibus; sed validioribus argumentis, causae justitia divinaque providentia commemorandis et ob oculos ponendis, omnes in meliorem spem adduxit. Hinc in tanto rerum discrimine salutem sperabat atque eadem spe omnes cives imbuendos esse, putabat. Neque eventus eum fefellit. Etenim haecce Gulielmi epistola tantum apud omnes valuit, ut novo quodam pugnandi ardore ad Hispanorum copias debellandas excitarentur. Cujus rei Alkmaria illustrissimum exemplum praebuit.

§. 13.

Rempublicam gubernare cum semper, tum praesertim in tanta rerum perturbatione difficillimum esse nemo est, qui non videat. Quo magis laudanda est Gulielmi singularis sapientia, qua civium vel trepidorum, vel turbulentorum animos ad optimum, quod sibi ante oculos constituerat, propositum direxit. Neque etiam minore laude dignum mirum illud ingenii acumen, quo novas semper

Op. I. pag. 328. sqq. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 18. — *Levén* cet. II. pag. 378. qq.

per excogitavit rationes ad rempublicam labentem et jam iam cadentem fulciendam.

Illo, de quo nunc agimus tempore tristis omnino erat reipublicae facies. Hostium exercitus, nemine fere resistente, procedebat parumque aberat, quin omne Belgium Hispanorum tyrannidi denuo subjiceretur. Magna ubique conspiciebatur paupertas, omnisque paene salutis spes evanuerat. At vero Gulielmus rempublicam perturbatam sustentavit atque ardorem, animum et constantiam, quibus ipse utebatur, in civium pectora transfudit. Quo firmior fieret respublica, Gulielmus, consentientibus Ordinibus, concilium status (Belgice *Raad van State*) instituit, cui rerum bellicarum et praefectorum eligendorum cura mandaretur. Hoc concilium ex novem sociis et duobus actuariis constabat suasque res Gulielmi, regis praefecti, nomine agebat. Non vero ad universum Belgium sed tantum ad Hollandiam et Zeelandiam pertinebat (1). Deinde omnem operam navabat Gulielmus, ut pecuniam colligeret hostibusque damnum inferret.

Hunc in finem Dordracum profectus est ibique omnes ad arma gerenda impulit, expeditionem contra Geertrudenbergam, munitissimam urbem, com-

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 330. — Hooft, Op. l. pag. 329. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 177. — *Leven cet.* II. pag. 285. sqq.

comparavit. Quibus conatibus adeo favit eventus, ut urbs paullo post capta fit (1).

Praeterea Alkmariam et Lugdunum muniri, milite, commeatu bellique omni apparatu inftrui curavit. Quum Fredericus Alkmariam venisfet urbemque fortiter oppugnaret, Gulielmus civium animos tantopere fustinuit pasfim et recreavit tantasque Frederico infidias ftruxit, ut hic re infecta recedere fuerit coactus (2).

Albanus omnem fpem fuam in magna, quae Amftelaedami comparabatur, clasfe pofuerat. Neque immerito. Conftabat enim ex viginti navibus, bene armatis, inter quas maxima Praefectum Bossuvium, cum centum et octoginta militibus ducebat. Deinde clasfis ad triginta naves excrevit. Gulielmi clasfis, mira celeritate inftructa, viribus, Bossuvio longe inferior, Hispanis obviam tetendit. Hujus clasfis praefectus Cornelius Dirks, homo belli gerendi peritus et intrepidus, hostium naves incendere et experiri, quid virtus audaciaque valeret, ratum habuit. Itaque fe in Bossu-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 182. — Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 337. — Hooft, Op. l. pag. 331. — *Leven* cet. II. pag. 389. fqq.

(2) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 183. fq. Bentivoglio, Op. l. pag. 183. — Dinothus, Op. l. pag. 144. fqq. — Hooft, Op. l. pag. 182. fqq. — *Leven* cet. II. pag. 392. fqq.

suvii navem vertit et cum tribus minoribus navibus tanto furore pugnavit, ut Bossuvius vinceretur captivusque Hornam duceretur; reliqua vero clasfis profligaretur (1).

Hac victoria reportata, nova ubique in Hollandia civibus fpes rerumque bellicarum fiducia fuborta est. Omnes Bossuvii cladem et captivitatem fumme laetabantur atque magis etiam laetati esfent, nifi Hispani Aldegondium eodem fere tempore Maaslandflufiae cepisfent (2).

Interim Gulielmus, quoniam in magnis verfabatur periculis, iterum cum rege Gallorum de auxilio mittendo pacisci in animo habuit. Quae tamen res, cum nullos omnino effectus habuerit, hoc loco praetermittenda videtur (3).

Albanus per fexennium innumera crudelitatis fpecimina ediderat, Belgasque omnes Hispanorum tyrannidi fubjicere conatus erat. Frustra — Gulielmus hanc totius Belgii perniciem mirifica fua prudentia averterat et quotidie omnes vires ad rem-

(1) Vid De Tassis, Op. l. pag. 184. fqq. — Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 335. fqq. — Bentivoglio, Op. l. pag 185. fqq. — Dinothus, Op. l. pag. 146. fq. — Hooft, Op. l. pag. 335. fqq. — Van Meteren, Op. l. pag. 187. fqq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 348. — Viglius ad Hopperum, Epist. CCX. — Hooft, Op. l. pag. 146. — Van Meteren, Op. l. pag. 190.

(3) Vid. *Leven* &c. II. pag. 418. fqq.

rempublicam salvam reddendam intendere pergebat. Quum igitur, nihil prorsus se proficere posse videret omniumque implacabile odium in se contraxisset; quum denique in magnum aes alienum incidisset, nihil optabilius habuit, quam ut e Belgio discederet. Quod quum Hispanorum rationibus magis prodesse, quam obesse videretur, facile a Philippo rege impetravit.

Itaque Ludovicus Requesenius Cuninga in ejus locum substitutus, ex Hispania in Belgium profectus est (1). Albanus Decimo quinto Kal. Januar. anni 1574 cum filio Frederico in Hispaniam profectus est, gloriari haud dubitans, ut nonnulli perhibent, se carnificum manu duodeviginti millia hominum occidisse (2).

§. 14.

Antequam de Albani discessu ambigeretur, Gulielmus, Hollandiae et Zeelandiae Ordines aliique pristinae libertatis vindices cum rege in gratiam redire conati sunt. Omnes calamitates, quibus misera respublica per sexennium exagitata fuerat,

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 185. — Dinothus, Op. l. pag. 148. — Bentivoglio, Op. l. pag. 187. — Bor, Op. l. Lib. VII. fol. 2. — Hooft, Op. l. pag. 340. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 193.

(2) Vid. Bor, Op. l. Lib. VI. fol. 350

rat, imperioso immitique Albano tribuebant. Philippum dominum suum usque agnoverant eumque Belgium tanta injuria afficere voluisse, sibi persuadere, aut non poterant, aut nolebant. Regium imperium nondum abnuerant; sed Albani tantum licentiae limites ponere conati erant. Quod ut regi rite perspectum esset, libellum, in quo haec omnia copiose et nervose explicantur et pertractantur, composuerunt. Sinceram veritatis speciem prae se fert miraque dictionis vi et perspicuitate lectoribus sponte sese commendat. Nimis longus est, quam qui integer hic transscribi possit. Verum nimis arcte quoque cum argumento nostro conjunctus est, quam qui hoc loco prorsus omittendus sit. Quare longam hancce scriptionem ad summam lectoribus tradendam esse censui, quo praeclare patere possit, qua ratione Gulielmus reipublicae conditionem bellumque, quod gerebatur, ordinesque considerarint et quamnam agendi viam sibi proposuerint (1).

„ Quotiescunque, augustissime Rex, miseri tui
„ tuoque imperio obedientes cives clementiam
„ tuam et paternum in eos amorem animo et
„ cogitatione contemplati sunt, toties in magnam
„ spem adducti sunt, te, cum querelis suis et
„ precibus, tum aliorum Principum misericordiae
„ tes-

(1) Libellus integer exhibetur, apud Bor, Op. l. Lib. VII. fol. 342. sqq. sqq. — Kluit, *Inwijingsrede* cet. *Bijl. A.*

„ testificationibus benevolas aures redditurum esse
„ ipsosque ex innumeris aerumnis, in quas effrena-
„ to Albani imperio ac minime ferenda injuria
„ submersi erant, erecturum esse. Etenim nullo pac-
„ to sibi persuadere possunt, te voluisse, ut, hos-
„ tis pro cive, omnia jura et privilegia violaret
„ patriamque misere vastaret. Quare, quum satis
„ superque sibi perspectum habeant, te lividorum
„ hominum malivolentia in perversas opiniones in-
„ ductum esse animumque tuum eorum praestigiis
„ et dolis a civibus tuis alienatum esse, veram ma-
„ lorum originem tibi explicare constituerunt.

„ Notum tibi est, quonam jure comites olim
„ Belgium regnarint et quibusnam juribus et pri-
„ vilegiis cives sint gavisi. Donec haec omnia
„ tenebantur, mutuo obsequio, placida ac tran-
„ quilla fuit respublica. Quod ex historia abunde
„ patere potest. Postquam vero nonnullornm in-
„ vidia imperandique cupiditas Belgium supprime-
„ re constituerant, omnia in pejus verti coepe-
„ runt. Tales in primis fuere ecclesiastici, qui re-
„ ligionis causam se tueri simulantes, Inquisitionem
„ novosque Episcopos in Belgium induxerint, in-
„ numeros cives criminati sint, judicumque munus
„ sibi assumentes de civium vita et bonis summa in-
„ juria decernere ausi sint. Quae omnia quum repu-
„ blicae saluti minime convenire viderent Belgarum
„ proceres aliique, tantam agendi perversitatem
„ tibi explanare malorumque levationem a te im-

„ pe-

„ petrare magnopere ſtuduerunt. Itaque aliquamdiu decreta moderasti atque lenitate uſus es.

„ Verum deinceps, pravis odioſorum hominum „ conſiliis indulgens, Albanum in Belgium miſisti, qui armorum vi omnes incolas ad obedientiam, quam nunquam denegaverant, reduceret. Multa illo tempore imminebant mala. „ Ab extraneis copiis atque ab homine peregrino „ nihil boni exſpectari potuit. At vero, quoniam „ a te misſus erat Albanus, etſi facile potuisſent, Belgae eum arcere noluere. Omnia ei tradebantur: urbes portas ſuas ſponte aperuerunt „ militemque Hispanum omni, qua posſent, benivolentia exceperunt: ex quo colligi licet, omnes regio imperio obſequi omnino concupivisſe. Quodſi Albanus totius reipublicae conditionem ante accurate expendisſet, quam omnia turbasſet, respublica certe tot tantaque mala non ſubiisſet. Atqui atrocisſima conſilia atque implacabile, quod pectore alebat, erga Belgas odium, ſupprimere haud valens, imperioſus ac veluti furibundus, omnia Belgarum jura „ turpiter neglexit, judicia abolevit, novum quoddam, inaudita crudelitate ſaeviens, tribunal conſtituit, innumeros cives nullo crimine convictos „ necavit, nullam aetatis, generis, indolisque „ rationem habens, ſenes, pueros, foeminas virginesque nefandae militum libidini condonavit, regiones depopulatus est, urbes diripuit miſero-

„ rum

„ rumque civium bona publicavit et dissipavit. „ Nihil tam sacrum, sanctum, piumve erat, quod „ ejus crudelitatem effugeret. Nullum scelus tam „ truculentum, tam nefarium, tam inauditum, „ quod hic non ederet.

„ Verum quid opus est tantam immanitatem tan„ tamque agendi libidinem exponere. Etenim res „ est notior ac testatior, quam quae uberiore dis„ quisitione indigeat. Omnes non tantum Belgae, „ verum etiam exteri populi atque principes istius „ hominis consilia factaque vehementer improbant. „ Quare nullo modo nobis persuadere possumus, „ te quoque ab iis non abhorrere. Quin potius „ credimus te majorum tuorum vestigia inculcan„ tem, clementia, lenitate ac moderatione cives „ tuos regere malle, quam tantam immitis tyran„ ni licentiam permittere. Quum igitur Alba„ nus, se omnium malefactorum nostrorum ve„ niam daturum esse promittit, hanc, nisi violata „ majestate tua et dignitate, accipere nullo modo „ possumus. Confidimus enim, te cives tuos, „ ante causam auditam, non seditiosos et a te „ alienos habiturum esse. Si aliquis criminis cu„ juspiam accusetur, utriusque partis causam ante „ audiendam esse, quam condemnatur reus, ne„ mo est, qui dubitet. Ergo hanc nobis da ve„ niam, ut innocentiam nostram verbis probantes „ et exponentes benigne audias. Hucusque Al„ bani tantum querelae, nuntii et criminatio-

„ nes

„ nes ad te perlata ſunt, nobisque cauſam no-
„ ſtram agere non est concesſum. Antequam igi-
„ tur cauſam nostram defendimus, eam, quam
„ Albanus nobis offert veniam nullo pacto ac-
„ cipere posſumus, niſi nosmetipſi quaſi crimine
„ convictos condemnare velimus. Etenim contra
„ eum, numquam vero contra te arma ſumſimus.
„ Quodſi ea, quibus accuſamur, crimina com-
„ miſerimus, ſummum Numen teque, augustisſi-
„ me rex, testes facimus, omnem veniam recuſa-
„ mus petimusque ut diris quibuscunque tormen-
„ tis ad mortem perducamur.

„ Verum nemo unquam reperiet, nos talia facino-
„ ra in animum induxisſe, nedum commiſisſe.
„ Regem nostrum ab initio obedientia et obſequio
„ proſecuti ſumus, Deumque, quatenus potueri-
„ mus, coluimus, atque hac via ad extremum vi-
„ tae terminum progredi decrevimus. Sed, ubi
„ Albanum, cujus erat justitiam tueri, pre-
„ cesque nostras audire, privilegia olim a te
„ nobis concesſa negligere, contra jus fasque nos
„ immite tractare, inaudita flagitia ſuscipere atque
„ patriam perdere vidimus, necesſitate coacti ad
„ arma venimus, quo omnibus modis patriam
„ nostram contra crudelisſimum dominatum inju-
„ ſtisſimamque vim defenderemus: apud animum
„ conſtituentes, nos pro patria mori, quam nos-
„ met ipſos ejusmodi tyranno ſubjicere malle. In quo
„ con-

„ confilio firmiter perfeverabimus, donec tibi, au-
„ gustisfime Rex, querelas nostras precesque be-
„ nevolis auribus excipere atque jura contra tan-
„ tam vim defendere, placeat. Etenim gloriofam
„ pro libertate et patriae falute mortem fubire,
„ quam in turpem fervitutem transire nobis longe
„ praeftare videtur. Tum posteritati nostrae hanc
„ relinquemus gloriam, eos ex majoribus ortos es-
„ fe, qui Hispanorum Inquifitionis fervi esfe no-
„ luerunt mortemque honestam turpi vitae praetu-
„ lerunt. Pro animorum libertate, pro uxorum li-
„ berorumque vita arma ferimus, quo certum fiat,
„ utrum Albanus crudeli fuo imperio omnia
„ fubjecturus fit, an patriam ad extremum hali-
„ tum Deo optimo tibique fervaturi et defenfuri
„ fimus. Vitae nostrae terminum quemdam pofi-
„ tum esfe fcimus. Hunc, Albani venia acci-
„ pienda, excedere nolumus. Quapropter te pre-
„ camur, augustisfime rex, ut querelas nostras
„ audias nostramque in caufam ipfe inquiras, ne
„ venia accipienda, nobis posterisque nostris Di-
„ vini regiique violati obfequii labem adfpergere
„ cogamur.

„ An Albanus fumma in Belgas injuria ufus
„ fit, ne dubites, quippe quod ex ipfius verbis
„ abunde pateat. In iis enim, quas ad nos de-
„ dit, literis, ingenue fatetur, Belgas antea regis
„ imperio diligenter obedivisfe et etiam nunc obfecu-

„ tu-

„ turos esſe, niſi a malevolis hominibus ad deterio-
„ res rationes esſent adducti. Quia igitur confitetur
„ nos, antequam arma ſuscepimus, officio nostro
„ rite perfunctos esſe, necesſe est, etiam confi-
„ teatur, ſe per injuriam in innocentes cives ſae-
„ viisſe, urbes deripuisſe, incendio delevisſe in-
„ colasque ad dira quaeque ſupplicia rapuisſe et
„ nefasta morte affecisſe.

„ Quae quum ita ſint, per Deum, qui coro-
„ nam tibi impoſuit, ſceptrumque in manibus de-
„ tulit, te oramus atque obtestamur, ut nos ad
„ pedes ſtratos ſubleves precibusque nostris fa-
„ veas. Obſequium haud recuſamus, verum peti-
„ mus tantum, ut nobis cogitandi libertas conce-
„ datur, ut verbi divini interpretationem audire
„ nobis liceat, quo aliquando ſummo judice co-
„ ram actionum nostrarum rationem reddere pos-
„ ſimus. Rogamus te, ut ab Hispano milite nos
„ liberes nobisque ea concedas jura, ea privilegia,
„ eam libertatem, quibus olim gaviſi ſumus quae-
„ que a te, patre tuo Carolo et majoribus ac-
„ cepimus. Quod ubi nobis a te impertiri nove-
„ rimus, non tantum parati ſumus, ad arma de-
„ ponenda, verum etiam fidem nostram tibi da-
„ mus, nos ultro terra marique imperio tuo ob-
„ ſecuturos esſe. Haec per Deum praepotentem ad-
„ juramus; quae niſi ex animi ſententia ita a no-
„ bis dicta ſint, Deum optimum maximum oramus
„ ne animis nostris parcat.

„ Quod

„ Quod reliquum est, hoc nostrum jusjuran-
„ dum animique testificationem cum te et omni-
„ bus aliis regibus, principibus populisque commu-
„ nicatum iri ſperamus, quo cuique pateat, nos ne-
„ quaquam ſeditiones moliri, neque a rege nostro
„ descivisſe; ſed necesſitate coactos esſe ad arma
„ contra regii nominis inimicos omnesque, qui auc-
„ toritate ejus abuſi ſunt, ſuscipienda."

Quae hic brevi ac tenui oratione propoſui, copioſius multo et ornatius ab ipſo Gulielmo Ordinibusque exponuntur et enucleantur. Sed vel ex paucis iis, quae ex laudata ſcriptione ſelegi, ſatis ſuperque conſtare potest, quam egregium atque justitiae congruens Belgarum fuerit conſilium quantaque patientia erga immitem et ſuperſtitioſum regem uſi ſint. Omnia, quae egerat Albanus, regis nomine egerat. Ergo hic niſi ea omnia comprobaret, Albani licentiae frena injicere debuerat: alioquin ipſe omnium malorum auctor habendus erat. Quod quum non fecerit, civibus ſuis ſe ipſe hostem monſtravit eorumque odio dignisſimus factus est. Verum cives, Philippum usque dominum ſuum habere cupientes, ſive regis amore ducti, ſive occulta ejus agendi ratione decepti, omnem culpam in Albanum conjiciebant.

Unde tanta in populo laeſo patientia? — Unde mirabilis illa fides ac conſtantia. — Scilicet, ſummus

mus Gulielmus, integerrimus juris ac justitiae vindex, probe noverat, quale esſet Philippi in Belgas jus, firmum illud atque immutabile, a majoribus acceptum, ſaeculorum lapſu confirmatum ac corroboratum, quod absque injuria haud facile disſolvi posſet. Videbat ille, quanta incommoda formidoloſum, quod gerebatur bellum, patriae inferret, cujus finis remotus, cujus eventus admodum incertus erat. Quare, turbulentorum civium animos ſemper ſedavit, cum rege reconciliavit et tantummodo contra Albanum excitavit. Tantus in Gulielmo vigebat justi atque injusti ſenſus. Tanta in eo existebat rationis vis, ut ſe ipſe continere non tantum, verum etiam omnes cives ad justum atque utile propoſitum conducere valeret. Rex huc usque res ſuas occulte egerat, ſeque nondum manifestum populi hostem declaraverat. Ergo tempus nondum venerat, quo Belgium tuto ab eo desciscere posſet. Civium erat obedientiam ſuam profiteri, regis animum explorare ejusque auxilium contra Albanum invocare. Quodſi malorum ſublevationem praeſtaret rex, bonum imperantem, ſin vero Albani injuriam non cohiberet patriae hostem ſe indicabat. Cives, Gulielmo cum primis auctore, officio ſuo perfuncti ſunt. Rex vero, nescio qua mentis pravitate ductus, eorum oratui non obtemperavit, in perverſis ſuis conſiliis cum obſtinatione perſtitit civesque ſuos ad desperationem adduxit. Antea Alba-

„ nus

nus omnium malorum auctor habitus erat. Verum jamjam patuit ſucceſſores ejus easdem rationes ſequi, neque a rege coerceri. Tandem igitur Belgae Philippum hostem agnoverunt atque intellexerunt, rempublicam etiam absque regio imperio ſalvam eſſe poſſe.

CA-

CAPUT III.

DE PRUDENTIA GULIELMI I. PRINCIPIS ARAUSIACI, IN REPUBLICA PERTURBATA, LUDOVICO REQUESENIO CUNINGA, ET DEINCEPS SENATU, REGIS LOCO IMPERIUM TENENTIBUS. A. MCLXXIII—MCLXXVI.

§. I

Discedente Albano, omne omnino Belgium ſumma laetitia exſultabat. Taedebat omnes belli patriae quam maxime pernicioſi. Agricultura, neque etiam mercatura propter belli incommoda excoli poterant. Quae cum fontes ſint, ex quibus civitatum ſalus petenda est, in Belgicis praeſertim rebus magnam ſemper vim habuerunt. Itaque illo tempore ſumma ubique dominabatur egestas paupertas

tasque et omnes in pacem vehementer propendebant.

Omnia bona et praeclara de Requesenio praedicari audiverant et in spem adducti sunt, reipublicae statum, hoc gubernatore, meliorem et tranquilliorem evasurum esse. Mox vero apparuit, eum ferocitate quidem Albano minorem, consiliis autem haud dissimilem esse.

Hollandia et Zeelandia libertatem unice vindicantes, undique a potentissimo hoste obsessae, tantam vim repellere posse vix videbantur. Verum Gulielmus divini ingenii singularisque constantiae vir, his provinciis praepositus erat. Hic, mira prudentia, parvam illam veluti rempublicam moderabatur atque indefessa industria ac vigilantia circumspiciebat, unde auxilium peteret et quanam ratione labentem patriam fulciret.

Belgarum potentiam et fortitudinem fere omni tempore in navigatione et bello maritimo conspicuas fuisse, nemo ignorat, nisi qui omnem patriae historiam ignoret. Quare non mirum est, Gulielmum, qui Belgarum indolem, conditionem et vires omnium optime perspexerat, omnem suam spem in classem contulisse. In Zeelandia multas naves armavit, quibus Hispanorum dominio insigne damnum attulit. Tanta enim Zeelandiae classis virtute pollebat, ut Hispanos ingentibus saepe cladibus afficeret marisque imperium sibi compararet. Hujus rei per hoc, quod nunc investigamus

mus, temporis ſpatium, tam luculenta exempla praebuere Zeelandi, ut quisque facile fateatur, patriam eorum virtute in ſummo discrimine ſervatam esſe.

Medioburgo a Gulielmi copiis oppugnato, Requesenius omnem operam navavit, ut urbem obſidione liberaret. Hunc in finem magnam clasſem inſtruxit, quam in duas partes diviſam, Medioburgum miſit. Hujus rei nuntio accepto, Gulielmus Vlisſingam profectus, ipſe praeſens Zeelandorum navigia comparari curavit. Haec clasſis Hispanos tanta virtute adorta est ut alteram hostilium navium partem vincerent ac prorſus fere delerent. (nono Kal. Februar. a. 1574). Qua pugna pugnata exercitus tantos in urbem fecit impetus, ut urbs cum Gulielmo paciſci ſeque tradere esſet coacta (1).

§. 2.

Interea Gulielmus praeclare perſpiciebat, ſe bellum minime ſustinere posſe, niſi aliunde auxilium ac-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 187. ſqq. — Viglius ad Hopperum, Epist. CXCII. et CXVII. — Dinothus, Op. l. pag. 151. ſqq. — Bor, Op. l. Lib. VII. fol. 3. ſqq. — Hooft, Op. l. pag. 345 ſqq. — Grotius, Op. l. pag. 53. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 215. ſqq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 189. ſqq. — *Leven* cet. II. pag. 435. ſqq. — Wag. Op. l. VI. p. 439. ſqq.

acciperet, vel ipſe aliquid magni ſusciperet. Quapropter Ludovicum fratrem, qui jam praecedente anno cum rege Galliae de auxilio praeſtando collocutus erat, iterum in Galliam miſit. Quum haec legatio postea demum effectum habuerit, de iis, quae a Ludovico acta ſunt, postea videbimus (1). Nullo igitur auxilio accepto, Gulielmus ipſe majores res aggredi Hispanosque magno armorum impetu ad pacem conducere ſtatuit. Ergo Ludovicum fratrem ad exercitum comparandum in Germaniam miſit. Hic tam milite, quam pecunia a rege Galliae aliquatenus ſublevatus, ſex millia peditum et tria millia equitum contraxit Belgiumque invaſit. Verum omnis hic exercitus incompoſitus admodum bellique gerendi arte minime exercitatus, partim militum lascivia et ignavia, partim Ludovici audacia et imprudentia in campo, qui *Mokerheide* dicitur, a majore Hispanorum exercitu victus ac profligatus est. In hoc proelio ipſe Ludovicus, cum fratre Henrico, in prima acie magna virtute pugnans, non ſine magno patriae detrimento et moerore cecidit (2).

Tan

(1) Vid *Leyen* cet. II. pag. 459. ſqq. — Wag. Op. l. VI. pag. 466. ſqq.

(2) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 187. Dinothus, Op. l. pag. 152. ſqq. — Bor, Op. l. Lib. VII. fol. 11. ſqq. — Bentivoglio. Op. l. pag. 193. — Hooft, Op. l. pag. 353. ſqq. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 235. ſqq. — *Leyen* cet. II. pag. 465. ſqq. — Wag. Op. l. VI. pag. 468. ſqq.

Tanta calamitate oppresſus, firmisſimus quisque intimis ſenſibus angeretur omnique ſpe excideret, verum Gulielmus in omnibus malis frontem erectum tenebat animumque ad rempublicam defendendam promptum et alacrem ſervabat. Quantumvis iniquis agitaretur fatis pectori veluti infixum habebat illud Horatianum:

„ Aequam memento rebus in arduis
„ Servare mentem." (1)

Quae facta jam erant, etſi tristisſima, non curabat; verum usque proſpiciebat, novasque ſalutis vias investigabat. Erat vir vere magnus, animoſus, roboris plenus, in quo conſpicitur illud ejusdem immortalis poetae:

„ Sperat infestis, metuit ſecundis
„ Alteram ſortem, bene praeparatum
„ Pectus. Informes hiemes reducit
„ Jupiter: idem
„ Summovet. Non ſi male nunc et olim
„ Sic erit." (2)

Utriusque fratris amantisſimi mortem tristisſime quidem ferebat; ſed in inſtituto ſuo, ſervanda patria, omnem operam ſuam ponere ſtrenue pergebat.

Ma-

(1) Vid. Carm. lib. II. Ode III. v 1.

(2) Vid. Carm. lib. II. Ode X. vers 13.

Magna expeditio, in qua omnem ſpem ſuam collocaverat Gulielmus tristisſimum quidem exitum habuerat: verum nova quaedam atque inexſpectata malorum ſublevatio ſuborta erat. Etenim Hispanae copiae, cum ſtipendia debita non acciperent, tumultuantes omnique lasciviae ac vastationi indulgentes, disſolutae et per varias regiones disſipatae ſunt (1). Praeterea Zeelandorum clasſis, et potentia, et audacia in dies crescebat tantumque timorem Hispanis incutiebat, ut Zeelandia eorum dominio ſubjici posſe vix videretur. Qua de re vehementer ſollicitus Requesenius ingentem clasſem Antverpiae armavit. Jam parata erant omnia et dux praepoſitus Adolphus Haemstedius. Exſpectabantur tantum Requeſenii, ad vela danda, mandata, quum Zeelandorum clasſis, Boisotio, peritisſimo et fortisſimo praefecto, mira celeritate in hostes tetendit. Hispani Zeelandorum adventu attoniti, proelii periculo ſe ſubjicere non auſi, Antverpiam, quam vix reliquerant, anxii petiverunt. Zeelandi vero ab inſtituto non destiterunt, ſed in hostium naves acriter invehentes, quinque earum et ipſum praefectum

(1) Vid. Bor, Lib. VII. fol. 15. — Dinothus, Op. l. pag. 155. — Viglius ad Hopperum, Epist. CCXXXI. — Hooft, Op. pag. 362. ſqq. — Van Meteren, Op. Lib. II. 240. ſqq.

tum ceperunt, quatuor deleverunt, reliquas Antverpiam usque debellarunt (1).

Praeter hanc expeditionem, Requesenius magnam militum manum in Frisiam occidentalem misit; quae tamen Sonoji virtute victa et in fugam acta est (2).

§. 3.

Quibus expeditionibus irritis redditis, ducem suum Baldesium Lugdunum oppugnare jussit Requesenius. Haec urbs jam antea obsidionis periculum experta erat; sed Ludovici adventu liberata erat. Illo tempore, nihil mali suspicans, Lugdunum commeatu defensionisque apparatu parum instructum erat: cui inopiae incolae, magna celeritate appropperantibus Hispanis, succurrere haudquaquam potuere.

Gulielmus de damno, quod patriam manebat, si urbs in hostium potestatem transiret, magnopere sollicitus, omnem industriam suam adhibuit, ut tantum malum averteret.

Pri-

(1) Vid. Viglius ad Hopperum, epist. CCXXXI. — Dinothus, Op. l. p. 155. — Bor, Op. l. Libr. VII. fol. 16. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 252. sqq. — Hooft, Op. l Vol. I. 369. sq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Lib VII. fol. 17. — Van Meteren, Op. Lib. II. pag. 256. sqq. — *Leven* cet. II. pag. 481.

Primum per varias literas civium animos erexit et ad virtutem excitavit. Admonuit eos, ut egentes debilesque homines, qui ad urbem defendendam inservire haud posſent, ex illa emitterent, deque victu tam parce, tam restricte agerent, ut per tres menſes vitam ſustentare urbemque tueri posſent. Sperabat enim, ſe interea Hispanos de urbe depulſurum esſe. Porro omnes adhortatus est, ut hostium impetui fortiter ac conſtanter reſisterent et apud animum cogitarent non Lugduni tantum, verum etiam totius patriae ſalutem cum hac defenſione arcte conjunctam esſe. Quapropter ultima potius experienda ducerent, quam urbem hostibus traderent. Quodſi officio ſuo optime functi esſent, omnium civium gratum animum aeternamque gloriam ſibi compararent.

Hisce admonitionibus excitati Lugduni-batavi, Joanne Doesio praefecto, irruenti hosti ſingulari virtute et perſeverantia restiterunt (1).

In tanta rerum perturbatione, in ſumma omnium anxietate, Gulielmus ſemper omni, qua potuit, vigilantia ac diligentia regiminis formam emendare et rempublicam in meliorem ſtatum redigere conatus est. Quemadmodum antea regis nomine utens, omnes Hollandiae en Zeelandiae incolas in alias regiones niſi ſuo Ordinumve im-

(1) Vid. Bor, Op. Lib VII. fol. 23. ſq. — Hooft, Lib. I. pag. 373. — *Leyen* cet. II. pag. 433. ſqq.

impetrato consensu, migrare vetuit absterruitque. Porro, eos, qui a. 1566 patriam reliquerant in Jus vocari jussit, ut discessus causam exponerent. Quodsi negarent, eorum bona publicarri jussit. Praeterea pecuniae publicae conditionem magno ingenii acumine meliorem reddidit et amplificavit. Nimirum omnes naves, quae merces ducebant, diplomatibus instruendas esse legitimamque pro iis pecuniam solvendam esse decrevit. Quo decreto, absque civium insigni damno aerarium magnas accessiones fecit (1).

Hoc loco quaestio nobis suboritur, quonam tandem jure Gulielmus cives, ex patria discedere cupientes, prohibere et retinere potuerit. Si generatim quaeramus, an imperanti liceat cives vi coercere, ut in patria remaneant, equidem hoc affirmare non audeo. Etenim cives, alicujus civitatis socii, sua ipsorum voluntate in civitatem coiisse intelligendi sunt atque adeo, quamdiu in ipsa civitate degantur, civitatis jure tenentur, atque ad certas ac definitas obligationes praestandas obstricti sunt. Quas obligationes propterea in se suscepisse intelliguntur, quia in civitate quadam vitam agentes, commoda ejus simul cum incommodis cupivisse ducuntur. Itaque quamvis civitatis incommoda impense augeantur, ea cum aliis civibus perferre tenentur, donec in ipsa civitate morantur. Hoc vero non im-

(1) *Leven* cet. II. pag. 485. sqq.

impedit, quo minus civitatem evadere iis liceat, ſi malorum perpesſio commodorum pondere amplius compenſari nequeat. Nam cives ſe nullo pacto obſtrinxerunt, ut ad vitae exitum in civitate remanerent; ſed tantum ut, donec in civitate erant, jura ejus atque inſtituta obſervarent et exſequerentur. Quid igitur Gulielmus? Hollandiae et Zeelandiae erat praepoſitus easque ita gubernare in ſe ſusceperat, ut ſalvae esſent. Hic finis erat, quem quisque imperans ſibi ante oculos ponere debet et quem etiam Gulielmus ſtrenue perſequebatur. Quare, quum aliquid reipublicae prorſus exitioſum eum offenderet, hoc impedire et quocumque posſet modo avertere debuit. Uti cujusque imperantis est et civitatis et ſingulorum civium jura tueri, ita quoque Gulielmi erat, cum reipublicae tum privatorum hominum jura defendere. Verum totius reipublicae ſalutem ſingulorum deſideriis anteponendam esſe, quisque facile perſpicit. Itaque, ubi civium actiones et jura cum reipublicae jure et ſalute conſistere haud amplius posſunt, boni imperantis est civium negotia paullulum moderari et ad civitatis finem accommodare. Atque hoc Gulielmus rite perfecit. Etenim cum innumeri cives cum familiis et bonis miſeram patriam relinquerent, respublica vehementer labefactata et paene disſoluta est. Nam, ut fit, qui opibus valebant ac de iis ſolliciti erant, patriam ante omnes deſerebant, pauperiores vero, qui nihil amittere et

in-

insuper apud gentes extraneas, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, exspectare non poterant, omnes remanebant. Ergo, nisi hoc malum coercuisset, Hollandia et Zeelandia tandem ab infimae classis hominibus habitatae atque prorsus perditae fuissent. Quare Gulielmi prudentia hac quoque in re summa admiratione digna est, utpote qui civium jus non quidem sustulerit; sed tamen adeo coarctaverit, ut plurimos a profectione deterreret.

§. 4.

Interea Requesenius omnem operam dedit, ut hostes suos armorum vi comprimeret. Quam ob rem in varia simul Hollandiae et Zeelandiae loca incursiones facere instituit, quo hostes perturbare belloque finem imponere posset. Praeterea omnibus civibus venia promittenda, eorum animos a Gulielmo alienare studuit. Verum omnia, quae moliebatur Requesenius, Gulielmi perspicacitatem et vigilantiam minime fugiebant. Veniam, quam promittebant Hispani, utpote ad eos tantum pertinentem, qui vel Romano-Catholicae ecclesiae essent addicti, vel ad eam reverterentur, cum omnibus fere Hollandiae et Zeelandiae incolis respuit Gulielmus. Caeteras Hispanorum molitiones solertia sua et virtute inanes reddere impense conatus est. Hunc in finem Or-

Ordines Hollandiae te Zeelandiae Roterodamum convocavit atque cum iis de patriae defenſione, de aerario ſuffragando, de Lugduno obſidione liberando, aliisque de cauſis conſilia iniit (1).

Cives Lugdunenſes mira quidem conſtantia ac fortitudine urbem contra hostium impetus tuebantur; ſed tanta victus cum ſumma caritate aderat inopia, ut urbs jamjam in hostium potestatem transitura videretur.

Gulielmus ſibi probe conscius, totius reipublicae ſalutem cum hujus urbis fortuna arctisſime devinctam esſe, per literas civium virtutem confirmare novasque liberandae urbis rationes excogitare ſummopere conatus est. Hostium exercitus urbem tanta vi circumſederat, tantisque munimentis ipſe circumvallatus erat, ut de urbe repelli posſe vix videretur. In tanto rerum discrimine nulla prorſus ſalutis via ſupererat, quam quod, aggeribus proruptis, fluctuantis maris undae in hostem immitterentur. Desperatum ſane facinus! in quo tamen unica patriae ſalus erat poſita. Neque eventus ſpem fefellit. Nam, postquam terra ubique undis esſet imbuta, Gulielmus Zeelandorum clasſem, duce Boisotio, in hostes miſit, urbemque post varia impedimenta ingenti labore et conſtantia ſervavit (2). (ſecundo Non. Oct. 1574).

Ita-

(1) Vid. Bor, Op. Lib. VII. fol. 25. ſq. — Hooft, Op. I. pag. 378. ſq. — *Leven* cet. II. pag. 488. ſq.

(2) Vid. De Tassis, Op. pag. 191. ſq. — Viglius ad

Itaque divina providentia, illo quoque tempore, Gulielmi consiliis annuit eaque ad libertatem vindicandam apta reddidit.

§. 5.

Eodem fere tempore obtrectatio quaedam et simultates inter Frisios occidentales et Sonojum praefectum itemque inter urbes Hollandiae et tractus subortae erant. Quae vero Gulielmi prudentia brevi tempore exstinctae sunt. Hic enim vir plane divinus praecipiebat, regiminis formam in tantâ rerum perturbatione necessario multis vitiis laborare, neque omnia, uti in tranquillo reipublicae statu, ordine procedere posse. Deinde, civium esse, omnem invidiam omnemque obtrectationem patriae saluti postponere: rerum publicarum curam Gulielmo tantum committere atque confidere, eum omnia, temporum ratione habita, rite ordinaturum esse (1).

Ineunte anno 1575 Gulielmus Lugduni Academiam, uti pollicitus erat, instituit. Atque, quem-

ad Hopperum, Epist. CCXXXIX. et CCXLVII. — Bor, Op. l. Lib VII. fol. 42. sq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 211. — Dinothus, Op. l. pag. 158. — Hooft, Op. l pag. 263. sq. — Grotius, Op. l. pag. 44. — *Leven* cet. II. pag. 500. sqq. — Wag. Op. l. pag. 485.

(1) Bor, Op. Lib. VII. pag. 70. sqq.

quemadmodum antea in omnibus caufis fecerat, hic quoque regis nomine ufus est. Mirum est, Gulielmum, lubrico ac fere desperato rerum ftatu, tantum opus etiam fuscepisfe, cujus fructus fortasfis ipfe non videret. Verum haec erat excelfi hominis indoles, ut caufae fuae justitia fultus, optimam femper in pectore fpem foveret omniaque fusciperet, quae patriae fuae profutura videbat.

Interim omne omnino Belgium bello gerendo tantis calamitatibus affectum erat, ut omnes magis magisque pacem flagitarent. Imperator Maximilianus, Belgis admodum prolixus, Swartzenbergium in Belgium miferat, ut pax regem inter et Belgas conciliaretur. Utrimque legati convenerunt. Gulielmus cum Hollandiae et Zeelandiae Ordinibus tria postularunt. Primum, ut Hispanorum copiae Belgio revocarentur; deinde ut Ordines Generales convenirent; denique ut in facris cogitandi libertas concederetur. Verum cum haec tria regis confiliis et opinionibus prorfus esfent adverfa, frustra de pace actum est. Ante omnia, quod ad religionem pertinebat, tam firmum et immutabile erat regis decretum, ut omnes Belgas viritim jugulare, quam novam doctrinam admittere mallet (1).

§. 6.

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 192. — Bor. Op. l. Lib. VIII. fol. 84. fqq. — Hooft, Op. l. pag. 414. fqq. — Grotius, Op. l. pag. 44. — *Leven* cet. II. pag. 533. — Wag Op. Libr. VII. pag. 25. fq.

§. 6.

Quum igitur omnis pacis ſpes evanuisſet, Gulielmus cum Ordinibus, de extraneo auxilio invocando, nova conſilia cepit. Qua de re in primis cum Galliae rege agere molitus est (1).

Praeterea Ordines ſummam Hollandiae et Zeelandiae potestatem in Gulielmum conferre decreverunt, ut hic, conflagrante bello, reipublicae gubernacula tractaret omnesque res arbitrio ſuo gereret (2). Sunt, qui putent, Gulielmum imperandi cupiditate proreptum tyrannidem affectasſe et propterea tantam potentiam ab Ordinibus petivisſe (3). Quos tamen vehementer errare cenſeo. Etenim nullo modo conſtat, Gulielmum Ordines eo perduxisſe, ut omnium rerum curam in eum conferrent multoque veriſimilius mihi videtur, Ordines hoc ſua ſponte fecisſe, quoniam id omnino ratum iis videbatur. Ante omnia hoc loco bene tenendum est, qualis fuerit ea, qua Gulielmus ornabatur, potestas. Erat quidem abſo-

(1) Vid. Bor, Libr. VIII. fol. *Leven* cet. II. pag. 559. — Van Meteren, Op. I. pag. 322.

(2) Hooft, Op. I. pag. 470. — *Leven* cet. II. pag. 567. — Wag. Op. Vol. VII. pag. 16 et 94.

(3) Vid. De Tassis, Op. I. pag. 215, 241, 245, et pasſim *Leven* cet. II. pag. 579. ſqq. III. pag. 133. ſqq. et pasſim.

ſoluta, nullis limitibus circumſcripta, minime vero perpetua. Itaque talis erat, qualis antiquitus Romae dictatori in magno reipublicae periculo concedi ſolebat. Quum enim bellum formidoloſum Romanis inferretur, non vir quidam auctoritate forte apud populum valens, ſummum imperium appetere, ſed totius populi ſuffragio ad clavum reipublicae tenendum eligi ſolebat. Hujus erat, dum bellum gerebatur, per certum quoddam temporis ſpatium, videre, ne quid detrimenti caperet respublica. Romanis igitur in lubrica patriae conditione ſummum imperium in unum conferre hominem, adeo necesſarium viſum fuit, ut, tametſi de tyrannide ſemper praeter modum esſent ſolliciti, dictatorem creare non timerent. Ordines eadem ſententia imbuti, in magno rerum discrimine, novam quandam potestatem, dictatorii muneris in multis haud disſimilem, Gulielmo tribuendam esſe cenſuere. Bellum enim tanta vi tantoque furore, illo tempore, agebatur, ut nova ſemper in promtu esſe deberent conſilia nullusque deliberando daretur locus. Caeterum plurium hominum animi numquam magis inter ſe discrepare atque vacillare ſolent, quam imminente periculo et perturbata rerum conditione.

Gulielmus ſumma, qua pollebat, auctoritate numquam abuſus est, atque in rebus magni momenti ſemper cum Ordinibus Proceribusque conſilia iniit: cujus rei brevi post jam exemplum praebuit.

Re-

Requesenius bellum tanta vi et efficacia gerebat tantoque impetu undique in Gulielmum irruebat, quantum Gulielmus perferre posse vix videbatur. Hic igitur Ordines Roterodamum convocavit, eosque rogavit, quidnam praeſtare existimarent, utrum pacem implorare et cum rege in gratiam redire, an utique ab eo desciscere, extraneam potentiam invocare eique ſe ſubmittere. Varia de hac materia, magni ſane momenti, acta ſunt atque res non ſtatim ad finem perducta est.

Paullo post, periculo magis magisque crescente, Ordines iterum convenerunt atque auctore Gulielmo decreverunt, cum in alias civitates, tum in Angliam, auxilii petendi cauſa, legatos mittere. Verum, etſi Elisabethae ſummum Hollandiae et Zeelandiae imperium obtulerunt, regina tamen, bellum Hispanicum et Galliae invidiam metuens, Belgarum deſideriis obtemperare non auſa est (1).

Quum neque extraneum auxilium impetrare, neque etiam hostium impetus amplius cohibere posſet Gulielmus, tandem omni ſpe excidit, atque deſperata republica, Belgarum bona, uxores et liberos in naves inponere, patriam relinquere peregrinasque regiones petere aliquando animo agitavit (2).

Ve-

(1) Vid. Bor, Op. Lib. VIII. fol. 132. — Hooft, Op. I. pag. 444. — *Leven* cet. II. pag. 591. — Wag. Op. I. VII. pag. 81.

(2) Vid. Hooft, Op. I. pag. 452. — *Leven* cet. II. pag. 608. — Wag. Op. I. VII. pag. 88. ſq.

Verum enim in summo reipublicae periculo divina cura et providentia miserrimo populo non defuit. Requesenius in gravem ac mortiferum morbum incidens, post paucos dies e vita excessit opusque quod paene absolverat, imperfectum reliquit (1).

§. 7.

Requesenio mortuo, Senatus, Bruxellis degens, reipublicae principatum auspicatus est et paullo post in hac dignitate a rege confirmatus est.

Eodem fere tempore Gulielmus labore haudquaquam defessus patriaeque omnibus modis curam gerens, Hollandiam en Zeelandiam arctiore necessitudine inter se devinxit, quo firmior atque validior evaderet parva respublica et quo melius hostium vim effringere posset (2).

Gulielmus magna opera et industria Vordenum ita munivit et commeatu instruxit, ut post

(1) Vid. Bor, Op. Libr. VIII. fol. 134. — De Tassis, Op. l. pag. 198. — Viglius ad Hopperum, Epist. CCLXIV. — Dinothus, Op. l. pag. 194. — Bentivoglio, Op. l. pag. 225. sqq. — Hooft, Op. l. pag. 446. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 346. — *Leven* cet. II. pag. 609. sq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Libr. IX. fol. 108. — *Leven* cet II. pag. 613. sqq.

post totius anni obſidionem hostium exercitu liberatum ſit. Eodem modo Zierikzeam, expeditione comparata, ſervare conatus est. Verum, fortuna adverſa, magna navis, qua ipſe clasſis praefectus Boisotius vehebatur, prorſus deleta est: magno ſane reipublicae detrimento, quoniam Boisotius, ſingulari virtute et audacia ſua nobilis patriae defenſor exſtitit. Zierikzea igitur, aequis conditionibus acceptis, in hostium manus transiit (1).

Eliſabetha, quamvis ipſa Belgii curam agere non auſa esſet, valde verebatur, ne Hollandia et Zeelandia Gallorum imperio ſubjicerentur. Quare legatos ad Gulielmum miſit eumque admonuit, ne extraneum auxilium peteret (2). Henricus Navarrensis etiam legatum ad Gulielmum miſit atque mille Gallorum milites ei obtulit (3). Verum, eo tempore aliquid accidit, quare Gulielmo ratum non videretur, majorem militum vim comparare. Copiae enim Hispanae, per viginti et dous menſes nullo ſtipendio accepto, ingentes ſeditiones moverant, regis cauſae infestas ſe praebuerant, regiones devastaverant urbesque diripue-

(1) Vid. Bor, Op. I. Libr. IX. fol. 145. — Hooft, Op. I. pag. 449. ſq.

(2) Vid. Bor, Op. I. Lib. IX. 237. ſq.

(3) Vid. *Leven* cet. II. 614. — Wag. Op. I. VII. pag. 87. ſq.

puerant; cujus rei Antverpiae tristissimum exemplum ediderunt (1). Quum Gulielmus haec audivisset, Brabantiae, Gelriae aliarumque provinciarum Ordines adhortatus est, ut se cum eo conjungerent patriamque in tranquilliorem statum reducerent (2).

Eodem fere tempore Treslongium classis praefectum creavit. Praeterea concilium instituit, quod cum praefecto de bello, praeda aliisque de rebus curam ageret, atque de criminibus militaribus judicaret (3).

Interea Sonojo cum Frisiae occidentalis urbium praefectis nova quaedam intercedebat controversia, cujus causa maxime in Sonoji ambitione erat posita. Hac in re igitur Gulielmi auctoritate opus erat, qui Sonoji imperium certis limitibus circumscripsit atque prohibuit, ne se rebus urbanis et judiciariis immisceret (4).

§. 8.

Hispanorum tumultus Brabantiae urbibus magis

(1) Vid. Hooft, Op. l. pag. 464. sqq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Libr. IX. fol. 156. — *Leven* cet. II. pag. 228. sqq.

(3) Vid. Bor, Op. l. Libr. IX. fol. 166. — *Leven* cet II. pag. 631. sq.

(4) Vid. Bor, Op. l. Libr. IX. fol. 167. sq. — *Leven* cet. II. pag. 633. sqq.

gis periculofi fiebant neque amplius vi comprimi posfe videbantur. Quae quum ita esfent, Brabantiae et Flandriae Ordines fefe cum Gulielmo contra Hispanos conjungere vehementer cupiebant. Reuxius igitur, qui Flandriae praefecturam tenebat, aliique Nobiles Haussium ad Gulielmum legare decreverunt, ut de Hispanis Belgio expellendis ageretur. Paullo post Brabantiae Flandriae et Hannoniae Ordines Oetingium ad Gulielmum miferunt, ut fuos legatos ad pacem Gandavi conficiendam allegaret: hac conditione ut Romano-catholica religio immunis fervaretur regique obedientia haud denegaretur (1).

Gulielmus jam diu fpem foverat, fore aliquando, ut libertatis ftudium omne Belgium teneret, omnesque ad Hispanos depellendos conjungeret. Quare hoc nuntio nihil optabilius ei accidere poterat.

Itaque Gulielmus Hollandiae et Zeelandiae Ordines admonuit, ut re accurate ponderata et examinata fuos Gandaurm legatos mitterent.

Postquam omnes convenerant, miferam reipublicae conditionem vehementer deplorarunt et praeclare perfpexerunt, Hispanorum machinationibus deceptos, cives fibi invicem bellum intulisfe. Primum igitur inducias facere decreverunt civesque fibi invi-

(1) Vid. Bor, Op. I. Libr. IX. fol. 172. fq. — Hooft, Op. I. pag. 461. fq. — *Leven* cet. II. pag. 466. fq.

vicem damna inferre vetuerunt. Deinde per quindecim dies continuos de pace actum est, tandemque inter alia multa, quae non morabimur, conſtitutum est, ut firma atque immutabilis inter omnes Belgas pax adesſet, qua vires ſuas intenderent ad Hispanos Belgio expellendos: ut Ordines Generales convocarentur et ut Gulielmus Hollandiae, Zeelandiae Bommeliae aliorumque locorum praefecturam regis nomine tueretur, donec Ordines Generales post Hispanorum discesſum novas rationes excogitasſent (1). (Sexto Id. Nov. 1576.)

Hac pace confecta Hollandiae et Zeelandiae Ordines veriti ſunt, ne multi cives extorres in patriam redirent, bona ſua ſibi vindicarent, novaeque doctrinae inſidias ſtruerent. Quapropter ab iis postularunt, ut jurarent, ſe nihil facturos esſe, quod cum evangelica religione pugnaret neque etiam aliam religionem in Hollandiam ſe inducturos vel profesſuros esſe (2).

Hujusmodi jusjurandum, quippe Romano-Catholicis infestisſimum Gulielmus nequaquam compro-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 223. ſq. — Dinothus, Op. l. pag. 210. ſq. — Bentivoglio, Op. l pag. 250. ſq. — Bor, Op. l. Libr. IX. fol. 191. ſq. — Hooft, Op. l. pag. 475. ſqq. — Grotius, Op. l. pag. 44. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 411. ſq. — *Leven* cet. II. pag. 652. ſqq. — Wag. Op. l. pag 117. ſqq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Libr. IX. fol. 192. ſq. — *Leven* cet. II. pag. 656. ſq. — Wag. Op. l. VII. pag. 117. ſq.

probare poterat. Etenim cogitandi libertatis acerrimus erat vindex et omnes cives arctisſima concordia inter ſe devinciri vehementer cupiebat. Atqui quod Ordines exigebant jusjurandum non exſules modo, ſed reliquum quoque Belgium a concordia vehementer abſterrere videbat.

Pacem Gandavenſem admodum laete ferebat Gulielmus. Praevidit quidem, regem eam non accepturum esſe; ſed Hollandia et Zeelandia interea maximo, in quo verſabantur, periculo liberatae erant atque arctior quaedam cum reliquo Belgio iis intercesſerat necesſitudo, unde ad libertatem vindicandam optima quaeque ſperare licebat.

Caeterum hac pace, ſi ſummum imperium affectare voluisſet Gulielmus, omnia ejus conſilia inania reddita esſent. Verum, ut ſupra jam expoſuimus, talia numquam in animum induxisſe videtur. Patriam ante omnia caram habebat; ſuam ipſius potentiam minime curabat. Belgium Hiſpanorum tyrannidi liberare atque legitimo regis imperio committere vehementer cupiebat. Nil vero amplius expetebat.

Interim pace nondum confecta Joannes Austriacus Belgii gubernator a rege electus, Luxemburgiam advenit. Hic ante omnes regi idoneus videbatur, qui tumultuantes milites domaret, Belgasque ſub regium imperium reduceret (1).

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. IX. fol. 193 ſq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 254. — Hooft, Op. l. pag. 48. ſq.

CA-

CAPUT IV.

DE PRUDENTIA GULIELMI I. PRINCIPIS ARAUSIACI, IN REPUBLICA PERTURBATA, JOANNE AUSTRIACO, REGIS LOCO, IMPERIUM TENENTE A. MDLXXVI—MLDXXVIII.

§. 1

Post Requesenii e vita discessum Belgii conditio praeter modum mutata erat. Senatus contra tumultuantes Hispanos arma verterat, neque tamen hos disciplina militari continere valebat. Brabantiae, Flandriae et Hannoniae Ordines Hispanorum militum libidinem amplius ferre negaverant atque cum Hollandia et Zeelandia in pacem redierant. Quae quum ita essent, omne omnino Belgium brevi pacatum, Hispanique expulsi fuissent, nisi Austriacus, juvenis audax et bellicosus, ad turbatum

tum rerum ſtatum reficiendum in Belgium misſus esſet. Hic enim, etſi concordiae et pacis amorem ſimularet, majora animo agitabat conſilia atque, Belgis Hispanorum illimitato imperio ſubjiciendis, immortalem ſibi gloriam parare cogitabat. Pacis ſpes omnium animos occupaverat. Tempus adesſe videbatur, quo omne Belgium cum rege reconciliaretur et ad pristinam ſalutem reduceretur. De novis calamitatibus nemo fere ſollicitus erat, de recenti tantum rerum converſione omnes laetabantur et reipublicae gratulabantur.

Hujusmodi ſomniis indulgentes Belgas facile decipere poterat Austriacus, Gulielmum non poterat. Hic enim ab initio Austriaci mentem clare perſpexit, occultas, quae ſtruebantur, inſidias facile detexit, neque patriam hujus machinationibus circumveniri pasſus est.

Interea, quod dabatur, otium minime neglexit, ſed omnem operam impendit, ut urbes amiſas recuperaret, ſeque omnibus viribus contra hostes armaret. Neque hoc difficile erat expeditu, quoniam plurimae urbes armorum tantum vi Hispanorum imperio erant ſubjectae atque in Gulielmi potestatem redire vehementer cupiebant (1).

Quum timeret Gulielmus, ne Austriacus Ordines Generales dolis ſuis ac praeſtigiis falleret,

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. IX. fol. 201. ſq. — Hooft, Op. l. pag. 492. ſq.

ret, eos admonuit, ut nulla conditione cum Austriaco paciscerentur, nisi Hispanorum copias, quae tanta mala patriae intulerant, e Belgio mitteret. Deinde eos adhortatus est, ut se contra hostium insidias armare pergerent neque magnam de regis favore spem foverent. Hic enim olim propter Nobilium libellum Margaritae oblatum tanta ira conflagraverat, ut ea, quae postea evenerant non facile probaturus esse videretur (1).

His literis acceptis, Ordines Generales declararunt, se Austriacum gubernatorem accipere non posse, nisi peregrinos milites dimitteret, pacem Gandavensem agnosceret, totius Belgii Ordines Generales convocaret pristinaque jura Belgarum ac privilegia tueretur. Quas conditiones, variis artibus adhibitis, diu improbavit Austriacus atque accipere noluit. Tandem vero pactum cum Ordinibus sancivit atque gubernator receptus est (2).

Verum Gulielmus, partim mirifica sua solertia, partim vigilantia et calliditate, quibus Austriaci regisque literas nonnullas interceperat, probe sibi conscius, omnia ab Austriaco dolo malo geri, hujusmodi foedus agnoscere noluit. Qua-

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. X. fol. 195. sq. — Hooft, Op. l. pag. 484. sq. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 433. sq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Libr. X. fol. 204. sq. — Hooft, Op. l. pag. 487. sq. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 448. sq.

Quare Hollandiae et Zeelandiae Ordines admonuit, ut, quae obſtarent, Ordinibus Generalibus exponerent. Hi igitur declararunt, pactum ſuis partibus minime abſolutum esſe et vel maxime cum ea, quam profitebantur, religione Christiana pugnare. Primum Ordines, deinde ipſe Austriacus per legatos Gulielmo perſuadere magnopere ſtuduerunt, ut pactum, quod jam receptum erat, comprobaret. Austriacus ei expoſuit, ſe Hispanas, Italicas et Burgundicas copias e Belgio jam emiſisſe; quod postulatam erat, jusjurandum Ordinibus jam dedisſe; Gulielmo bona ſua et honores jam reddidisſe. Quare ad pacem faciendam nihil amplius deſiderabatur, quam quod Gulielmus Ordinesque Hollandiae et Zeelandiae eum gubernatorem proclamarent et denuntiarent (1).

Minime est, quod negemus, Austriacum res ſuas appoſite gesſisſe, magnaque calliditate uſum fuisſe, ut Gulielmus ſuis artibus irretitum teneret. Verum, etſi artificioſe et occulte Gulielmo inſidias pararet, eum tamen in fraudem adducere minime valuit.

Hic enim, cum Hollandiae et Zeelandiae Ordinibus, respondit, omnem, quae restabat, diffidentiam nullo modo facilius tolli posſe, quam pace Gan-

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. X. fol. 210. ſq. — Hooft, Op. l. pag. 497. — Van Meteren, Op. l. II. pag. 470. ſqq.

Gandavensi ab omni parte accurate exsequenda. Foedus nuper ab Austriaco et Ordinibus Generalibus ictum cum hac pace non congruere; copias Germanicas nondum e Belgio profectas esse; Gulielmo bona sua et honores nondum restituta esse eique comitem Burensem, filium, nondum redditum esse: evangelicis in reliquis Belgii provinciis et urbibus vitam degere nondum permissum esse. Praeterea se foedus comprobare non posse, qnoniam Austriaci arbitrio commissum erat, utrum Ordines tam provinciales, quam Generales convocare vellet, nec ne; quod Belgarum juri et privilegiis omnino contrarium erat. Haec aliaque similia, quae arguebant, tam vera tantique ponderis erant, ut haud facile refutari possent (1).

Hac igitur in re Gulielmi prudentia summe quoque admiranda videtur, quippe qui occultas Austriaci rationes sibi perspectas habens, ei tam strenue adversatus sit atque ita a cervicibus civitatis jugum servile dejecerit.

§. 2.

Aggeres, quibus Hollandia et Zeelandia contra maris impetus munitae erant, partim in summo rerum discrimine antea perfossi, partim tempestate et

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. X. fol. 246. sq. — Hooft, Op. l. I. pag. 510. sq. — *Leven* cet. III. pag. 34. sqq.

et undarum quasi aeſtu perfracti erant. Cui malo ut ſuccurreret, Gulielmus utramque provinciam peragravit, auxilio ſuo et conſiliis omnibus adfuit atque, ut reficerentur aggeres, curavit. Quod in ſumma plurimorum incolarum paupertate difficillimum fuisſe, quisque facile conjiciet (1).

Austriacus omni, qua potuit, arte magnam ſuam belli gerendi cupiditatem diu disſimulaverat. Verum magis ac magis conſilia ſua detexit qualisque tandem esſet, propediem ostendit. Germanicas copias, variis adhibitis rationibus, nondum dimiſerat; Hispanas vero in Luxemburgia et Lotharingia retinuerat ut, ſi bellum inſtaurasſet, in promtu esſent (2).

Gulielmus omnium, quae gerebantur, haud ignarus, Ordines Generales commonefecit, ut pacis Gandavenſis conditiones ſervarent et tuerentur. Ipſe interea varias regiones lustravit, urbes munivit, omnesque controverſias et ſimultates diremit. In quo itinere tanto civium amore ac gratia fructus est, ut laetitia exſultantium omnium eadem esſet vox: „ *venit pater* Guliemus; *pater* Gulielmus *venit!*" (3). Trajecti praefectu-

(1) Vid. Bor, Op. I. Libr. X. fol. 246. ſq. — Hooft, Op. I. pag. 511. — *Leven* cet. III. pag. 39. ſqq.

(2) Vid. Bor, Op. I. fol. X. 248. ſq. — Hooft, Op. I. pag. 511.

(3) Vid. Bor, Op. I. Libr. X. fol. 254. ſq. — Hooft, Op. I. pag. 527. — *Leven* cet. III. pag. 46. ſq.

tura, quam olim obtinuerat, etiam destitutus erat. Itaque hac de re cum Ordinibus egit, et, quo melius hoc perficeret, ipse Trajectum profectus est. Cives, pro mirifico suo in Principem favore, advenientem summo, quod variis modis prodebatur, gaudio, exceperunt. Paullo post Gulielmum inter et Ordines pactum initum est, quo eum certis quibusdam conditionibus praefectum suum rursus agnoverunt et proclamarunt (1).

§. 3.

Austriacus, belli gerendi cupiditatem reprimere haud amplius valens, Namurcae arcem dolo cepit. Haec enim aptissima erat, ad Hispanas Germanasque copias recipiendas, simul atque bellum contra Ordines susciperet. Tum Ordines Generales, qui omnem spem suam in Austriaci lenitate posuerant, formidoloso coepto perterriti ea, quae praesagiverat Gulielmus, jam evenire viderunt atque quo se verterent plane nesciverunt. Quoniam nihil omnino mali suspicati erant et praeterea pecuniae penuria premebantur, copias suas maxima parte dimiserant. Quare satius duxerunt, quacumque tandem possent conditione cum Austriaco pacisci, quam belli periculosi ancipi-

(1) Bor, l.l. — Hooft, l. l. — *Leven* cct. III. pag. 48. sq.

pitem fortunam experiri. Hic vero callide iis respondit: se minime novum bellum moliri, sed arcem Namurcae tantum cepisse, ut se contra nonnullorum insidias tueri posset. Pacem Gandavensem se servaturum promisit, si Ordines Romano-Catholicam religionem regisque auctoritatem integras servare haud negarent. Quum vero Gulielmus Ordinesque Hollandiae et Zeelandiae pacem Gandavensem exsequi nolle viderentur, omni cum iis amicitia, Ordinibus Generalibus interdixit simulque operam suam ad Belgium pacandum Ordinumque Generalium auctoritatem confirmandam conferre pollicitus est (1).

Haec erant Austriaci consilia. Belgas, qui nuper, magna parte, arctiore vinculo conjuncti erant, sibi invicem hostes reddere atque contra Gulielmum bellum gerere vehementer cupiebat. Hanc ob rem Gulielmum variis modis accusavit ejusque fidem Ordinibus suspectam facere summopere studuit. Verum quidem est, Gulielmum pacem Gandavensem non in omnibus tenuisse, sed ipse quoque Austriacus eam non tenebat. Gulielmus ingenti labore et virtute Hollandiam et Zeelandiam contra hostium impetus defenderat. Ubi igitur Austriacum occultas in-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 266. — Bentivoglio, Op. l. pag. 268. sq — Bor, Op. l. Libr. X. fol. 255. sq. — Hooft, Op. l. pag. 515 et 528.

insidias parare et, quod Albanus et Requesenius armorum vi efficere haud potuerant, dolo conari videret, suum erat in consiliis persistere et has provincias incolumes servare. Neque dubium erat, quin fraude uteretur Austriacus. Testis erat omnis ejus agendi ratio, testis erat Namurcae expugnatio, testes denique erant variae Austriaci, quas interceperat Gulielmus, literae.

Quare cum multos et inprimis Ordines Generales omnium, quae parabantur, fraudium ignaros videret Gulielmus, literae interceptae ut describerentur omnibusque patefierent, curavit (1). His li-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 272. sqq. — Bor, Op. l. Libr. XI. fol. 263. sqq. — Hooft, Op. l. pag. 423. sq. — Dinothus, Op. l. p. 240. sq. — Bentiviglio, Op. l. pag. 270. Apol. cet. pag. 127, ubi inter alia haec leguntur: „ Ende hoewel dat onse vijandt hier geerne woude de saken „ vervalschen ende met een momaansicht bedecken: zoo konnen wij nochthans t'selve doen blijcken bij de brieven, die „ wij hebben met s'Coninex eigen handt ghetekend ende bij „ eenen van de Secretarissen van sijne Staten gecontresigneert, ende met 's Konincks wapen ende signet ghesegelt, „ die genoeg betuijgen, wat hij Don Jan belast ende bevolen „ hadde; dewelke brieven men heeft laten printen ende publiceeren, om van allen man ghesien ende ghelesen te werden, „ ende daer is tot noch toe geen Spaengiaert soo onbeschaemt „ gheweest, die deselven heeft durven twijffelachtich maken. „ Door de voorschreven brieven zijn wij geleerd worden, dat „ alle den onderscheyt, die daar was tusschen Don Jan ende „ tusschen den Hertoge van Alva ende Loys van Requesens was dese, namelick, dat Don Jan veel jongher ende

literis Austriaci simulationem edocti, omnium animi ab eo aversi sunt atque circumspicere coeperunt, quanam ratione se contra eum armarent. Interea Gulielmus Hollandiam et Zeelandiam non tantum munivit, sed Brabantiam quoque Austriaco opponere molitus est. Itaque Bredam munitissimam urbem, quam nondum, uti pace Gandavensi constitutum erat, tradiderant Hispani, calliditate expugnavit (1).

§. 4.

Quum Ordines Generales bellum imminere viderent, arma pararunt et Gulielmi Ordinumque Hollandiae et Zeelandiae auxilia implorarunt (2). Paullo post ipsum Gulielmum rogarunt, ut Bruxellas veniret et cum iis de patriae salute consilia iniret. Formidolosum sane iter et magnis difficultatibus obnoxium. Verum Gulielmi patriae amor, qui tot jam tantaque onera exantlaverat

„ de onvoorsichtiger was, dan de andere, ende dat hij niet en „ konde sijn vergift soo langen tijd bergen, noch sijnen last „ secreet houden ofte veynsen, daartoe sijne handen glinsteren- „ de ende brandende van begeerte om deselve in onsen bloede „ te baden, niet en wisten te bedwingen noch 't onthouden."

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XI. fol. 274. sq. — Hooft, Op. l. pag. 529. — *Leven* cet. III. pag. 81. sq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Libr. XI. fol. 284. sq. — Hooft, Op. l. pag. 533. — *Leven* cet. III. pag. 95. sqq.

rat tantaque pericula adierat hic quoque vicit. Regionem hostibus atque inimicis repletam non reformidabat; vitae ſuae periculum facere non timebat, ſi patriae commodis prodesſe poterat.

Bruxellas, ſummo honore civiumque gaudio ornatus, adveniens, Ordines ſtatim admonuit, ut copias ſuas contraherent, atque Austriacum ſine ulla mora Namurcae obſiderent. Verum Ordines, regiam auctoritatem etiam nimium venerabantur, quam ut ipſum Gubernatorem vi adoriri auderent (1). Melius ſane fecisſent, ſi Gulielmi conſilio obſecuti esſent neque Austriaco tempus concesſisſent, quo primus arma ſusciperet.

Antequam bellum, quod imminebat, exardesceret, Ordines, conſentiente Gulielmo, cum Austriaco iterum de pace agere decreverunt. Itaque legatos ei miſerunt, qui pacis conditiones proponerent. Postularunt, ut pax Gandavenſis ſervaretur, ut milites extranei dimitterentur et ut Belgium a rege et Ordinibus regeretur. Haec vero Austriaco, qui bellum ante omnia cupiebat, minime placuisſe, quisque facile intelligit (2).

§. 5.

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XI. fol. 285. ſq. — Hooft, Op. l. 533 ſq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 41. — *Leven* cet. pag. 100. ſq.

(2) Vid Bor, Op. l. Libr. XI. fol. 287. ſq. — Hooft, Op. l. pag. 435. — *Leven* cet. III. pag. 113. ſq.

§. 5.

Dum bellum utrimque comparabatur, Ordines a Joanne Casimir, Electore Palatino auxilium petiverunt. Hic in Pelgas admodum propensus copias mittere promisit Ordinesque commonuit, ut Gulielmum rebus suis praeficerent, quippe qui jam diu et prudentiae suae et patriae amoris praeclara indicia praebuisset (1).

Brabantia antea praefectum non habuerat; sed gubernatoris imperio fuerat subjecta. Quum igitur gubernatorem non amplius agnoscerent, Ordines Gulielmum praefectum elegerunt (2). Tantus in Gulielmum collatus honor reipublicae certe magnopere prodesse potuisset, nisi obstitisset nonnullorum Procerum invidia et obtrectatio, qui tantam Gulielmi potentiam aegre tulerunt ejusque consiliis saepius adversati sunt.

Mala inde exorta a nonnullis Gulielmo tribui solent, quasi vero imperandi cupiditate proreptus nimiam potestatem sibi vindicasset. Fateor equidem, Gulielmum honoribus sibi oblatis valde laetatum esse: etiam illud adjungo, eum,

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. XI. fol. 287. — Hooft, Op. l. pag. 531. — *Leven* cet III. pag. 130. sq.

(2) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 281. — Bor, Op. l. Lib. XI fol. 303 sq. — Hooft, Op. l. pag. 569. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 41. sq.

eum, si qua posset, eos appetivisse (1): atqui idem ego contendo, eum ita iis usum fuisse, ut dubium esse nequeat, utrum suam ipsius gloriam et potentiam, an patriae salutem sibi semper ante oculos posuerit. Quapropter, si nonnullorum malivolentia, ejus imperio reluctans, reipublicae magna damna intulit, hujus rei culpa minime in Gulielmum, sed tantum in ejusmodi hominum perversitatem conjicienda est. Excellentes viri, qui eximia virtute ac singulari prudentia patriam salvam reddunt, a lividorum hominum invidia, quod historia abunde testatur, immunes esse non solent. In memoriam revocemus Miltiadem, Aristidem, Cimonem, Camillum, Ciceronem aliosque summos viros, patriae aliquando exsules. Quis tandem est, qui hisce omnibus hanc neget laudem, quod, suis ipsorum commodis postpositis, patriam servare et pro ea vitae suae periculum facere, nihil aliud, mente agitarint. Quam cum

(1) Hoc tamen certo certius affirmare non audeo, praesertim quia haec ipse negavit Gulielmus, Apol. cet. pag. 142, ubi haec ejus sunt verba: „Belanghende 't ghene datze ons voor„houden, dat wij ons zouden met gewelt ende oproer van de „ghemeijnte, teghen den wille van de Staten, hebben doen „verklaren voor Ruwaert ende Schermheer van Brabant. Gij „zult noch wel indachtig zijn, Mijne Heeren, dat wij ulie„den nooit geen woordt daarvan gesproken, noch eenigzins „'t zelve bij ulieden verzogt ofte daarom aanghehouden „hebben: maar wel ter contrarien, dat wij grooten weder„standt ende weijgeringen daar teghen deden."

cum his impertiri facile patiamur laudem, an huic nostro denegabimus? Quid? pii gratique animi sensum restinguemus, innumera, quae a patre illo patriae accepimus, bona non recordabimur, mala tantum, quae, eo invito, irrepserunt ei tribuemus. Minime vero. Gulielmi virtus ac gloria illibata servanda et cum omni posteritate adaequanda est.

§. 6.

Interea nonnulli Belgarum Proceres, quos inter Aerschotius, Montignius, Reuxius aliique clam consilia inierunt, quanam potissimum ratione Gulielmi potentiam diminuerent et coarctarent. Tandem Matthiam Archiducem Austriacum totius Belgii gubernatorem eligere et arcessere constituerunt. Indignum sane facinus! quo Ordinum jus imprudenter invaserunt. Matthias tanti honoris valde cupidus brevi tempore in Belgium advenit. Gulielmus et Ordines Generales Procerum audaciam aegre quidem tulerunt; sed Matthiam humane, uti decebat, exceperunt atque deinde cum eo agere constituerunt (1).

Aer-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 285. — Bor, Op. l. Lib. XI. fol. 304. — Hooft, Op. l. pag. 537. sq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 274. sq. — Dinothus, Op. l. pag. 251. sq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 42. sq. — *Leven* cet. III. pag. 136 sq.

Aerschotius, Flandriae praefectus creatus, Gandavum profectus est. Cives eum primum laete exceperunt; sed postquam Gulielmum maledico dente carpserat, magnas civium seditiones movit atque a dissoluta et veluti furibunda turba carceri inclusus, imprudentiae suae aliquamdiu poenas dedit. Quibus auditis, Gulielmus primum per legatum Aerschotium liberare jussit, deinde ab Ordinibus Flandriae rogatus, Gandavum profectus est atque auctoritate sua et sapientia motus civiles repressit (1).

Gulielmus Ordinesque Hollandiae Amstelodamum sibi subjicere diu studuerant. Ordines armorum vi, Gulielmus vero, quemadmodum semper, lenitate uti capiebat. Quum vero de conditionibus inter eos convenire non posset, Ordines Trajectini mira opera effecerunt, ut urbs aequis conditionibus Gulielmo praefecto subjiceretur. Quo pacto Ordines Trajectini haud exiguam gloriam sibi compararunt patriamque magno sane beneficio obstrinxerunt.

Quum vero qui urbi praeerant tam Hispanis, quam Romano-Catholicae religioni essent addicti multique Evangelici in urbem redirent, Gulielmo ra-

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XI. fol. 308. sq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 275. sq. — Hooft, Op. l. p. 508. sq. — Van Meteren, Op. l. pag. 45. sq. — *Leven* cet. III. pag 143. sq.

ratum videbatur, novum magistratum creare. Quod prudentia sua et calliditate facile perfecit (1).

Interea Aerschotius aliique Gulielmi obtrectatores, insana invidia ducti, rempublicam conturbare, Gulielmo, quocumque tandem possent modo, adversari summopere enitebantur. Gulielmus vero, omnem contumeliam, clam sibi illatam, dissimulans, omnibus inusitata sua dicendi arte persuasit, ut Matthiam Belgio praeficerent, quo omni discordiae finis imponeretur.

Neque haec res effectu caruit. Brevi enim conditiones confectae sunt atque summum Belgii imperium in Matthiam collatum est. Praeterea Gulielmus in Brabantiae praefectura, dum bellum gerebatur, confirmatus est atque Matthiae, quippe juveni, in rebus Belgicis minime versato, vicarius adjunctus est (2). Laudabile sane consilium patriaeque commodis optime inserviens. Non est, quod hoc loco disquiramus, an Ordines Generales tantum honorem sua sponte in Gulielmum contulerint, num vero hic per amicos rem eo perdu-

(1) Bor, Op. l. Libr. XI. fol. 203. sq. et 210. sq. — Libr. XII. 3. sq. et 26. sq. — Hooft, Op. l. pag. 44. sq. 252. sq. et 563. sqq. — Van Meteren, Op. l. III. 101. sq. — Wagenaar, Op. l. VII. pag. 185. sq.

(2) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 286. sq. — Bor, Op. l. Libr. XII. fol. 7. sq. — Dinothus, Op. l. pag. 275. sq. — Hooft, Op. l. pag. 548. sq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 65. sq. — *Leven* cet. III. pag. 175. sq.

duxerit. Nihil omnino obſtat, quominus prius illud credamus (1). Etenim Ordines, cum Matthiae aetatem, ingenium, tenuitatem, tum Gulielmi ſolertiam, fidem, auctoritatem, rerumque Belgicarum uſum probe noverant, ſibique perſuaſum habebant, Matthiam rempublicam nullo modo gubernare poſſe, niſi Gulielmi prudentia ſustentaretur.

§. 7.

(1) Si Gulielmo, veritatis illi acerrimo vindici fidem haud negamus, hac de re dubitare omnino non licet. Ita enim in Apol. cet. pag. 143, ipſe teſtatus eſt: „ Selfs aengaende „ van 't lieutenantſchap generael, eer wij dat wouden aenveer„ den, wij hebben al voren begeert 't advijs ende de ver„ williginge van de hoofden, die in onſen legher waren, de„ welke ſeer onlanghs daer naer wert in de vlugt gheſlagen, „ (wij en willen nu niet ſegghen door wiens faute 't zelve „ is bijgekomen) ende ſij ſonden ons 't voorſchreven ad„ vijs over met haren eijghen hand gheteekend, d'welck noch „ onder ons is berustende. So nu daerenboven ſommige uijt „ den gemeynen volcke deze verkieſinghe voort ſtierden ende „ zeer ernstlick aendreven, hoewel wy om 't zelve te doen, „ nog niemand ghebeden noch aengeſocht hadden; nochthans „ wij moeten wel bekennen, datſe in de ſaken van deſe „ landen doe ter tijdt veel wijzer ende voorzienigher waren „ dan wij ſelve. Want zij wisten wel van te voren, ende „ zaghen 't voor ooghen, hoe dat ſe latende alle de hande„ linghen ende adminiſtratie van de gemeyne ſake in de han„ den van deze ghespagnoliſeerde luijden, eyndelijk ſouden „ bevinden, datſe op een zeer licht ende onvaste zandt zoo„ danigh een ghebouw ghetimmert hebben."

§. 7.

Austriacus omnium, quae gerebantur, conſcius veteranos Italos, Hispanos, Gallos, et Germanos collegit atque ita magnum exercitum comparavit. Gulielmus omni, qua potuit, industria copias contraxit, Ordinesque adhortatus est, ut omnes vires ad Austriacum repellendum et profligandum intenderent. Verum reluctante nonnullorum invidia et Ordinum inertia, quod voluit, efficere non potuit. Exercitu enim nondum parato, Austriacus repente advenit, aciem ſtruxit, cum invitis proelium commiſit et victor exſtitit (1).

Hac clade accepta, plerique Belgae omni ſpe exciderunt, turbas moverunt, tantaeque calamitatis cauſam in Ordines contulerunt. Itaque nova respublica denuo corruisſet, niſi Gulielmus ei auctoritate ſua ac prudentia ſuffragatus esſet. Hic enim admonitionibus ſuis cives, de patriae ſalute praeter modum ſollicitos in meliorem ſpem adduxit, atque copiis ex Hollandia et Zeelandia arcesſitis, urbes munivit. Praeterea Ordines commonuit, ut tantum exercitum inſtruerent, quanto ſe non tantum contra Austria-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 290. ſq. — Bor, Op. l. Libr. XII. fol. 12. ſqq. — Hooft, Op. l. pag. 554. ſq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 280. ſq. — Dinothus, Op. l. pag. 260. ſq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 92. ſq.

striacum defendere, verum etiam hostem patria expellere posfent. Atqui pro mirifica illa, qua pollebat, fapientia, iis fimul expofuit, magnum exercitum patriae nihil omnino expedire, nifi vias indagarent, quibus tantum exercitum continere debitaque ftipendia folvere posfent (1).

Quum Wormatiae comitia haberentur Matthiae, Gulielmo Ordinibusque ratum vifum est, fuos quoque ad ea legatos mittere, qui rerum Belgicarum ftatum exponerent principumque auxilium implorarent. Quae res hunc effectum habuit, ut principes plerique Belgis magis ac magis favere inceperint (2).

Eodem fere tempore Gulielmus Joannem fratrem pro eximiis in patriam collatis beneficiis remuneravit atque effecit, ut Gelriae praefectura ornaretur (3).

§. 8.

Jam diu evangelici nihil antiquius, nihil optabilius habuerant, quam ut ubique conciones facras ha-

(1) Vid. Bor, Op I. Lib. XII. fol. 23. — Hooft, Op. I. pag. 568. fq. — *Leven* cet. III. pag. 291. fq.

(2) Vid. Bor, Op. Lib. XII. fol. 26. fq. — Hooft, Op. I. pag. 571. fq. — Bentivoglio, Op. I. pag. 288. fq. — *Leven* cet. III. pag. 200. fq.

(3) Vid. Bor, Op. Libr. XII. fol. 36. — Hooft, Op. I. II. pag. 588. — *Leven* cet. III. pag. 201.

habere ſibi liceret. Quare Matthiae Ordinibusque libellum obtulerunt atque petierunt, ut religionis libertas iis concederetur. Verum, cum de hac re illo tempore agere admodum difficile esſet, huic rogatui ſatisfieri non potuit. Gulielmus tamen curavit, ut interea Antverpiae Evangelicis aedes deſignarentur, in quas convenire posſent, donec Ordines totius Belgii Generales alia hac de re decernerent (1).

Multis ſane difficultatibus haec res erat implicata, quoniam Brabantia, Flandria et Hannonia, maxima parte, Romano-catholicae doctrinae addictae erant. Accedebat, quod propter Eliſabethae et Electoris Palatini auxilium de doctrina ſua magis etiam erant ſollicitae. Quapropter vehementer petiverunt, ut cum Valesio Romano-catholicae religioni addicto (2), qui jam pridem auxilium ſuum promiſerat, ageretur. Itaque brevi post cum hoc duce pactum initum est, quo decem millia equitum per tres menſes hostibus opponere, deinde minori manu opem ferre promiſit (3). Interea Gulielmi maxime industria tantum exercitum comparaverant Or-

(1) Vid. Bor, Op. Libr. XII. fol. 37. ſq. — Hooft, Op. I. pag. 587. ſq. — *Leven* cet. III. pag. 202. ſq.

(2) François de Valois, antea duc d'Anjou, postea vero duc d'Alençon.

(3) Vid. De Tassis, Op. I. pag. 323. — Bor, Op. I. Libr. XII. fol. 42. ſq. — Hooft, Op. I. pag. 591. ſq. et pag. 597. ſq. — Van Meteren, Op. I. III. pag. 149. ſqq.

Ordines, ut Austriacum iterum proelio inhiantem debellare et Namurcam propellere posſent (1). Verum inſanae de religione controverſiae omnia perturbarunt et prohibuerunt, quominus vectigalia debita ab omnibus penderentur. Qui novae doctrinae erant addicti, potentia ſua in dies crescente male uſi, Romano-catholicis infestos ſe praebuere. Quo factum est, ut Walones, qui ſe praeſenti rerum ſtatu non contentos (2) profitebantur, arma contra evangelicos verterint.

Gulielmus cogitandi libertatem cuique permittere ſemper cupiens, nuper teleio-baptistis Medioburgenſibus auctoritate ſua affuerat (3). Verum, omnibus rebus in pejus verſis, per omne Belgium de religione pacem conficere conatus est. Quae res tamen effectu caruit.

In tanto rerum ſtatu, repentino morbo arreptus, Austriacus diem ſupremum obiit (4). Cui Alexander Farnesius princeps Parmensis, qui jam per aliquod tempus in Austriaci exercitu militaverat ſuscesſit.

(1) Vid. De Tassis, Op. I. pag. 321. ſqq. — Bor, Op. pag. 216.
I. Libr. XII. fol. 51. ſq. — Hooft, Op. I. pag. 593. ſqq. — Bentiviglio, Op. I. pag. 563. — Van Meteren, Op. I. III. 156. pag ſq

(2) Vulgo *malcontenten* dicebantur.

(3) Vid. Bor, Op. I. Libr. XII. fol. 56. — *Leven* cet. III. p. 216.

(4) Vid. De Tassis, Op. I. pag. 325. ſqq. — Bor, Op. I. Libr. XII. fol. 65. — Hooft, Op. I. II. pag. 802. ſq.

CA-

CAPUT V.

DE PRUDENTIA GULIELMI I. PRINCIPIS ARAUSIACI, IN REPUBLICA PERTURBATA, ALEXANDRO FARNESIO, PRINCIPE PARMENSI, REGIS LOCO, IMPERIUM TENENTE. A. MDLXXVIII—MDLXXXIV.

§. 1.

Postquam Requesenius ex hominum vita demigraverat, respublica vires suas magis ac magis collegit atque eo fere pervenit potentiae, ut Hispanorum vim continere eosque expellere potuerit. Verum ubi Parmensis, qui cum astutia, miram quandam moderationem conjunxerat, gubernator designatus esset, ubi exitiosae Walones inter et Gandavenses exarsissent contentiones, omnis pacis spes denuo evanuit novisque aerumnis exagitari incepit respublica.

Gu.

Gulielmus magno animi robore et conſtantia omnem operam navare perrexit, ut praeposterum evangelicorum ardorem restingueret et omnem discordiam, reipublicae veluti pestem, dirimeret. Hanc ob cauſam per legatos civium motus placare et Walones cum Gandavenſibus in gratiam reducere conatus est. Frustra. — Gandavenſium furor nulla amplius ratione coerceri poterat, omnes diro Romano-catholicorum odio conflagrabant, monasteria deripiebant, omnique ſaevitia ac inſolentia exſultabant.

Itaque Gulielmus ipſe Gandavum petivit, turbulentos civium animos ſedavit atque pactum conſtituit, quo et evangelici et Romano-catholici in templis iis deſignatis conciones ſacras habere ſummumque Numen, ſuo quisque modo, colere posſent. Itaque ſeditionis flammam niſi prorſus exſtinguere potuerit, aliquamdiu ſaltem represſit (1).

§. 2.

Haec erat Gulielmi indoles, ut praeſentem rerum ſtatum non tantum curaret, ſed futura quoque, quatenus hoc miſeris mortalibus datum ſit, miro ingenii acumine investigaret. Mirifica hacce, qua pollebat, mentis acie, ingentes procellas patriae

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 330. ſq. — Bor, Op. l. Libr. XIII. fol. 68. ſqq — Hooft, Op. l. pag. 230. — *Leyen* cct. III. pag. 239. ſq.

triae exitium minitantes, opportune ſaepius avertit. Praeclare igitur perſpexit, ſe, cum propter nonnullorum Procerum invidiam, tum propter continuas de religione ſuscitatas turbas, totum Belgium, quod ab initio ſperaverat, uno ſocietatis vinculo continere non posſe. Nec mirum. Etenim decem, quae ad meridiem jacent, patriae noſtrae provinciae, hoc ſemper habuere et hodie quoque vel maxime habent, velut ingenitum, ut iis, quibus gaudeant, bonis nequaquam contentae, nova ſemper moliantur majoraque appetant. Invidia et nescio qua mentis pravitate ductae Principibus ſuis diffidunt, avida ſemper animo gestiunt deſideria, quae ſimul atque expleantur alia pariunt. Quae omnia eccleſiasticorum machinationibus et nobilium ambitioni vel maxime tribuenda esſe, nemo non vidit.

Quum igitur Gulielmus praevideret, magnam Belgii partem propediem a ſe defecturam et in regiam potestatem redituram esſe circumſpicere coepit, quanam potisſimum ratione ſeſe contra Hispanos tueretur. Hollandia et Zeelandia antea belli onus magna quidem firmitate exantlaverant; verum diuturno bello adeo erant debilitatae, ut Hispanorum exercitum, in dies viribus crescentem, repellere omnino non posſent. Quapropter respublica amplius ſtare non posſe videbatur, niſi ſeptem, quae ad ſeptentrionem vergunt, provinciae arctiore foedere conjungerentur. Haec res magnis

ſa-

ſane implicata erat difficultatibus: partim, quia omnes hae provinciae non facile ad unum idemque propoſitum conduci poterant, partim, quia pace Gandavenſi omne omnino Belgium foedere erat conjunctum. Gulielmus igitur prudenter omnino per homines quosdam patriae amantisſimos, varias provincias ad foedus clam allicuit, deinceps foedus clam conſtituit et ſtabilivit. Postea vero, ubi id fere ab omnibus, immo a Matthia, comprobari videret, palam profesſus est, ſe haec omnia rata habere. Antea palam agere non poterat, quia timendum erat, ne accuſaretur, qui pacem Gandavenſem negligens, ſeptem provincias reliquis hostes reddere voluisſet. Ubi vero foedus ſancitum est, clare patuit id minime tendere ad pacem Gandavenſem labefactandam, verum ad eam magis etiam confirmandam.

Omnia, quae hoc foedere (Decimo Kal. Jan. a. 1579) conſtituta ſunt enarrare et explicare nimis longum foret. Quare ejus ſummam, uti apud Grotium legitur, hic tradidisſe ſufficiat (1).

„ Indivulſos nexosque inter ſe, haud alia res-
„ publica, quam ſi una gens esſent, pacem, in-
„ du-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 339 ſq. — Bor, Op. l. Libr. XIII. fol. 78. ſqq. — Hooft, Op. l. II. pag 638. ſqq. — Grotius, Op. l. pag. 63. — Dinothus, Op. l. pag. 291. ſq. — *Leven* cet. III. pag. 246. ſqq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 251. ſq. — Wagenaar, Op. l. VII. pag. 247. ſq.

„ ducias, nova bella, tributa non habituros, ni-
„ ſi quae univerſi jusſisſent. In ſocietatibus con-
„ trahendis et caeteris conſultationibus valitura ma-
„ joris partis ſuffragia et ſi qua disſidia orirentur,
„ de iis concilia, aut praefectorum judicium fore.
„ Objecta hostibus munirentur, neu quis praeſi-
„ dium recuſaret, darentque operam ſinguli, ut
„ in tributis et nummi pretio aequalitas ſervare-
„ tur. Hollandis Zeelandisque ſua et una in pu-
„ blicum religio, caeteris nationibus eandem, an
„ alteram, an utramque mallent, ipſarum arbitrio
„ permittebatur. Adacti in haec verba rectores,
„ magistratus, conſilium cujusque urbis et ſodali-
„ tates."

Hujus foederis, quo deinde innisa est Belgarum respublica, cum primis Gulielmus auctor habendus est. Qua re omnes Belgii cives, aequales non tantum, verum etiam posteros, immortali beneficio obſtrinxit (1).

§. 3.

(1) Operae pretium est, ut ipſius Gulielmi in Apol. cet. pag. 158. de hac re dicentis verba hoc loco tranſcribamus.
„ Sy vinden uyt der maete kwaet de verſamelinghe ende ver-
„ gaderinghe van de ghedeputeerde van ettelicke ſteden ende
„ landen binnen der ſtadt van Wtrecht, om aldaer een nieu-
„ we confederatie ende verbintenisſe te ramen ende te ſluy-
„ ten, etc. Maer uyt wat oorſaken? om dat ſe voor quaet
„ houden alle 't gene dat ons lieder goet is, ende rekenen
„ tot harer ſchade ende verderſſenis te dienen, 't ghene dat
„ ons lieder behout ende welvaart is. Zy hadden alle hare
ho-

§. §.

Dum haec geruntur Parmensis ſtrenue operam dedit, ut partem Belgii meridionalem in ſuas par-

„ hope geſteld op onſe oneenigheydt; zy hadden alreede ſommige provintien gepractiſeerd ende over hare zyde gebracht, „ die even zoo veel verſcheyden raedtſlagen hebben ghehadt „ als daer maenden in 't jaer zyn: oock hadden ſe tot harer „ handt ſommige vergiftighe luyden, die hen midden onder „ ons lieden hielden. Na wat hulpe ende remedie tegen de „ oneenigheyd hadde men beter konnen uytſien dan eenigheydt: ende wat gewiſſer oft bequamer preſervatief tegen „ het fenyn der tweedrachtigheydt dan eendrachtigheydt? „ Door 't middel van de welke alle haer beworp ende bedryf, „ alle haere raedtſlagen by nachte gehouden, ende haer heymelick verſtandt zyn in eenen oogenblik verſpreidt ende „ verſtroyt worden: want Godt, (die een Godt is des vredes „ en der eendrachtigheid) woude daermede bewyzen, hoe „ groot een afzien ende grou, dat hy van bedrieghelicke tongen heeft, ende hoe lichtelick, dat hy zulke valſche ende „ vervloeckte aenſlagen kan omverre ſtooten ende omkeeren. „ Siet, myne Heeren, wat een open velt, dat wy hen laten, „ om te mogen tieren ende baren, ende hen ongherust genoegh te ſtellen. Wy bekennen haerlieden, dat wy de Unie „ eerst gedreven hebben, dat wyſe daer naer gevoordert hebben, ja dat wy ons beneerſtigt hebben, dat ze mochte onderhouden worden. Ende wy ſeggen uliedcn noch meer, „ jae ſeggen het zoo luyde, dat wy wel begeerden, dat het „ niet zy alleene, maar ook de geheele wereld hoorde: onderhoudt uwe Uuie wel: bewaert uwe Unie wel. Doch „ ziet neerſtigh toe, myne Heeren, dat ghy niet alleene met „ woorden of by geſchrifte, maer ook met der daedt ter

„ exe-

partes traheret, regioque imperio denuo ſubjiceret. Praeterea bellum, quam potuit, fortisſime inſtruxit et Trajectum ad Moſam magna militum manu circumſedit.

Gulielmus hanc urbem ante omnia ſervare cupiens, conſentiente Matthia, Ordines Generales Antverpiam convocavit. Ibi omnes admonuit, ne quid praetermitterent, quo pecuniam colligere, exercitum comparare urbemque obſesſam ſublevare posſent. Verum, dum hi cunctando et dubitando diem terebant, miſera urbs ingenti hostium impetu capta est (1).

Illo tempore Rudolphus Germaniae imperator Belgas cum rege in gratiam reducere ſummopere conatus est. Hunc in finem legatos ſuos Coloniam Agrippinam miſit, ut cum regis Ordinumque legatis de pace ageretur. Verum res eo jam pervenerat, ut Belgae cum rege haudquaquam reconciliari posſe viderentur. Etenim rex odio nimis exacerbatus erat Hiſpanorumque arma nimis proſpera erant, quam ut ab inſtituto ſuo, imperio ſcilicet illimitato perſequendo, recedere vellet. Regis in-

„ executie ende in 't werk ſtelt, 't geen, dat het bundelken
„ pylen met eenen bandt 't zamen geknoopt ende gebonden,
„ het welcke ghy in uwe zeghel voert, medebrengt ende
„ beduyt."

(1) Vid. Bor, Op. l. Lib. XIII. fol. 102. ſq. — Hooft, Op. l. pag. 636. ſq. — *Leven* cet. III. pag. 299. ſqq.

indoles Gulielmo adeo innotuerat, ut ei fidem habere nullo modo posſet. Qui enim antea, ſumma perfidia uſus, pristina foedera Belgarumque jura turpiter violaverat; quid quaeſo ab ejusmodi rege exſpectare licebat? Quomodo, etſi novum ſanciretur foedus, ei credere quisquam posſet. Praeterea bellum non temere ſusceperat Gulielmus. Belgarum jura intacta reddere, cogitandique libertatem iis vindicare ſummopere eniſus est. Haec ab initio ſibi propoſuerat, haec indefesſo labore et conſtantia appetiverat atque apud animum conſtituerat non prius ab armis discedere, quam inſtitutum ſuum perfecisſet. Itaque Ordinum legati cogitandi libertatem ante omnia urſerunt. Quam quum nullo pacto concedere vellet Philippus, Imperatoris conatus eum, quem ſperaverat, exitum habere non potuerunt (1). Itaque minime opus est, ut quaeramus, num Gulielmus rei ſuae privatae rationem habens, pacem flagitaverit. Multae praeterea, eaeque ſat graves aderant cauſae, quare Belgae illo tempore cum rege concordiam conferre omnino non potuerint.

Eodem tempore cum Gulielmo ſeorſim egit Phi-

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 348. ſq. — Bor, Op. l. Libr. XIII. fol. 104. ſq. — Grotius, Op. l. pag. 61. ſq. — Hooft, Op. l. pag. 640. ſq. — Bentivoglio, Op. l. pag. 317. ſq. — Dinothus, Op. l. pag. 306. ſq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 280. ſqq.

Philippus eique pollicitationibus perſuadere conatus est, ut Belgium relinqueret (1). Incertum est, quales eae, quas propoſuit Philippus, conditiones fuerint. Si vero rei privatae tantum incumbere voluisſet Gulielmus, eas belli periculoſi incerto exitui praeferre potuisſet. Verum a tanta avaritia vehementer abhorrebat. Excelſi ac propemodum divini animi vir patriam ante omnia caram habebat. Ut haec ſalva redderetur, magnis ſuis, quibus olim valebat, divitiis haud pepercit, ipſe vitae ſuae periculum fecit, fratresque fortisſime pugnantes ceciderunt. Hollandiae et Zeelandiae olim fidem dederat, ſe cum Philippo nequaquam pacturum esſe, niſi ipſae conſentirent. Quid igitur? An ab optimo illo, quod ſibi ante oculos poſuerat, inſtituto recederet, fidem datam violaret turpemque quietem, nobili pro patria certamini anteponeret? Non ita ſane. Eadem etiam pectori infixa erat virtus. Singularis patriae amor, quo ſemper imbutus erat, animum etiam perfundebat, diuturna malorum perpesſione haudquaquam debilitatus, verum etiam, ſi fieri potuerit, excitatus erat. Patriae fortunam ſuam condonare, pro patria vivere ac mori: haec ſibi optabilia, haec glorioſa ducebat (2).

§. 4.

(1) Vid. Grotius, Op. l. pag. 66. — *Leven* cet. III. pag 306. ſq. Wagenaar, Op. l. VII. pag. 313. ſq.

(2) Videat. omnino Apol. cet. pag. 169 et 170, ubi inter

 alia

§. 4.

Gulielmus jam saepe antea motus civiles Antverpiae sedaverat. Verum illo tempore, quo Co-
lo-

alia haec egregia verba legimus: „ Soo sy dan ons hebben
„ eenighe beloften ofte presentatien (alsoo se seggen) tot on-
„ sen grooten voordeele gedaan, ende zoo wy dezelve gewey-
„ gerd hebben aen te nemen; wat konnen sy daer in anders
„ straffen ende schelden, dan onse standtvastigheyd en trou-
„ we Gode ende den Vaderlande bewesen, dewelcke wy
„ voor alle 't goet van der werelt voorghestelt ende hoogher
„ dan al 't zelve gheacht hebben. En wilt niet ghedenken,
„ mijne Heeren, dat wy soo grooten lust ende begeerte hebben
„ eeuwiglick te slaven ende arbeyden, of soo groote moeyte
„ ende last op onsen hals te nemen, daer toe veel quaets te
„ moeten horen spreken, ende soo valschelick beschuldight te
„ werden, niet alleene van onse vrienden te wesen, ende
„ die in ons niet weinig ghehouden en zyn: ja soo langhen
„ tijdt van onse goeden berooft te syn, ende te moeten sien
„ onsen lieven Sone in wreder gevangenisse so lange ghe-
„ houden, boven dien ons selven met groote machtige schul-
„ den belast te vinden: dat wanneer dat wy de middelen sa-
„ ghen te kryghen, om van zoo groote swarigheden eens een
„ eynde te maken, wy niet en souden als andere menschen
„ van der werelt slachten, die alle gelijck liever ruste dan
„ moeyte ende arbeyt, ook liever voorspoed dan quelinghe
„ ende overlast hebben Maar als wy nu soodanigh gheluck
„ en soo voorspoedighe conditie niet en weten te verkrij-
„ gen, zonder ulieden te verraden, ja zonder u te verlaten:
„ ende zoo veele als in ons ware tot eenen roof ende buyt te
„ stellen, midtsgaders tusschen de landen van deze bloedtdor-
„ stige wolven te werpen Soo sal de reste van de gheheele
„ werelt ons dit voor goet houden, (want aengaende van
„ ulieden, myne Heeren, wy syn wel versekert, dat ghy
„ ons

loniae Agrippinae de pace agebatur, tanta feditio concitata est, ut ipfius Gulielmi prudentia et auctoritas eam reprimere vix potuerit. Romano-catholici die festo adscenscionis Christi in coelum, magnam pompam, more majorum comparaverant. Vixdum templum egresfis repente obftitere evangelici, ipfius Matthiae praefentiam haud reveriti, trepidamque multitudinem armorum vi in templum repulerunt. Gulielmus, ubi haec audivit, e vestigio approperavit, turbulentaeque turbae, magno cum vitae discrimine, objecit fefe eam ut inimicitias deponeret, fortiter monens. Frustra. Canonici vi ex templo rapti et ex urbe educti funt. Postridie ejus diei magistratum et optimates convocavit Gulielmus atque expofuit, quam exitiofus hujusmodi infanus furor mercaturae omnique patriae faluti esfet, et quantopere ea omnia, quae gesta erant, cum pace de religione facta pugnarent. Neminem oportere, quod ipfe concupiebat,

„ ons ghenoech voor goet houdt, ende dat wy derhalven ons
„ niet en behoeven by uliedcn te ontfchuldigen,) dat wy
„ noch om lyf, noch om goet, noch om wyf noch om kinderen, flechts een droppel van verradereye of diergelycke vergift in onfen dranck en willen doen. Doch foo langhe als
„ het Gode believen fal maar een droppel bloets ofte een penninck flechts van onfe goeden, ja maer een weynigh verftandts, neerftigheyd, geloof ende aanzien ons te laten overblyven, wy willen dat felve noch tot uwen dienfte gheerne befteden toeyghenen ende opofferen.

bat, nimirum cogitandi libertatem, aliis negare. Denique ſe munere ſuo abire malle, quam in ſuſpicionem adduci, ſe tantas turbas, quibus ſe tamen fortiter opponebat, non prohibuisſe.

Hac oratione habita, nova quaedam de religione conſtituta ſunt, quibus utriusque doctrinae cultoribus, quantum fieri potuit, ſatisfactum est, (1).

Eodem, quo Antverpiae, modo postea Gandavi, Trajecti ad Rhenum, Amersfortiae, Harlemi, Mechlinae aliisque in locis nimius de religione ardor eo prorupit, ut hostes pro civibus ſe invicem armis peterent atque urbe expellerent. Quibus malis, quantum potuit, Gulielmus ſemper ſuccurrit.

§. 5.

Quemadmodum Gulielmus varias inſtituebat rationes, ut Belgas concordia inter ſe conjungeret, ita Parmensis omnem operam dedit, ut discordiam concitaret atque Belgii partem alteram ad regis imperium reduceret. Quod tandem non ſine magno reipublicae detrimento perfecit (2).

Valesius jam diu Belgis opem ferre ſe paratum

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XIII. fol. 114. ſqq. — Hooft, Op. l I. pag. 643. ſq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 262. ſq. — *Leven* cet. III. pag. 3. ſq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Lib. XIII. fol. 130. ſq. — Hooft, Op. l. II. pag. 661. ſq. — *Leven* cet. III. pag. 427.

tum professus erat; sed nonnulli eum dominum accipere diu dubitarunt. In tanto rerum discrimine multi rogarunt, ratumne esset, Philippum regno suo exuere aliumque Principem eligere (1). Verum haec res, quum non facilis esset expeditu in longum tracta est et postea demum exitum habuit: uti infra videbimus.

Quum Gulielmus optime intelligeret, omnem salutis spem in Belgio foederato ponendam esse, Aldegondium Trajectum ad Rhenum misit, qui efficeret, ut Ordines de reipublicae statu rite et breviter decernerent. Rogavit eos Gulielmus, utrum bellum cum rege gerere pergerent, an vero pacem flagitarent. Si prius praestare videbatur, curarent, ut omnes vires suas intenderent, magnamque militum manum compararent. Patefacerent, quid de Valesio cogitarent, quidque ei respondendum arbitrarentur. Matthiam pecuniae inopia pressum, Belgium gubernare, atque se vicarii munere fungi in tanto rerum statu amplius non posse. Quare si eum munere suo perfungi vellent, rempublicam melius constituerent. concilium eligerent, quocum de omnibus regiminis causis decernere posset.

Ad haec Belgii foederati Ordines responderunt et a Gulielmo petiverunt, ut de pace cum rege facienda, de pecunia publica, de Valesio ac de re-

(2) Vid. Bor, Op. Libr. XIII. fol. 131. sq.

regiminis forma ſententiam ſuam copioſius explicaret. Quod ad prius illud attinet Gulielmus ſic existimabat, pacem iis tantum conditionibus, quae Coloniae Agrippinae ab Ordinibus propoſitae erant, accipiendam esſe. Quamquam enim ſua maxime pacem fieri interesſet, eam tamen nolebat, ſi ad patriae exitium tenderet. Deinde Ordines, quantum posſent, pecuniae publicae curam agere debere cenſuit, quia militum lascivia, ſtipendiis non ſolutis, coerceri omnino non poterat. Porro de Valesio ita ſentiebat: eo rem jam perductam esſe, ut nulla alia ſuperesſe videretur ſalutis via, niſi hujus auxilio ſervaretur respublica. Qua de re tamen ita conſtituendum erat, ut ſatis efficax afferretur auxilium atque religio et patriae jura ſalva redderentur. Denique de regiminis forma dicens, vehementer conquerebatur nonnullorum malitiam, qui probe conscii omnium malorum et turbarum cauſam in pecuniae et obedientiae defectu poſitam esſe, ſibi omnes ſeditiones tribuerent. Bona ſua omnia patriae ſaluti condonaverat, magnum aes alienam contraxerat, filium captivitate, fratres morte amiſerat. Cujus rei, cum tam parum gratiae apud cives conſecutus esſet, jam antea muneribus ſuis ſe abdicasſet, niſi Dei honorem patriaeque ſalutem ſibi ſemper ante oculos poſuisſet et contumeliam ſibi illatam oblitus fuisſet. Quodſi alium in ejus locum eligere vellent, ſe munere ſuo lubenter abiturum proſitebatur; ſi minus, ipſum audirent,

rent, veram omnium calamitatum caufam indagantem et exponentem, ipfique potestatem facerent, urbes, quae terminis adjacent, muniendi atque de omnibus reipublicae commodis cum certo quodam concilio ftatuendi.

Haec aliaque multa a Gulielmo propofita eum, quem fperaverat, effectum non habuerunt. Nihil fere conftitutum est, quo vectigalia accuratius exigerentur, bellumque majore vi gereretur; fed non deerant, qui Gulielmum infuper calumniarentur, eique omnium aerumnarum culpam tribuerent (1).

Tantam civium fuorum malivolentiam admodum acerbe tulisfe Gulielmum, nemo certe mirabitur. In Ordinum Generalium conventu Antverpiae habito (Sexto Kal. Nov. a. 1579.) de hac re nervofa et copiofa oratione dixit, ut muneribus liberaretur petivit, atque rationes, quibus falva esfe posfet respublica, expofuit. Quo tandem id effecit, ut ad rempublicam bene conftituendam et vectigalia accuratius exigenda majorem curam Ordines adhiberent (2).

§. 6.

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XIII. fol. 158. — *Leven* cet. III, pag. 341. fqq.

(2) Gulielmi oratio exhibetur apud Bor, Op. l. Libr. XIV. fol. 167. fq. quacum omnino conferenda ejusdem oratio fol. 176. fq. — Conf. Hooft, Op. l. pag. 674. fq.

§. 6.

Interea in Hollandia et Zeelandia multae fubortae erant difficultates, quare Gulielmi praefentia magnopere defiderabatur. Itaque ipfis Kalendis Januariis a. 1580. Hagam Comitum profectus est, variarum urbium ac regionum legatos excepit novasque, quae gerebantur, controverfias, magna prudentia diremit (1).

Paullo antequam Requesenius e vita deceſſerat, fummum Hollandiae et Zeelandiae imperium in Gulielmum collatum erat. Hoc vero imperium tantum temporarium erat eoque tantum gavifus erat, quamdiu Hollandia et Zeelandia cum reliquo Belgio, Hispanorum dominationi fubjecto, bellum gererent.

Itaque harum provinciarum et deinde etiam Trajecti Ordines in conventu Hagae Comitum habito conftituerunt, ut regis nomine non amplius uterentur; fed Gulielmum, certis quibusdam conditionibus, fummo imperio ornarent. Quod olim tenuerat imperium, temporarium et illimitatum erat. Illud vero, quod tum conftituebatur perpetuum ac certis quibusdam terminis circumfcriptum erat. Ut breviter dicam, erat fere idem, quod olim Comites obtinuerant, cui nil nifi nomen

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XIV. fol. 181. fq. — Hooft, Op. l. pag. 636. fq. — *Leyen* cet. III. pag. 365 fq.

men deerat. Summum imperium quarto Kal. April. a. 1580 in Gulielmum contulerunt Hollandiae Ordines; ſed de conditionibus, quibus acciperetur, multa diu disputata ſunt, neque res ad exitum perducta. Quae omnia enarrare nimis longum esſet (1).

Rebus ita conſtitutis, Antverpiam reverſus cum Ordinibus Generalibus de republica contra hostes defendenda conſilia capere ſtrenue perrexit.

§. 7.

Philippus jam per plures annos magno ſumtu calamitoſum et exitiabile cum Belgis bellum gesſerat. At vero unius prudentia omnes ejus conatus irriti redditi erant, unius indefesſo labore et conſtantia Belgarum libertas etiam ſervata erat. Quapropter implacabile, quo ardebat, odium explere, et fortisſimum, qui ejus conſiliis obſtabat, virum de medio tollere apud animum conſtituit Quod cum nullo legitimo modo fieri posſet, inuſitatis iisque diris ac nefandis rationibus in eum irruere decrevit. Proſcripſit igitur Gulielmum; grasſatorum, ſicariorum aliorumque profligatorum hominum catervam Deo gentique humanae inviſam, amplis prae-

miis,

(1) Vid. Bor, Op. Libr. XV. fol. 198. 29. — Hooft, Op. I pag. 866. ſq. — *Leven* cet. III. 386. ſq. — Wagenaar, Op. l. VII. pag. 430. ſq.

miis, immo et nobilitate elicuit, ut optimum virum interimerent (1). Detestabile fane fcelus, proh Deûm hominumque fidem! Illustrem atque integerrimum virum, tanquam impium et consceleratum, interficere non tantum permifit, verum etiam magna praemia propofuit, quo facilius nequisfimi homines nefandum fcelus aggrederentur!

Omnia crimina, quibus Gulielmum hac profcriptione accufat Philippus, adeo ab omni veritate aliena funt, ut nulla refutatione indigeant. Quare ea hoc loco nihil moramur.

De tam dira atque injusta profcriptione, quo vitae periculum fimul et turpitudinis nota ei inferebatur, Gulielmus non poterat non follicitus esfe. Ne igitur regis probris in errorem ducerentur Principes Europae et populi, Villersii verbi divini ministri opera adhibita, Apologiam confcripfit, qua caufam fuam egregie defendit. Multa habet hic libellus, quibus lectori mirifice placet. Oratio quidem inculta, carens numeris, antiquitatem redolens; non tamen fine nervis et viribus; praeterea incitata, gravis, vehemens. Omnis accufatio articulatim examinatur, et magno argumentorum

(1) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 410. fq. Bor, Op. l. Libr. XV. fol. 209 fqq. — Hooft, Op. l. pag. 708. — Bentivoglio, Op. l. pag. 333. — Dinothus, Op. l. pag. 348. fq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 471. fq. — *Leven* cet. pag. 391. fq. — Wagenaar, Op. l. III. pag. 345. fq.

rum pondere refutatur. Patriae amorem, veritatem, integritatem, mirum ingenii acumen ac inuſitatum rerum uſum ubique ſapit libellus. Acerbus quidem in vituperando regiaeque dignitati minime parcens. Sed quidni esſet? Regem, qui omnem humanitatem exuerat, populum ſuum perdiderat, Gulielmum ingentibus malis affecerat ac nefariis quibusque conviciis conſectatus erat, timere non amplius necesſe erat. Olim, ut par erat, regem humane comiterque allocutus erat. Nunc vero blandis verbis regis animus minime demulcendus, ſed acerbis veluti aculeis pungendus erat.

Quominus copioſius et enucleatius de hacce ſcriptione dicam, impedit argumenti nostri amplitudo. Multa eorum quibus cauſam ſuam defendit in ipſius immortalis viri prudentia exponenda jam adhibuimus.

Hanc Apologiam publici juris fecit, literisque additis, cum Ordinibus Generalibus et Principibus Christianis communicavit (1).

§. 8.

Illo tempore neque a Parmenſi, neque ab Ordinibus magnae res gerebantur. Solus Rennenber-

(1) Vid. Bor, Op. l. XVI. fol. 14. ſq. — Hooft, Op. l. pag. 728. ſq. — Dinothus, Op. l. pag. 350. ſq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 473. ſqq. — *Leven* cet III. pag. 411. ſqq. — Wagenaar, Op l. VII. pag. 347. ſq.

bergius Frisiae, Groningae et Transisalaniae praefectus, qui perfide ab Ordinibus defecerat (1) varias expeditiones suscepit. Utrimque enim magna regnabat pecuniae inopia, et Ordines praeterea misera discordia consumebantur. Ut his malis tandem finis imponeretur, Gulielmus omnes provincias rogavit, ut suos ad conventum, Delphis habendum, legatos mitterent, iisque potestatem facerent, de omnibus rebus, quae agerentur, sententiam ferendi et statim decernendi. Sic enim existimabat, nisi respublica bene constituta atque firma esset, hostium impetus nullo modo frangi posse. In hoc conventu, post varias deliberationes, quod diu petiverat, tandem effecit Gulielmus. Scilicet, ut concilium institueretur, penes quod omnium fere rerum esset judicium (2).

Praeterea Rennenbergium, qui magno exercitu Stenovicum obsederat et plures jam impetus in urbem fecerat, armorum vi urbem relinquere opera sua coegit (3).

In Frisia illo tempore magna de regiminis causis existebant dissidia, quae ad finem perduci haud faci-

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XV. fol. 187. sq.—Hooft, Op. l. pag. 691. sq. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 339. sq.

(2) Vid. Bor, Op. l. Libr. XV. fol. 228. Libr. XVI. fol. 9. sq. — Hooft, Op. l. pag. 761. sq. — *Leven* cet. III. pag. 410. sqq.

(3) Vid. Bor, Op. l. Libr. XVI fol. 1. sq. — Hooft, Op. l. pag. 167. sq.

cile posse viderentur. Quapropter hujus provinciae praefecturam in Gulielmum contulerunt Frisii eumque invitarunt, ut controversias diremtum in Frisiam peteret. Quorum desideriis lubenter obtemperans, munus suum auspicatus est, omnesque res magna prudentia ordinavit (1).

Paullo post Vlisfingam et Veeram Zeelandiae urbes (2) emit. Contra vero Parmensis astutia, urbisque praesidii inertia, Bredam amisit (3).

§. 9.

Quatuordecim fere elapsi erant anni, postquam Albanum cum exercitu in Belgium miserat Philippus. Ingentia mala istius crudelissimi hominis saevitia miseri Belgae perpessi et fere ad exitium perducti erant. Gulielmus patriae calamitate permotus, Albani immanitatem inusitata prudentia ac virtute comprimere conatus erat. Omnium aerumnarum caufam Albanum tantum habuerat Belgasque cum rege in gratiam reducere saepius tentaverat. Rex nihilominus eadem semper crudelitate Belgas trac-

ta-

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XV. fol. 217 Libr. XVI. fol. 18. sq. — Hooft, Op. l. pag. 774.

(2) Vid. Hooft, Op. l. pag. 781. — Van Meteren, Op. l. III. pag. 500. — *Leven* cet. III. pag. 433. sqq.

(3) Vid. Bor, Op. l. Libr. XVI. fol. 33. sq. — Hooft, Op. l. pag. 781. sq.

taverat, seque civibus suis hostem pro rege praebuerat. Hic inveteratum odium penitus insitum habens, civium questus precesque non audiverat atque tanquam in consceleratam multitudinem in populum suum saevierat. Belgae vero, Gulielmo cum primis auctore, inusitata patientia damna illata pertulerunt, regique obedientiam nondum negaverant. Verum, ubi Belgae regem populi sui exitium tantum parare, omnemque reconciliationis spem evanuisse viderunt, imperio ejus amplius subesse nolebant neque etiam poterant. Quid igitur mirum, Gulielmum, quod jam diu animo agitaverat, tandem per Ordinum Generalium decretum effecisse, ut rex abrogaretur (1)? Atque hoc juste et legitime a Gulielmo Belgisque factum esse, quis est, qui dubitet? Tam graves profecto existebant causae, propter quas Philippus Belgarum hostis habendus erat, ut eos amplius regnare haud posset. Nullum populi sui amorem, nullam clementiam, ut imperantem oportet, animo alebat Philippus. Implacibile tantum odium, vindicta imperandique cupiditas pectus adurebant et ad dira quaeque consilia impellebant. Inter cives liberos nequaquam, sed inter servos dominari cupiebat. Populi salutem parum curabat, omnia suo ar-

(1) De Philippi abrogatione videat. omnino. Cl. Kluit, *Inwijingsrede over 't recht, 't welk de Nederlanders gehad hebben, en* enz. Leijd. 1779.

arbitrio gerere, Belgas jure ſuo omnino exuere atque immiti imperio ſubjicere ſumme enitebatur: quaſi vero populus regis ergo congregatus, non vero contra rex populi gratia conſtitutus esſet (1).

Quamvis igitur Gulielmi Ordinumque conſilium, quo regiam dignitatem dejecerunt, ab omni parte justum ac legitimum habendum ſit, non deſuere tamen illo tempore non tantum, verum etiam [illegible] pos-

(1) Gulielmi rationes eleganter propoſuit Grotius, Op. l. pag. 70. „ Rebus ita conſtitutis, ut cuncta ſibi prona vidit „ damnatae Philippo religionis vinculo et disſentientium validisſimos in alias partes iisſe, aperire incipit uſurpatum hactenus regium nomen, dum ſpes maneret pacis: nunc quando „ ille implacabilis tanquam rebellibus, conpertumque ſit, ut „ quis in Belgas acerbus fuisſet et crudelis, ita in Hiſpaniam „ inclitum et florentem conſpici, quid ultra errare populum „ ſacramenti veteris inani religione paterentur? Unde enim tot „ turbas et disſidia, niſi quod fides inter patriam et principem „ ambigua penderet? At ſapientibus haud ignotum, *populi ex* „ *conſenſu, populi gratia inſtitutas esſe poteſtate* ut ſuperio„ res ſingulis, ita infra univerſos, quae ſi publici curam pri„ vatos ad uſus verterent, populo, hoc est Ordinibus rite „ coactis, judicium et vindictam relinqui. Nec alio jure ple„ raque regna praeſentibus ſub dominis esſe, niſi quod ea „ populi, priorum dijurias aut ſocordiam pertaeſi ad alios „ transtulisſent. Quanto haec magis in Belgis valitura, qui„ bus regium nomen ignotum, talique obſequii modus, ut „ non icerent ſolemne ſacramentum, niſi ante principem in ſua „ et legum verba adegisſent? Gentium jus esſe alterius perfi„ dia ſolvi mutuos nexus."

postea, qui id valdequam improbaverint. Quos inter multi exſtiterunt Principes, nimia dominandi libidine prorepti, qui vehementer timebant, ne cives, quibus imperabant, Belgarum exemplo excitati, jura ſua aliquando vindicarent. Dolendum ſane, plures repertos esſe viros eruditos, qui Principibus impenſe ſtudentes, vel nescio quo errore imbuti, illimitatum imperantibus imperium tribuere haud dubitarint, uti fecerunt Hobbesius, Salmasius, Vilmerus aliique. Quorum ſcriptis non facile dicam, quantum ad tyrannidem affectandam plures Principes excitati fuerint. Verum qui ita existimant, iidem, homines omnis juris expertes faciant, necesſe est, et animalium inſtar, imperantium licentiae prorſus committant. Nobis vero de hac re nulla dubitatio inest. Admiramur potius majorum nostrorum patientiam, qui tot tantaque ante ſubierunt mala, quam regem respuerunt. Gulielmi, qui id tandem perfecit, rationes non comprobamus modo, verum et vehementer laudamus.

§. 10.

Quandoquidem Ordines Generales omne Philippi in Belgium imperium aboleverant et cum Valesio de principatu ei deferendo jam agere coeperant, Matthias clare intellexit, ſe res Belgicas in posterum moderari non posſe. Itaque a

rei-

reipublicae gubernaculo recesſit et in Germaniam reverſus est (1).

Philippo rejecto, majus etiam bellum imminere, nemo dubitare poterat. Gulielmus, patriam plurium minime ferenda ſegnitie omni omnino robore destitutam esſe videns, in Ordinum Generalium conventu ita fere locutus est: „ Ante-
„ quam a vobis discedo, vos commonefacio, nos
„ omnes brevi interituros esſe, niſi divina provi-
„ dentia periculum opportune a nostris cervici-
„ bus avertat. Quaeritis fortasſe, quisnam tanti
„ mali inſimulandus ſit? Vos inquam, vos, om-
„ nesque alios, qui mea conſilia parvi aestimas-
„ tis! Quisque rem privatam communi patriae ſa-
„ luti longe anteponit. Singulae provinciae, im-
„ mo et ſingulae urbes ſuarum tantum copiarum
„ atque pecuniae curam agunt; quo fit, ut, quod
„ omnibus junctis multum ſane prodesſet, ſingu-
„ lis nihil commodi afferat. Concilium quidem
„ inſtitutum est; ſed omni auctoritate destitutum.
„ Quid, quaeſo, concilium efficere potest, cui
„ nulla omnino pecunia ſubminiſtratur? Populus
„ bellum nihili ducit: quaſi vero non pro liberta-
„ te, vita et religione pugnaretur. — Quare ob-
„ ſecro vos, ut ad illos abuſus attendatis, eos-
„ que omnes populo exponatis, ne me postea ne-
„ glec-

(1) Vid. Bor, Op. I Libr. XVI. fol. 40. — Hooft, Op. I. pag. 789.

„ glecti officii criminetur, mihique patriae per„ niciem tribuat (1)."

§. 11.

Saepius jam de recipiendo Belgarum imperio cum Valesio actum erat. Post varias deliberationes, Ordines inter et Valesium convenerat atque Belgarum imperium ei oblatum erat (decimo Sexto Kal. Oct. a. 1580). Qualis fuerit ea, qua ornatus est Valesius, potestas exponere ab argumento alienum est (2). Hoc tantum monendum videtur, eam a comitum potentia, qua olim hi in Belgio gavisi sunt, in multis haud dissimilem fuisse. Post iter in Angliam susceptum Valesius tandem (Quarto Idus Febr. a. 1582.) Vlissingam advenit, imperiumque, iterum dato jurejurando, auspicatus est (3).

Quum male audiret Valesius imperandique cupiditate haud immunis esset, non temere quaeritur, quomodo Gulielmus ejusmodi homini favere potuerit. Scriptor anonymus, qui Gulielmi

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XVI. fol. 42.

(2) Vid. Bor, Op. l. Libr. XVII. fol. 9. sq. — Dinothus, Op. l. pag 357. sq. — Bentivoglio, Op. l. p. 332. — Van Meteren, Libr. III. pag. 423.

(3) Vid. Bor, Op. l. Libr. XVII. fol. 2. sq. — Hooft, Op. l. II. pag. 805. sq.

mi vitam enarravit, hujus rei rationem explorare non valens, integerrimum hominem, sua ipsius commoda patriae saluti anteposuisse atque hac via summum Hollandiae, Zeelandiae et Trajecti imperium petivisse putat. Si verum esset, Gulielmum Valesii imperium Belgis exitiosum futurum praevidisse eumque tamen ad tantum honorem perduxisse, ut sibimet magnam potentiam compararet, omni profecto laudis praeconio indignus esset habendus, qui se patriae aliquando hostem ostendisset. Quapropter operae pretium erit, hanc labem, optimo viro adspersam, diluere et, quantum nostra infantia valeat, rationes quas sibi hac in re proposuit indagare.

Philippi regis imperium abrogare jam diu in animo habuerat Gulielmus. Sed idem ille clare perspexit, Belgium continuis bellis praeter modum perturbatum, alio Principe vel maxime opus habere, qui rempublicam bene constituere et aliunde adversus hostem auxilium arcessere posset. Valesius saepius jam se ad opem ferendam paratum ostenderat Belgarumque imperium impense appetiverat. Praeterea Henrici, Galliae regis, frater erat et Elisabetham uxorem ducere moliebatur. Quid in summo reipublicae discrimine a tanto Principe exspectare non licebat? Imperiosus quidem erat et evangelicorum acerrimus hostis; verum Gulielmus prudentia sua et auctoritate se tantum apud eum valiturum sperabat, ut imperii sui limites haudquaquam excederet neque evangelico•

corum odio nimium indulgeret. Summum Hollandiae, Zeelandiae et Trajecti imperium jam in Gulielmum collatum erat: nonnullae tantum conditiones addendae erant. Itaque hac in re Valesius ei infervire minime poterat; fed, quoniam ipfe omne imperium appetebat, magnopere obftare poterat. Prudenter omnino Valesium ad Belgarum imperium arcesfivit, quippe qui auxilio fuo belli onus impenfe fublevare valeret. Verum non minora prudentia in eo ufus est, quod fibimet Belgii partem vindicaret. Si moderatus ab omnique imperandi cupiditate remotus fuisfet Valesius, Gulielmi tamen rationes, quibus imperium juste ac legitime in fe collatum, fibi fervavit, in nullam reprehenfionem incurrere posfent. Quare, quum timendum erat, ne illimitatum imperium affectaret Valesius, Gulielmi agendi ratio non modo non vituperanda, verum etiam fumme laudanda videtur. Etenim fapienter omnino Valesium ab initio fingulari folertia eo perduxit, ut Belgii pars fuo imperio fubjecta maneret, quo facilius eum continere, vel fi opus esfet, fe ei opponere posfet.

§. 12.

Optima, in quam de Valesii imperio Gulielmus inductus erat, fpes, vehementer eum fefellit. Valesium Gulielmi imperii Ordinum-

numque auctoritatis valdequam taedebat, ut qui absolutum imperium appeteret. Itaque praecipuas Belgii urbes vi capere decrevit, quo omnia suo arbitrio gerere Ordinibusque in omnibus rebus imperare posset.

Henricus frater nuper Belgis auxilium promiserat, si, Valesio liberis orbato mortuo, Belgium Gallorum imperio subjicere vellent Ordines. Cui rogatui Ordines Philippi recentissimae dominationis etiam memores nequaquam faverunt. Si igitur urbes Belgii munitissimas dolo expugnaret Valesius, Ordines vi facile cogi posse arbitrabatur, ad fratris et ipsius mandata exsequenda. Verum, quamvis astute res suas ageret Valesius, Antverpiae aliisque locis partim Gulielmi prudentia, partim civium singulari virtute repulsus est et magno cum dedecore in Galliam fugere coactus est (1).

Tanta perfidia a novo imperante nullo modo exspectari poterat. Omne deinceps Belgium hujusmodi facinus indignatum, a Valesii imperio vehementer abhorruit.

Gulielmus rogatus, ut de hac re sententiam ferret, tres quaestiones pertractavit. Primum quaerebat, ratumne esset Hispanos in gratiam recipere, quod

(1) Vid. De Tassis, Op. I. pag. 434. sq. — Bor, Op. I. Libr. XVII. fol. 35. sq. — Hooft, Op. I. pag. 838. sq. — Van Meteren, Libr. IV. pag. 60. sq.

quod nequaquam fieri posse putabat. Deinde quaerebat an Valesio in gratiam reduci posset Belgium. Non infitiabatur, Valesium propter ea, quae gesserat, omni imperii jure proprie destitutum esse; attamen valde periculosum esse putabat, eum omnino repudiare. Etenim, quas jam ceperat urbes, hostibus tradere facile posset, quod certe Belgio exitiosum foret. Timendum quoque erat, ne Henricus fratris jus vindicare cupiens bellum Ordinibus inferret, quod nullo modo sustinere possent. Praeterea Elisabetha Valesio et antea et nunc quoque adeo favebat, ut Belgii hostis facile reddi posset. Si tamen cum Valesio iterum ageretur videndum esse censebat, ne urbi alicui periculum strueretur utque certa militum esset fides. Denique quaerebat, num respublica se ipsa contra hostes tueri valeret. Ad hanc quaestionem observabat: hoc quidem caeteris praestare, sed tanta ad id requiri, quanta respublica haud facile suppeditare posset (1).

Haec erat Gulielmi sententia; haec causa erat, quare Valesium in gratiam recipiendum esse postea quoque censeret. Quae agendi ratio, etsi cum Gulielmi prudentia congruere haud videatur, propterea magis etiam defendi potest, quod Hen-

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XVII. fol. 42. sq. — Hooft, Op. l. pag. 860. sq. — Van Meteren, Op. l. IV. pag. 88. sqq.

Henricus et Elisabetha per legatos suos hanc rem fortiter urgerent.

Itaque de Valesio recipiendo varia consilia capta sunt, quae quum ad exitum perducta essent, Valesius in morbum gravem incidit diemque supremum obiit (1).

§. 13.

Gulielmus interea omnem operam impendit, ut urbes muniret, exercitum instrueret, classem augeret militesque disciplina contineret. Praeterea nova decreta de belli navalis administratione dedit. Verum talia in patriae salutem agitantem conscelerata nefandi percussoris manus e vita mortalium eripuit (2)! (Sexto Idus Jul. a. 1584).

Omnia, quae potuit, pro patria fecerat, omnia, quae habuit, pro ea amiserat, omnemque vitam pro ea egerat. Ut nihil omnino tantis in patriam collatis beneficiis deesset, vitam quoque, qua nihil hominibus carius esse solet, patriae condonare

(1) Vid. Bor, Op. l. Libr. XVIII. fol. 50.

(2) Vid. De Tassis, Op. l. pag. 441. sq. — Bor, Op. l. Libr. XVIII. fol. 91. sq. — Hooft, Op. l. . pag. 902. sq. — Dinothus, Op. l. pag. 396. — Bentivoglio, Op. l. pag. 346. sq. — Van Meteren, Op. l. IV. pag. 176. sq. — *Leven* cet. III. pag. 682. sq. — Wagenaar, Op. l. VII. pag. 731. sq.

re coactus est. Ita, quemadmodum martyr pro fide, Gulielmus pro patriae libertate vitam cum morte commutavit.

Patriae jura vindicare atque imperantem, qui potestatem suam excesserat intra justos imperii terminos reducere primum aggressus erat. Hic vero in errore suo, dicam, an pravitate acriter perstiterat; precibus, adhortationibus, neque etiam armis ad meliora consilia reduci potuerat. Itaque Gulielmus tandem rem ad eum, quem ne speraverat quidem exitum perduxerat atque Belgicae libertatis fundamenta jecerat.

Jam sat multa vir immortalis pro republica gesserat. Quod supererat, annuente Summo Numine Mauritio, tanto patre dignissimo filio, perficiendum datum est. Gulielmus singulari sua prudentia rempublicam constituerat. Mauritii erat, eam mirifica sua rei militaris scientia confirmare et corroborare.

Talis prudentia, patriae amore innumerisque virtutibus fuit Gulielmus, *quem vere patrem patriae, parentem, inquam, nostrae libertatis atque hujusce reipublicae possumus dicere* (1).

(1) Verba sunt Ciceronis in Oratione, pro Rabirio, Cap. X.

P. TRESLING,

DE

PRUDENTIA

GULIELMI I.

P. TRESLING,

DE

PRUDENTIA

GULIELMI I.

LAMBERTI DOEDES, DID. FIL.,

E PAGO INGEN,

IN ACAD. RHENO-TRAJECT.

THEOL. STUD.,

COMMENTATIO,

QUA RESPONDEATUR

AD

QUAESTIONEM,

A NOBILISSIMA FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA PROPOSITAM,

QUA QUAERITUR:

„ *Exponatur theoria tangentium ejusque usus.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT,

DIE XXVI M. MARTII A. MDCCCXXX.

INTRODUCTIO.

Quum a difficilioribus ſtudiis requiescerem, ad nullas res, animum relaxandi cauſa, me gratius conferebam, quam ad res mathematicas. Dulce mihi erat otium, quo his ſtudiis incumbere posſem, et inprimis ea pars prae ceteris mihi placebat, quae ſpectat ad calculum differentialem et integralem. Quum igitur hocce anno quaestionem mathematicam, a nobilisſimo disciplinarum mathematicarum et phyſicarum ordine in Academia Rheno-Trajectina propoſitam, ita ſeſe habentem: *Exponatur theoria tangentium ejusque uſus*, audirem, ſtatim haec mihi arridebat, ſed conſcius meae imbecillitatis per longum tempus retinebar. Tandem autem et propter rei utilitatem et animi voluptatem, quam tractatio hujus Quaestionis mihi afferre posſet, cupide ad eam aggresſus ſum

 et

et consilium cepi in commentatione de hac quaestione scribenda meas vires tentandi periclitandique. Unde factum est, ut hocce opusculum sit natum. Opusculum vero meum perfectum et omnibus numeris absolutum esse mihi in mentem non venit. Tantum abest, ut ita de eo cogitarem, ut plurima ei deësse lubenter profitear. Attamen benigno animo indulgentique in imbecillitatem imprimis imperitiam audaciamque, nisi vitia, quae certe adsunt, nimium clarissimo ordini displiceant, confidens, hancce scriptionem clarissimi Matheseos et Physicae ordinis judicio submitto.

Priusquam autem ad quaestionem solvendam accedam, pauca mihi praemonenda videntur, scilicet de diverso modo, quo tangentes considerati sunt, et de ratione, qua dividenda haec commentatio mihi videtur.

I. Antiquo aevo Mathematici ad paucas curvas tangentes ducere potuerunt, uti inter alia e scriptis Euclidis et Apollonei Pergei patet. Aput antiquos autem tangentes non parvi fuisse, intelligi potest e duobus libris, quorum tanquam agentium περι ἐπαφων Pappus Alexandrinus 1) mentionem fecit. Simulac vero algebra et geometria inter se conjungebantur, methodus tangentium magis magisque sese extendit. Celeberrimus Cartesius primis annumerandus est, qui in alteris Ma-

1) Vid. Pappi Alex., Math. Coll. Lib. VII. p. 243.

Matheseos partibus, imprimis in tangentibus ducendis, ab algebra auxilium petiverunt 1). Eum secuti sunt Fermatius 2), Huddenius 3), Slusius 4), Gregorius 5), Wallis 6), Barrovius 7) aliique. Quorum omnium inventiones, fere tantum ad curvas algebraicas spectabant. Exeunte vero seculo XVII. uno eodemque fere tempore exstiterunt viri celeberrimi, Newtonus 8) et Leibnitsius 9), hic in Germania, ille in Anglia,

1) Ille Cartesius, de sua ratione tangentes inveniendi agens „ problema," inquit, „ nec verebor dicere, non modo eorum, quae scio, hoc utilissimum et generalissimum esse, sed etiam eorum, quae in geometria scire unquam desideraverim." Conf. Cartesii, Geom. Lib. II. pag. 40. Amst. 1683.

2) Montucla, Hist. des Math., L. II. pag. 138.

3) Mont. l. l. II. p. 412.

4) Mont., l. l. II. pag. 159.

5) Mont., II. p. 376.

6) Mont., II. p. 376.

7) Mont., II. p. 348.

8) Newtonus, anno 1676. m. Junii d. 12. et m. Oct. d. 24. literas Leibnitsio dedit, in quibus ei apparuit, sibi esse methodum determinandi quantitates maximas et minimas, ducendi tangentes, cet. Quae methodus ab eo *Fluxionum* dicta est, et anno 1687. edidit suum opus de Principiis math. philos. nat. Conf. Mont., II. p. 369.

9) Leibnitsius, primas regulas calculi, differentialis ab eo dicti, edidit in Actis erud. Lips. sub titulo: Nova methodus pro Max. et Min. itemque tangentibus, quae nec fractas nec irrationales quantitates moratur et singulare pro illis calculi genus. Cf. Mont., II. pag. 377. Postero tempore in-

glia, quorum laus propter inventionem calculi differentialis, dummodo mathefis honore debito afficeretur, numquam exftingui poterit. Horum ope inventionis omnium curvarum tangentes facillime determinantur.

Ab hisce autem Geometris non tantnm diverfo modo inveniebantur, fed etiam confiderabantur. Antiqui Geometri 1) dixerunt, tangentem curvae esfe lineam rectam, quae habeat punctum curvae commune, ita ut inter hancce lineam rectam et curvam nulla alia recta duci posfit. Postero tempore, quo Algebra et Geometria alia ad aliam applicarentur, Geometri tangentes confiderarunt 2), vel tanquam fecantes, quarum interfectionum puncta, quae curvae communia habeant, coincidant, vel tanquam prolongata latera 3), Infinite parva curvae, quae curva tum habebatur esfe polygonum infinite parvorum laterum, vel tanquam lineam

inter Leibnitsium et Newtonum aemulatio exftitit de honore inventionis, de qua vidd. Mont., II. p. 378 et Comm. epist. in Newt op. omn., Tom. IV. pag. 510. ed. Horsley. Deinde hicce calculus imprimis promotus est a March. de l'Hôpital. a fratribus Jan. et Jac. Bernouilliis et ab Huigenio. Conff. de historia tangentium Analyfe des inf. petits de l'Hôpital, préface et Klugel, Math. Wörterb. voce Berührende linie, pag. 279.

1) E. g. Euclides, in Math. Lib. III.

2) E. g. Cartesius, in Geom. II. p. 39.

3) E. g. Leibnitsius, in Act. erud. anno 1684. p. 585. et Op. omn. III. p. 170.

lineam rectam 1), quae repraefentet directionem motus compofiti, per quem curva defcribi potest. Hae diverfae rationes diverfis methodis tangentes inveniendi anfam dederunt, inter quas memorandae sunt methodus algebraica, quae nititur aequalitati radicum aequationum et transformationi coördinatarum, et methodus differentialis, quae nititur confiderationi infinite parvi vel fluxionum coördinatarum.

Hisce ductus confideravi tangentes tanquam tales lineas five rectas five curvas, quae curvae propofitae ejusque tractui ita congruunt, ut inter tangentem et curvam nulla altera ejusmodi linea duci posfit, eodemque modo fuperficies tangentes et planas et curvas, utque iis inveniendis adhibui calculum differentialem.

II. Quod attinet ad divifionem, quaestio propofita per femet ipfa fe dividit in duas partes, quippe quae funt una de theoria tangentium, altera de ufu hujus theoriae. Quoniam vero lineae rectae et curvae non inter fe differunt nifi directione, — namque linea recta tantum imaginem repraefentat directionis ab alio ad aliud punctum; curva autem repraefentat viam a puncto continue promoto cum variata continuo motus directione defcriptam, — ideo unum tantum genus linearum exfistit. Ita lineae tangentes et rectae et curvae

1) E. g. Newton, in Op. omn., Tom. I. p. 1333.

vae ſunt, ideoque theoria tangentium non tantum ad rectas lineas, verum etiam ad curvas atque eodem modo ad ſuperficies et planas et curvas ſe extendit. Expoſitio igitur theoriae tangentium redit ad talem univerſalem, conſiderationem tangentium, qua inveniantur regulae univerſales pro omnibus tangentibus cujuscunque generis. Uſum hujus theoriae intelligo modum, quo hae regulae univerſales applicantur ad inveniendas lineas tangentes rectas et curvas curvarum ſimplicis et duplicis curvaturae, nec non ſuperficies tangentes planas et curvas curvarum ſuperficierum. — Cum quaestio mihi ita ſe habere videatur, hancce tanquam ad puram matheſin pertinentem couſideravi, et diviſi in duas partes, quarum prima de theoria, altera de uſu hujus theoriae agit, eamque alteram in quatuor capita; quorum primum de curvarum ſimplicis curvaturae tangentibus earumque proprietatibus, alterum de curvarum duplicis curvaturae tangentibus earumque proprietatibus, tertium de ſuperficierum curvarum tangentibus earumque proprietatibus, et quartum de ea parte conſiderationis tangentium, quae vulgo dicitur inverſa methodus tangentium.

Hisce praefatis accedamus ad quaestionem ipſam tractandam.

PARS I.

PARS I.

DE

THEORIA TANGENTIUM.

§. 1.

Quando curvas ſimplicis curvaturae, quae vulgo curvae dicuntur, conſideramus, nobis luculenter patet; eas omnes per aequationes exprimi posſe, quae relationes diverſas coördinatarum inter ſe indicant, et in quibus nonnullae conſtantes arbitrariae, quibus et poſitio et ſpecies curvae determinantur, adſunt; ſi autem hae curvarum aequationes ad easdem coördinatarum axes ſumantur, hasce lineas, niſi eandem aequationem habeant, ſeſe uno pluribusve punctis ſecare posſe, in eoque puncto, quo ſeſe ſecant hocce momento coördinatae inter ſe aequales ſint, necesſe esſe. Ut hanc rem ratione generali conſideremus, ponamus $F(x, y) = 0$, vel $y = f(x)$ aequationem esſe curvae

vae propofitae cujuscunque, $F'(x', y') = 0$ vel $y' = f'(x')$ aequationem lineae alterius five rectae five curvae, quam cum illa proposita comparandam nobis proponimus. In hisce aequationibus, quae ad eandem axin fumtae funt, obtinentur x et y tanquam coördinatae curvae primae, x' et y' alterius.

Si hae curvae punctum habeant commune, opus est ut $x' = x$ et $y' = y$ fint. Si nunc porro has duas curvas comparemus in punctis huic puncto communi proximis, mutanda est in earum aequationibus abfcisfa x in $x+h$, et x' in $x'+h$, et tum y et y' ope theorematis Tayloriani hocce modo exprimumtur:

$$y + \frac{dy}{dx}\frac{h}{1} + \frac{d^2y}{dx^2}\frac{h^2}{1 \cdot 2} + \frac{d^3y}{dx^3}\frac{h^3}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \text{etc.},$$

$$y' + \frac{dy'}{dx'}\frac{h}{1} + \frac{d^2y'}{dx'^2}\frac{h^2}{1 \cdot 2} + \frac{d^3y'}{dx'^3}\frac{h^3}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \text{etc.},$$

vel, brevitatis caufa,

$$y + Ph + Qh^2 + Rh^3 + \text{etc.},$$

$$y' + P'h + Q'h^2 + R'h^3 + \text{etc.}$$

Quarum prima feries fignificat ordinatam puncti curvae, cujus abfcisfa fit $x+h$; altera vero, cujus fit $x'+h$. Differentia ordinatarum, existente $y = y'$, indicatur per feriem:

$$(P-P')h + (Q-Q')h^2 + (R-R')h^3 + \text{etc.}$$

Qua ferie distantia duarum curvarum, menfa per ordinatas, quae abfcisfis $x+h$ et $x'+h$ respondent, exprimitur. Hinc fequitur, hancce distantiam propter quantitatem h infinite parvam, eo

mi-

minorem esſe, quo plures termini inde ab initio hujus ſeriei evanescant, et appropinquationem curvarum inter ſe esſe magnam, ſi $P = P'$, majorem adhuc, ſi $Q = Q'$ ſit, et ſic porro.

§. 2.

Ut autem has appropinquationes curvarum inter ſe accuratius cognoscamus, conſideranda est tertia curva, cujus aequatio, ad easdem axes ſumta, est $\phi\,(x'', y'') = 0$ vel $y'' = \phi\,(x'')$. Si hae tres curvae punctum commune habeant, aequales ſint $x = x' = x''$ et $y = y' = y''$ necesſe est.

Series quae ſignificant ordinatas curvarum in punctis quae abſcisſis $x + h$, $x' + h$, $x'' + h$ conveniunt, ſunt ſequentes:

$$y + Ph + Qh^2 + Rh^3 + \text{etc.},$$
$$y' + P'h + Q'h^2 + R'h^3 + \text{etc.},$$
$$y'' + P''h + Q''h^2 + R''h^3 + \text{etc.},$$

in qua ultima P'' repraeſentat $\frac{dy''}{dx''}$, Q'' $\frac{d^2y''}{dx''^2}$ et ſic porro. — Sit δ differentia ordinatarum primae et ſecundae curvae, et δ' differentia ordinatarum primae et tertiae. Existentibus abſcisſis $x + h$, $x' + h$ et $x'' + h$, nasciscimur

$$\delta = F(x + h) - F'(x + h)$$
$$\delta' = F(x + h) - \phi\,(x + h)$$

unde colligi potest, tertiam curvam non inter duas primas transire posſe, niſi valor ipſius δ ſuperet va-

valorem ipsius δ'; differentiae igitur δ et δ' hocce modo exprimuntur

$$\delta = (y - y') + (P - P')h + (Q - Q')h^2 + \text{etc.},$$
$$\delta' = (y - y'') + (P - P'')h + (Q - Q'')h^2 + \text{etc.},$$

et, quia ordinatae y, y' et y'' sunt inter se aequales

$$\delta = (P - P')h + (Q - Q')h^2 + \text{etc.},$$
$$\delta' = (P - P'')h + (Q - Q'')h^2 + \text{etc.}$$

Quando δ minor quam δ' est, i. e. secunda curva magis quam tertia ad primam accedit, opus est ut sit

$$(P - P')h + (Q - Q')h^2 + \text{etc.} < (P - P'')h + (Q - Q'')h^2 + \text{etc.},$$

vel

$$(P - P') + (Q - Q')h + \text{etc.} < (P - P'') + (Q - Q'')h + \text{etc.},$$

Haec conditio semper ita se habeat necesse est, quamvis quantitas h infinite parva sumatur; si autem duae primae curvae talis conditionis esse ponantur, ut sit $P = P'$, tum obtinetur aequatio:

$$(Q - Q')h + (R - R')h^2 + \text{etc.} < (P - P'') + (Q - Q'')h + (R - R'')h^2 + \text{etc.};$$

posita $h = 0$ evanescit primum membrum, secundum vero non evanescit; unde concludendum est, primum membrum propter h quantitatem infinite parvam toties a secunda superari, quoties differentia $P - P''$ non sit aequalis sero. Ergo tertia curva inter duas primas non transire potest, nisi ad minimum $P = P''$ sit.

§. 3.

§. 3.

Porro ponamus uno eodemque momento $y = y' = y''$ et $P = P'$, $Q = Q'$, ideoque differentias δ et δ' repraesentari per

$$\delta = (R - R')h^3 + (S - S')h^4 + \text{etc.},$$
$$\delta' = (P - P'')h + (Q - Q'')h^2 + (R - R'')h^3 + (S - S'')h^4 + \text{etc.},$$

et ob hancce caussam

$$\delta < \delta'$$

per

$$(R - R')h^3 + (S - S')h^4 + \text{etc.} < (P - P'')h + (Q - Q'')h^2 + (R - R'')h^3 + (S - S'')h^4 + \text{etc.},$$

vel

$$(R - R')h^2 + (S - S')h^3 + \text{etc.} < (P - P'') + (Q - Q'')h +)R - R'')h^2 + (S - S'')h^3 + \text{etc.}$$

Facile ex his est intellectu, quoties termini, qui ipsis h et h^2 sunt affecti, in membro δ' non aequale sint sero, toties quantitatem h tam infinite parvam sumi posse, quae sufficiat ad quantitatem δ' majorem reddendam quam δ, quia, $h = 0$ posita, formula $\delta < \delta'$ mutatur in $0 < (P - P'')$. In casu autem, qua $P = P''$ fiat, mutatur $\delta < \delta'$ in

$$(R - R')h^2 + (S - S')h^3 + \text{etc.} < (Q - Q'')h + (R - R'')h^2 + (S - S'')h^3 + \text{etc.},$$

vel in

$$(R - R')h + (S - S')h^2 + \text{etc.} < (Q - Q'') + (R - R'')h + (S - S'')h^2 + \text{etc.},$$

ideoque differentia $(Q - Q'')$ superabit terminos om-

omnes fecundi membri, quod propter quantitatem h infinite parvam non impossibile est, si nempe $Q - Q''$ non sit aequalis sero, namque $h = o$ posita, formula $\delta < \delta'$, abit in $o < (Q - Q'')$. Ergo tertia curva, existentibus $P = P'$ et $Q = Q'$ inter primas duas non transire potest, nisi ad minimum sint $P = P''$ et $Q = Q''$. Pervenimus igitur eo, ut concludamus, eodem modo, exsistentibus $P = P'$, $Q = Q'$ et $R = R'$, tertiam curvam inter duas primas non transire posse nisi ad minimum $P = P''$, $Q = Q''$ et $R = R''$ sint, et sic porro usque ad infinitum. Hae appropinquationes curvarum inter se appellantur contactus, et ordo contactus demetiendus est ordine ultimi quoti differentialium aequationum curvarum, quem inter se aequalem habent curva data et proposita 1).

Sequens observatio non praetermittanda est; quando contractus primi ordinis inter duas curvas locum habeat, patet, modum, quo una ab altera separetur, dependere a termino $\frac{d^2y}{dx^2} \frac{h^2}{1 \cdot 2}$, quae quantitas sive ordinata puncto contactus praecedat, sive illa hocce sequatur, i. e., dum $\pm h$ existat, unius ejusdemque signi est, ita ut curva quae propositam curvam taugat, ab utraque par-

1) Vidd. La Grange, Théorie des Fonctions anal. Ph. II. Ch. I. p. 165—170. et La Croix, Traité du calc. diff. et integr. I. §. 120. pag. 439.

parte puncti contactus aut ſupra aut infra hancce ſe extendat. Ita res ſeſe habet in quocunque contactu ordinis imparis. Cum autem in contactu ordinis paris modus, quo hae duae curvae a ſe invicem ſeparentur, dependeat a termino, in quo h ordinis est imparis, e. g. in contactu ſecundi ordinis, in quo hicce modus dependet $a \pm \frac{d^3y}{dx^3} \cdot \frac{h^3}{1 \cdot 2 \cdot 3}$ patet, huncce quotum differentialium ſigno mutari, ſi ab ordinata, puncto contactus praecedente, ad eam quae hocce punctum ſequitur, transeatur, ideoque curvam tangentem ante contactus punctum ſupra lineam tactam et post hocce punctum infra tactam ſe extendere, aut ante punctum infra et post hocce ſupra; ergo hocce caſu a tangente curvam et tangi et ſecari 1).

§. 4.

A theoria tangentium non disjungi potest, indicare, quomodo omnes contactus reſpondeant limitibus interſectionum curvarum. Uti contactus lineae rectae et curvae tanquam duae coincidentes interſectiones conſiderari potest, ita habent duae curvae, quarum interſectionum puncta coincidant, unum tantum punctum commune, in quo, ut per ſe-

1) Vidd. Journ. de l'école Polyt. Cah. XVI. Tom. VII. p. 175. et La Croix, l. l. Tom. I. §. 218. pag. 438.

ſemet ipſum liquet, tangentem rectam lineam unam eandemque habeant, quia haecce per duarum interſectionum puncta coincidentia oritur; ordo autem contactus erit uno minor, quam numerus interſectionum quae coincidant.

Fingamus tres interſectiones curvarum, quibus reſpondeant abſcisſae x, $x+h$, et $x+k$, quibus ſubſtitutis in aequationibus datis curvarum, repraeſentantur ſecundum theorema Taylorianum ordinatae, quae hisce abſcisſis conveniunt, per

$$y'+P'h+Q'h^2+\text{etc.}=y+Ph+Qh^2+\text{etc.},$$

$$y'+P'k+Q'k^2+\text{etc.}=y+Pk+Qk^2+\text{etc.},$$

Hae duae, exſistente $y=y'$, mutantur in

$$P'h+Q'h^2+R'h^3+\text{etc.}=Ph+Qh^3+Rh^3+\text{etc.},$$

$$P'k+Q'k^2+R'k^3+\text{etc.}=Pk+Qk^2+Rk^3+\text{etc.},$$

Prima par h diviſa, et altera per k, obtinentur, una ab altera ſubtracta,

$$Q'(k-h)+R'(k^2-h^2)+\text{etc.}=Q(k-h)$$
$$+R(k^2-h^2)+\text{etc.},$$

quae diviſa per $k-k$, mutatur in

$$Q'+R'(k+h)+\text{etc.}=Q+R(k+h)+\text{etc.},$$

et, coincidentibus abſcisſis x, $x+h$ et $x+k$, erit

$$Q'=Q.$$

Hinc ſequitur, ſi duo puncta interſectionum coincidant, $y'=y$ et $P'=P$, ſi tria puncta coincidant, $y'=y$, $P'=P$, et $Q'=Q$ esſe. Eodem modo concludendum est, ſi quatuor puncta interſectionum coincidant, $y'=y$, $P'=P$, $Q'=Q$ et $R'=R$ esſe et ſic porro. Ergo contactus primi or-

ordinis locum habet, ſi duae interſectiones, ſecundi, si tres, et generatim contactus ordinis n^{ti}, si $n+1$ interſectionum puncta coincidant 1).

§. 5.

Ex praecedentibus conſiderationibus curvarum ſimplicis curvaturae concludendum est, ut duarum linearum simplicis curvaturae una ab altera tangatur, necesſe esſe, coördinatae in puncto contactus conveniant, ſi contactus ſit primi ordinis, quoti differentialium primi ordinis $\frac{dy'}{dx'}$ et $\frac{dy}{dx}$ inter ſe aequales ſint, ſi contactus ſecundi ordinis, quoti differentialium ſecundi ordinis $\frac{d^2y'}{dx'^2}$ et $\frac{d^2y}{dx^2}$, vel generatim, ſi contactus n^{ti} ordinis, quoti differentialium omnes inde a quoto primi ordinis usque ad quotum n^{ti} ordinis, aequales ſint necesſe esſe; denique, ſi contactus ſit n^{ti} ordinis, $n+1$ conditiones esſe, quibus ſit ſatisfaciendum. His conditionibus ſatisfieri ſolet ope conſtantium arbitra-

1) Vid. La Croix, l. l. I. §. 229. pag. 453. et III. pag. 638. Cf. Cramer, théorie des lignes courb. algeb. §. 39. pag. 62. et §. 161. pag. 400 ſeqq. — Contactum respondere limitibus interſectionum curvarum, jam antea obſervarunt Leibnitsius, (Op. omn. III. pag. 273. Act. erud. Lipſ. 1692.) et Newtonus, (Op. omn. I. Geom. anal. Cap. VII. §. 41—46. pag. 454.)

trariarum, quae adſunt in aequationibus lineae tangentis, et quibus ejus ſpecies et poſitio determinantur; ſi hae arbitrariae ope conditionum contactus ſint determinatae, est haecce linea tangens ipſa plane determinata. Itaque contactus n^{ti} ordinis dependet a determinandis $n+1$ conſtantibus arbitrariis, quae vulgo elementa contactus appellantur. Quando vero aequatio ſecundae curvae, quae propoſitam tangere ſumatur, continet n conſtantes, ſed tantum $n-1$ conſtantes ope conditionum contactus ſunt determinatae, contactus est uno inferioris ordinis, quam ſi omnibus conſtantibus arbitrariis ſatisfactum esſet. Hinc contactus, ſi omnibus arbitrariis, quae in aequatione ſecundae curvae adſunt, hocce modo ſatisfactum est, nomine *osculationis*, et linea ipſa nomine osculatricis distinguuntur a vulgato nomine contactus et tangentis. Itaque curva osculatrix, cujus aequatio continet n conſtantes arbitrarias, habet osculationem ordinis $(n-1)^{i}$.

Tandem est obſervandum, ſi unus differentialium quotorum evanescat, transeundum esſe ad differentialium quotum altioris ordinis, e. g. ſi P et Q evanescunt, esſe transeundum ad R et ceteros, ut hocce modo arbitrariae conſtantes definiantur, uti nonnullis caſibus accedit, quo efficitur, ut ordo contactus uno altior ſit 1).

§. 6.

1) Vidd. La Grange, l. l. P. II. ch. I. pag. 170. ch. II. pag.

§. 6.

Curvae fimplicis curvaturae, quas hucusque confiderari, pertinent ad geometriam duarum dimenfionum; curvae vero duplicis curvaturae, quae confiderantur esfe fitae in fpatio et ductae in fuperficiebus folidorum, pertinent ad geömetriam trium dimenfionum, et dependent a tribus coördinatis perpendiculariter fibi infistentibus, quarum duae factiones funt tertiae, unde efficitur, curvam duplicis curvaturae exprimi posfe non nifi per duas aequationes inter tres indeterminatas.

Exprimatur igitur una curva duplicis curvaturae per aequationes:

$$F(x,y)=0, \qquad \phi(x,z)=0,$$

vel

$$y=f(x), \qquad y=\phi(x),$$

in quibus x, y, z funt coördinatae. Altera vero per

$$F'(x',y')=0 \qquad \phi'(x',z')=0,$$

vel

$$y'=f'(x'), \qquad z'=\phi'(y'),$$

in quibus x', y', z' funt coördinatae. — Si hae duae

pag. 177. et La Croix, l. l. I. §. 230. pag. 457. Cf. Euleri. Introd. in anal. Infin. P. II §. 305. pag. 166 feqq. Primis, qui de natura contactus et osculi fcripferunt, est annnmerandus Leibnitsius, (Op. omn. III. pag. 185. nova Act. Erud. Lipf. 1686. meditatio nova de natura etc.)

duae curvae punctum commune habeant et $x' = x$ sit, debent esse $y' = y$ et $z' = z$; sin ponantur in aequationibus $x + h$ pro x, et $x' + h$ pro x', tum ope theorematis Tayloriani mutantur:

$$y \text{ in } y + \frac{dy}{dx} \cdot \frac{h}{1} + \frac{d^2y}{dx} \cdot \frac{h^2}{1 \cdot 2} + \frac{d^3y}{dx^3} \cdot \frac{h^3}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \text{etc.},$$

$$y' \text{ in } y' + \frac{dy'}{dx'} \cdot \frac{h}{1} + \frac{d^2y'}{dx'^2} \cdot \frac{h^2}{1 \cdot 2} + \frac{d^3y'}{dx'^3} \cdot \frac{h^3}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \text{etc.};$$

item

$$z \text{ in } z + \frac{dz}{dx} \cdot \frac{h}{1} + \frac{d^2z}{dx^2} \frac{h^2}{1 \cdot 2} + \frac{d^3z}{dx^3} \frac{h^3}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \text{etc.},$$

$$z' \text{ in } z' + \frac{dz'}{dx'} \cdot \frac{h}{1} + \frac{d^2z'}{dx'^2} \frac{h^2}{1 \cdot 2} + \frac{d^3z'}{dx'^3} \frac{h^3}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \text{etc.}$$

Quando nunc distantia inter y et y' indicatur per δ et inter z et z' per δ', obtinentur pro hisce distantiis

$$\delta = (P - P')h + (Q - Q')h^2 + \text{etc.},$$

$$\delta' = (p - p')h + (q - q')h^2 + \text{etc.},$$

in quibus per P, Q, etc. per P', Q', etc., per p, q, etc., per p', q', etc., convenientes quoti differentialium indicantur. Facillime hinc deducitur, distantiam (D) inter puncta duarum curvarum, quae eidem abscissae $x + h$ respondent, exprimi posse per aequationem

$$D = (\delta^2 + \delta'^2)$$

et eadem ratione, qua in curva simplicis curvaturae, intelligitur, si, facto $x = x'$, $y = y'$, $z = z'$ $P = P'$ et $p = p'$ sint, non tertiam curvam nisi quae aequationibus ejusmodi satisfaciat, inter duas

pri-

primas transire posſe; itaque item, ſi facto $x=x'$, $y=y'$, $z=z'$, $P=P'$, $Q=Q'$, $q=q'$ ſint, tertiam curvam, niſi qnae ad minimum tot aequationibus ejusmodi ſatisfaciat, inter duas primas transire posſe, et ſic porro. Ergo ſi haec comparemus cum iis, quae de curvis ſimplicis curvaturae dicta ſunt, luculentisſime patet: ſi duae curvae ſeſe invicem tangunt, et contactus primi ordinis inter has curvas exſistit, aequales esſe debere, facto $x=x'$, $y=y'$, $z=z'$, $\frac{dy}{dx}=\frac{dy'}{dx'}$, $\frac{dz}{dx}=\frac{dz'}{dx'}$; ſi contactus ſecundi ordinis exſistit, praeterea $\frac{d^2y}{dx^2}=\frac{d^2y'}{dx'^2}$, $\frac{d^2z}{dx^2}=\frac{d^2z'}{dx'^2}$, et generatim ſi contactus n^{ti} ordinis exſistit, quotos differentialium inde a quotis primi ordinis usque ad quotos n^{ti} duarum aequationum curvarum; denique, ſi curva alia cum alia contactum n^{ti} ordinis habere debeat, facta abſciſſa $x=x'$, adesſe $2(n+1)$ conditiones, quibus ſit ſatisfaciendum, iisque conditionibus ſatisfieri ope conſtantium arbitrariarum, quae adſunt in aequationibus curvarum et vulgo elementa contactus appellantur 1).

1) Vidd. La Grange, l. l. P. I. Ch. VII. p. 224. et La Croix, l. l. I. §. 345. pag. 617.

§. 7.

Superficies curvae determinantur per tres coördinatas, quae ſibi invicem perpendiculariter inſiſtunt, uti curvae duplicis curvaturae; attamen ab his differunt eo, quod duae coördinatarum ſuperficierum non a ſe invicem dependent et tertia functio est harum duarum. Ergo duae aequationes, quae curvam duplicis curvaturae determinant, repraeſentant ſingulae curvam ſuperficiem, quia curva, quae per has duas aequationes repraeſentatur, conformata est interſectione harum duarum ſuperficierum. Theoria igitur tangentium ſuperficierum potest eodem modo tractari, quo theoria tangentium curvarum. Extistentibus x, y, z coördinatis unius, et x', y', z' coördinatis alterius ſuperficiei, ſunt aequationes duarum ſuperficierum:

$$F(x, y, z) = 0 \qquad \text{et } F'(x', y', z') = 0$$

vel

$$z = f(x, y) \qquad \text{et } z' = f'(x', y').$$

Si hac duae ſuperficies punctum commune habeant, pro hocce puncto, facto $z = z'$, eſſe debent $x = x'$ et $y = y'$, et, x *in* $x + h$ et y in $y + k$ mutatis, obtinentur pro z et z', ſecundum theorema Taylorianum, ſeries hae

$$z + \frac{1}{1}\left\{\frac{dz}{dx}h + \frac{dz}{dy}k\right\}$$

$\frac{1}{1.2}$

$$+\frac{1}{1\,.\,2}\left\{\frac{d^2z}{dx^2}\,h^2+2\frac{d^2z}{dx\,dy}\,hk+\frac{d^2z}{dy^2}\,k^2\right\}$$

$+$ etc.,

et

$$z'+\frac{1}{1}\left\{\frac{dz'}{dx'}\,h+\frac{dz'}{dy'}\,k\right\}$$

$$+\frac{1}{1\,.\,2}\left\{\frac{d^2z'}{dx'^3}\,h+2\frac{d^2z'}{dx'dy'}\,hk+\frac{d^2z'}{dy'^2}\,k^2\right\}$$

$+$ etc.,

vel brevitatis caufa,

pro z feries $z+\frac{1}{1}(Ph+Qk)+\frac{1}{1\,.\,2}(Rh^2+2\,Shk$
$+Tk^2)+$ etc.,

pro z' feries $z'+\frac{1}{1}(P'h+Q'k)+\frac{1}{1\,.\,2}(R'h^2+2\,S'hk$
$+F'k^2)+$ etc.,

Distantia harum fuperficierum, demenfa ope ordinatarum, exprimitur per

$$(P-P')\,h+(Q-Q')\,k$$

$$+\frac{1}{2}\left\{(R-R')\,h^2+2(S-S')\,hk+(T-T')\,k^2\right\}$$

$+$ etc.

Si nunc $P-P'$ et $Q-Q'$ aequales fero fiant, eadem ratione, qua in lineis curvis intelligitur tertiam fuperficiem inter hascé duas non transire posfe, nifi quae ad minimum talibus conditionibus fatisfaciat; item fi $R-R'$, $S-S'$ et $T-T'$ evanescant, tertiam non inter has duas transire posfe, nifi quae talibus conditionibus fatisfaciat, et fic porro. Quae cum ita fint, colligendum est, fi duae fuperficies curvae contactum primi ordinis ha-

habeant, coördinatis duarum ſuperficierum in hocce puncto inter ſe convenientibus, $\frac{dz}{dx} - \frac{dz'}{dx'} = 0$ et $\frac{dz}{dy} - \frac{dz'}{dy'} = 0$ exſistere vel $\frac{dz}{dy} = \frac{dz'}{dx'}$ et $\frac{dz}{dx} = \frac{dz'}{dy'}$. Si hae curvae contactum tertii ordinis habeant, praeter hosce quotos etiam aequales esſe $\frac{d^2z'}{dx'^2}$ et $\frac{d^2z}{dy^2}$, $\frac{d^2z'}{ax'dy'}$ et $\frac{d^2z}{dxdy}$, $\frac{d^2x'}{dy'^2}$ et $\frac{d^2z}{dy^2}$; vel generatim, ſi contactum habeant n^{ti} ordinis, exſistentibus coördinatis aequalibus, tantum numerum conditionum, quibus ſit ſatisfaciendum, adesſe, quantus exprimitur per ſummam ſeriei arithmeticae, cujus primus terminus est 2, et ultimus $n+1$; denique tum $\frac{(n+3)}{2}$ conditiones adesſe, quibus ope conſtantium arbitrariarum, quae in aequationibus curvarum adſunt, ſatisfieri debet.

Animadvertendum est, quando linea curva duplicis curvaturae tanquam tacta a ſuperficie quadam conſideratur, et per x', y', z' coödinatae ſuperficiei tactae deſignantur, poſitis $x'+h$ pro x' et $y'+k$ pro y', tum z' quidem exprimi per ſeriem hancce

$$z' + \frac{dz'}{dx'}h + \frac{dz'}{dy'}k$$

$$+ \left\{ \frac{d^2z'}{dx'^2}h^2 + 2\ \frac{d^2x}{dx'dy'}hk + \frac{d^2z'}{dy'^2}k^2 \right\}$$

$+$ etc.;

ſed

sed praeterea, cum ad inveniendas conditiones contactus haec ſeries est comparanda cum ſerie ducta ex aequationibus curvae propositae, non tantum reddendas esſe in quocunque quotorum differentialium ſuperficiei aequationis $x' = x$, $y' = y$ et $z' = z$, ſed etiam loco ipſius k ſubſtituendam ſeriem

$$\frac{dy}{dx}\frac{h}{1} + \frac{d^2y}{dx^2}\frac{h^2}{1 \,.\, 2} + \text{etc.}$$

Quia propter naturam curvae fluxio ſeu accretio k ſubjecta est fluxioni ſeu accretioni, h ſubſtitutione, facta oritur ſeries hujus formae

$$z + Ph + Qh^2 + Rh^3 + \text{etc.},$$

in qua P, Q, R, et ceterae ſignificant functiones datas quotorum differentialium, quae deducuntur ex aequatione ſuperficiei et una aequatione curvae propoſitae, ideoque pro contactu primi ordinis $\frac{dz}{dx} = \frac{dz'}{dx'}$, pro contactu ſecundi ordinis $\frac{dz}{dx} = \frac{dz'}{dx'}$ et $\frac{d^2z}{dx^2} = \frac{d^2z'}{dx'^2}$ et ſic porro 1). Ita theoria tangentium tractata et univerſe regulis pro tangentibus cujuscunque generis datis, transeamus ad alteram partem.

1) Vidd. La Grange, l. l. P. II. Ch. VIII. pag. 238 ſqq. et La Croix, l. l. I. §. 315. pag. 566 et 346. pag. 618.

PARS

PARS II.

USUS THEORIAE TANGENTIUM.

CAPUT I.

DE LINEIS RECTIS TANGENTIBUS ET DE CIRCULIS TANGENTIBUS OSCULANTIBUSQUE LINEARUM CURVARUM SIMPLICIS CURVATURAE.

§. 8.

Theoria tangentium, quod attinet ad curvas ſimplius curvaturae, applicari ſolet ad inveniendas earum tangentes rectas et circulos tangentes osculantesque. Primum igitur proponatur curva ejusmodi per aequationem $y = f(x)$, eaque comparanda cum linea recta quacunque. — Linea recta generatim exprimitur per aequationem

$$y' = \alpha x' + \beta \quad . \quad . \quad . \quad . \quad (1).$$

in qua α et β ſunt constantes arbitrariae, quae po-

poſitionem hujus lineae determinent. Quando recta et curva punctum quoddam commune habent, $x = x'$ et $y = y'$ ſint; necesſe ergo

$$y = \alpha x + \beta \quad . \quad . \quad . \quad (2).$$

Praeterea ex aequatione prima deducitur $\frac{dy'}{dx'} = \alpha$, quando recta et curva contactum primi ordinis inter ſe habent, debet esſe $\frac{dy'}{dx} = \frac{dy}{dx}$ (§ 5), ergo $\frac{dy}{dx} = \alpha$. Itaque hocce valore ipſius α et valore ipſius β, deducto ex aequatione (2), ſubſtitutis in (1), obtinetur aequatio

$$y' - y = \frac{dy}{dx}(x' - x)$$

Haecce recta gaudet proprietate (§ 3), quod nulla altera linea recta inter hancce rectam et curvam propoſitam transire potest, ideoque haec recta est tangens curvae, atque (§ 5) haecce linea tangens est osculatrix, ejusque et contactus et osculatio primi ordinis. Notum est, in aequatione lineae rectae $y' = \alpha x' + \beta$ per α repreſentari tangentem trigonometricam anguli, quem haec linea cum axe abſcisſarum facit, et per $-\frac{\beta}{\alpha}$ abſcisſam eo momento, quo recta hancce axem ſecet; hinc ſequitur quia $\alpha = \frac{dy}{dx}$, differentialium quotum primi ordinis ſignificare tangentem trigonometricam anguli, quem tangens curvae cum axe abscisſarum facit, et per

x —

$$x-\left(-\frac{\beta}{\alpha}\right)=x+\frac{\beta}{\alpha}=x+\frac{y-\alpha x}{\alpha}=\frac{y}{\alpha}=\frac{y}{\frac{dy}{dx}}$$

$\frac{ydx}{dy}$ repreſentari lineam, quae vulgo ſubtangens appellatur.

Si ratio, quam aequationes duarum linearum, ſibi perpendiculariter inſistentium, inter ſe habeant, applicetur ad aequationem tangentis, obtinetur pro aequatione rectae, tangenti perpendiculariter inſiſtentis, aequatio

$$y'-y=-\frac{dx}{dy}(x'-x)$$

quae est aequatio lineae, quae normalis appellatur et comprehenſa est inter punctum contactus et axem abscisſarum. Praeterea patet: $-\frac{dx}{dy}$ esſe tangentem trigonometricam anguli, quem normalis cum axe abscisſarum facit, et $x+\frac{\beta}{\alpha}=-\frac{ydy}{dx}$ partem axeos abscisſarum comprehenſam inter pedem ordinatae et punctum, quo normalis hancce axem ſecet cui parti nomen est ſubnormalis 1).

§. 9.

Ponamus (fig. 2.) MT esſe tangentem curvae

NN',

1) Vid. La Grange, l. l. P. II. Ch. II. p. 171—173 et La Croix, I. §. 205 pag. 423 §. 212. pag. 428, et §. 222 pag. 444.

NN', MR ei perpendiculariter inſistentem normalem, PT ſubtangentem, et PR ſubnormalem. Si in aequatione tangentis $y' = 0$ ponatur, est $AT = x' = x - y\frac{dx}{dy}$, ſin in aequatione normalis $y' = 0$, est $AR = x' = x + y\frac{dy}{dx}$; cum prima linea AT ab x et ab altera AR ipſa x ſubtrahatur, tum restant

$$\text{ſubtangens} = PT = y\frac{dx}{dy}$$

et

$$\text{ſubnormalis} = PR = y\frac{dy}{dx}.$$

Hicce valor ſubnormalis repugnare videtur valori, quem asſecuti ſumus praecedente paragrapho. Haec autem, quae videtur, repugnantia ſtatim evanescit quando obſervemus longitudinem ſubnormalis decrescere, crescente ſubtangente, usque ad momentem, qno normalis et ordinata coincidant; tum crescere ſubnormalem, decrescente ſubtangente, ideoque directiones ſubnormalis et ſubtangentis ſibi oppoſitas esſe.

Facillime longitudines tangentis et normalis inveniuntur, quia ordinata media proportionalis est inter ſubnormalem et ſubtangentem. Ergo

$$(\text{tang.})^2 = y^2 + y\left(\frac{dx}{dy}\right)^2$$

$$\text{tang.} = TM = y\sqrt{\left(1 + \left(\frac{dx}{dy}\right)^2\right)}$$

et

norm.

$$(\text{norm})^2 = y^2 + y^2 \left(\frac{dy}{dx}\right)^2$$

$$\text{norm.} = MR = y\sqrt{\left(1 + \left(\frac{dy}{dx}\right)^2\right)}$$

Interdum est in aequatione curvae x tanquam functio ipſius y data, et axis ordinatarum pro axe abſciſſarum ſumta ita, ut mutetur $\frac{dy}{dx}$ in $\frac{dx}{dy}$, quo efficitur, ut hae formulae obtineantur.

$$AT' = y - x\frac{dy}{dx}$$

$$P'T' = \text{ſubtang.} = x\frac{dy}{dx}.$$

$$P'R' = \text{ſubnorm.} = x\frac{dx}{dy}$$

$$MT' = \text{tang.} \quad = y\sqrt{\left(1 + \left(\frac{dx}{dy}\right)^2\right)}$$

$$MR' = \text{norm.} \quad = y\sqrt{\left(1 + \left(\frac{dy}{dx}\right)^2\right)}$$

Obſervandum est, ſi formula tangentis negativum ſignum accipiat, tangentem ad dextram partem puncti contactus occurrere axi absciſſarum.

In hisce formulis coördinatae ſumtae ſunt rectangulae; quando vero hae tanquam angulam non rectangulam inter ſe facientes in aequatione data conſiderati ſint, facillime colligi potest, aequationis tangentis non formam mutari, neque valores linearum AT et PT; quod autem attinet ad lineas MT, MR et PR, has facillime inverniri ope triangulorum MTP, MTR et MPR, in quibus ſunt cogni-

ta duo latera et angulum inclusum, vel unum latus et duos angulos 1).

Quamvis meo proposito haud plane conveniat, e mechanica quid addere, tamen liceat mihi animadvertere: quando corpus a causis externis coactum fuit in linea curva, in plano sita, progredi, hisce causis externis subito cessantibus, secundum directionem et eadem celeritate, quam habuit tempore librationis, ergo secundum tangentem progressurum esse. Si coördinatae hujus curvae in functione temporis (t), ergo per aequationes $x = F(t)$ et $y = f(t)$ datae sunt, nanciscimur, (t) eliminato, aequationem curvae, et ita facillime ope praecedentium formularum linea determinatur, in qua tempore librationis corpus progreditur. Potentiae vero ejus, a qua sollicitatur corpus, directio in tangentem appellatur vis tangentialis, quae vis quamvis per semet ipsa in rerum natura vix unquam oriri potest, maximo est usui; quaecunque directio, quam habeat corpus sollicitans, in duas alias resolvi potest, quarum una directio secundum tangentem, altera autem secundum normalem. Haec vis normalis-

1) Vid. La Croix, l. l. I § 207. pag. 425 et §. 213. pag. 429. Cff. Newt. Op. omn. I. pag. 430 seqq., Leibn. Op. omn. III. pag. 167., Hennert, Cursus math. III. p. 82. Nova Act. Petrop. Tom. IX. pag 166., M. de l'Hôpital Anal. des infin pet. pag. 12., Huigenii, Op. var. III. pag. 498, Euleri, Introd. in Anal. inf. parv. §. 286., pag. 177., Klugel, Math. wörterb. voce Beruhr. linie II. aliique.

malis in eo consistit, ut corporis tantum directionem immutet et efficiat, ut corpus, quod per se in recta esset progressurum, in linea curva promoveatur 1).

§. 10.

Facillime distinguitur, utrum tangens supra an infra curvam sita sit, utrum curva concavitatem an convexitatem axi abscissarum obvertat.

Quando in aequatione curvae $x+h$ pro x substituitur, y exprimitur per seriem

$$y + \frac{dy}{dx}\frac{h}{1} + \frac{d^2y}{dx^2}\frac{h^2}{1.2.} + \frac{d^3y}{dx^3}\frac{h^3}{1.2.3.} + \text{etc.},$$

quae (fig. 2.) significat ordinatam Qr, ita ut qr representetur per

$$\frac{dy}{dx}\frac{h}{1} + \frac{d^2y}{dx^2}\frac{h^2}{1.2} + \text{etc.}$$

Ex §. 8. patet, pq atque $\frac{dy}{dx}h$ inter se aequales esse: ergo si rq subtrahatur a linea pq, valor hujus differentiae est

$$+\frac{d^2y}{dx^2}\frac{h^2}{1.2} - \text{etc.},$$

et (fig. 3.) differentia inter rq et pq indicatur per

$$+\frac{d^2y}{dx^2}\frac{h^2}{1.2} + \text{etc.}$$

Er-

1) Vid. Euleri, Mech. Tom. I. pag. 25, 225, seq. et La Grange, l. l. P. III, Ch. II.

Ergo linea curva est concava, uti in fig. 2, fi $\frac{d^2y}{dx^2}$, quae ob quantitatem h infinite parvam omnium fequentium terminorum fummam fuperat, est negativi valoris, et curva convexa, uti in fig. 3, fi $\frac{d^2y}{dx^2}$ est pofitivi valoris 1).

§. 11.

Quando e dato puncto ad curvam datam tangens est ducenda, tum coördinatae et hujus puncti dati et puncti coactus aequationi generali tangentium hujus curvae fatisfacere debent. Ponantur igitur α et β, quae fignificent valores coördinatarum x' et y' dati puncti, pro x' et y', quo facto aequatio tangentis mutatur in

$$\beta - y = \frac{dy}{dx}(\alpha - x)$$

in qua aequatione incognitae coördinatae x et y ope aequationis curvae propofitae funt determinandae. Cum autem non punctum, ex quo tangens ducatur, datum est; fed pofitio tantum lineae, cui tangens parallela esfe debet, vel angulus, quem tangens cum axe abscisfarum facit, tum per femet ipfum patet, quotum $\frac{dy}{dx}$ aequalem esfe ponendum quanti-

1) Conff. Leibnits, Op. omn. III. p. 165 et La Croix, l. l. §. 206. pag. 425.

titati datae, quae significat tangentem trigonometricum anguli dati; qua aequatione cum aequatione curvae propositae conjuncta, valores cöordinatarum x et y, quae puncto contactus quaesito conveniunt, determinantur. Hocce modo problemata omnia ejusmodi solvuntur 1).

§. 12.

Si punctum contactus M (fig. 1) magis magisque discedit ab origine coördinatarum, ut tandem hocce punctum infinitam distantiam ab origine sit dissitum, tum tangens asymptotus rectilineus appellatur. Ope formularum

$$AT = x - y\frac{dx}{dy}$$

et

$$AT' = y - x\frac{dy}{dx}$$

determinantur puncta axium, per quae transit tangens MT, quando autem aliquod punctum curvae infinitam distantiam est dissitum ab origine coördinarum, tum debet x vel y vel utraque esse infinita. Hinc sequitur, asymptotos rectilineos cognosci explorando, utrum formulae linearum AT et AT' habeant illis casibus limites definitos. Quodsi eveniat, luculenter patet, puncta axium, per quae transeat asymptotus, esse determinata. Praeterea autem

1) Vid. La Croix, l. l. §. 209, 210. pag. 426.

autem nonnulla ſunt animadvertenda. I.) Si utraque linea AT et AT' valorem ſero aequalem asſequitur, patet aſymptotum transire per originem coördinatarum, et angulum, quem aſymptotus cum axe absciſſarum facit, inveniendum esſe, determinando valore ipſius $\frac{dy}{dx}$.

II.) Quando valor $x = \infty$ reddit y aequalem ſero, AT esſe infinitam, ideoque axem absciſſarum ipſam aſymptotum; et quando AT asſequitur definitum valorem et e contrario AT' infinitum; tum valorem ipſius $\frac{dy}{dx}$ esſe infinitum, i. e. angulum, quem aſymptotus cum axe absciſſarum facit, esſe rectum, ideoque aſymptotum perpendiculariter inſiſtere axi absciſſarum facile colligi poteſt.

III.) Aſymptoti non exſiſtunt, ſi $x = \infty$, reddit y imaginariam, vel ſi $y = \infty$ facit x imaginariam.

IV.) Si definitus valor absciſſae ordinatam infinitam reddit, ſequitur hanc ordinatam ipſam esſe aſymptotum et e contrario, ſi definitus valor ordinatae absciſſam infinitam reddat, absciſſam aſymptotum. Ope aſymptotorum facillime invenitur directio curvae ramorum, qui ad infinitum ſe extendunt 1).

§. 13.

1) Cff. La Croix, l. l. I. §. 214, pag. 429 ſeqq.; Euler, Introd. in anal. infin. P. II. pag. 83 ſeq., Cramer, Anal. des lign. courb. §. 114, pag. 215., l'Hôpital, Anal. des inf.

pet.

§. 13.

Ad formulas tangentis, ſubtangentis cet. rite adhibendas tantum restat, ut indicetur curſus curvae, ſi quoti differentialium ſint aequales ſero, vel infiniti, vel ſub forma $\frac{0}{0}$ ſe offerant.

Quando $\frac{dy}{dx}$ evanescit, est angulus *MPT* (fig. 1) aequalis ſero, ideoque tangens *TM* parallela axi abscisſarum. Nil aliud concludi potest; namque ut tangens ante et post punctum contactus infra vel ſupra curvam ſe extendat, debet $\frac{d^2y}{dx^2}$ unum idemque ſignum ſervare, uti in fig. 4 et 5, 1) quo caſu ordinata valorem maximum vel minimum asſequitur. Hinc derivatur, tangentem parallelam axi abscisſarum esſe, et ab ea curvam tantum tangi et non ſecari eo momento, quo valor qui efficit, ut evancescat $\frac{dy}{dx}$, non efficiat, ut evanescat $\frac{d^2y}{dx^2}$, vel generatim, quo primus quotorum differentialium. qui non evanescit, ſit ordinis paris.

Si valor, qui facit $\frac{dy}{dx} = 0$, efficiat ut $\frac{d^2y}{dx^2}$ evanescat, est curva in puncto contactus neque conces-

pct. §. 13, pag. 14 ſeq. et Hennert, Curſ. Math. III. §. 102, pag. 87.]

1) Conf. §. 10.

cava neque convexa, et dicitur *fe inflectere.* Quam ob caufam punctum contactus M (fig. 6) appellatur *punctum inflexionis.* Hocce cafu est tangens, quae curvam et tangit et fecat 1), parallela axi abscisfarum. Sin vero quotus fecundi ordinis evanescat, non evancescente quoto primi ordinis, tangens (fig. 7 et 8) inclinata in axem abscisfarum, tangit et fecat uno eodemque momento curvam. Curva igitur fubit inflexionem, fi $\frac{d^3y}{dx^3}$ non evanescat, vel generatim, fi primus quotorum differentialium, qui non evanescat, fit ordinis imparis, cujus ordine ordo inflexionis est demetiendus. Per femet ipfum patet, fi hiccce quotus imparis ordinis nagativum valorem asfequatur, curvam esfe concavo-convexam (fig. 7); fin vero pofitivum, convexo-concavam (fig. 8). Quando primus quotus, qui non evanescit, est ordinis paris, est curva ad eandem partem tangentis fita et ante et post punctum contactus, nihilque obfervatu dignum offert, et curva ipfa in hocce puncto dicitur *ferpere*, et punctum contactus *punctum ferpentementi* (point de ferpentement).

Cum figurae 7 et 8 inspiciantur, patet quotum $\frac{dy}{dx}$ vel tangentem trigonometricam anguli, quem tangens curvae cum axe abscisfarum facit, in fig. 7 esfe Minimum, et in fig. 8 esfe Maximum.

Ac

1) Conf. §. 3.

Quoniam quotis differentialium evanescentibus ordo contactus in puncto inflexionis primi ordinis, accrescit, non est ſilentio praetermittendum, contactum tangentis cum curva propoſita eſſe tertii ordinis, et sic porro 1). Quod convenire limitibus interſectionis 2), luculenter patet, ſi inspicitur fig. 9; namque tria interſectionis puncta *N*, *M* et *O* coincidere debent, ut linea *NO* tangat curvam in *M* et ſic porro 3).

§. 14.

Quando quotus differentialium $\frac{dy}{dx}$ asſequitur infinitum valorem, tum, quia derivatur e goniometria tangentem alicujus anguli non infinitam esſe posſe niſi arcus ſit 90° vel 270°, est tangens curvae perpendicularis ad axem absciſſarum. Tangens autem fere in omnibus punctorum ſingularium generibus ita ſeſe habere potest. Figura 10. proponit limitem curvae, quod attinet ad ipſam x, figura 11. inflectionem, figura 12. cuspidem primae ſpeciei, figura 13. cuspidem, qui dicitur ſecundae ſpeciei. Simul

1) Conf. §. 5.

2) Vid. Cramer, l. l. §. 161, pag. 460, §. 162. pag. 490.

3) Vid. La Croix, l. l. §. 189. pag. 407, §. 230. pag 456. Conf. omnino Journ. de l'école polyt. Tom. V. Ch. XIV. par Poisson, pag. 137 ſeqq.

mul vero ac unus quotorum differentialium infinitus evadat, series Tayloriana non amplius applicari potest, et necesse est substituatur series formae

$$Ph^{\alpha} + Qh^{\beta} + Rh^{\gamma} + \text{etc.},$$

in qua exponentes α, β, γ, cet., dum ab uno alterove termino incipiatur, valores fractos assumunt. Tum sunt distinguendi casus, in quibus, uno exponentum exsistente fracto numero denominatoris paris, valor ipse, mutando signo ipsius h, evadit imaginarius. Si haecce mutatio non locum habere potest, facillime est colligendum curvam tantum se extendere ad partem adscissarum. Quid porro ad ordinem primi quoti differentialium, qui infinitus evadere debet, attinet, hic dependet a termino, in quo exponens sit numerus qui vere fractus dicitur. Ergo inflexio et cuspis utraque cernitur existente $\frac{d^2y}{dx^2} = 0$ aut ∞ 1). Nam si exponentes fracti sunt numeratoris et denominatoris imparum, potest, exsistente $\alpha = 1$, exponens $\beta >$ vel $<$ 2 esse, ideoque $\frac{d^2y}{dx^2} = 0$ vel $= \infty$; ita obtinetur hocce casu inflexio, in illo cuspis.

Quoniam ergo ad curvae cursum cognoscendum, exsistensibus quotis differentialium infinitis, opus est, ut puncta, quae hisce punctis singularibus circum-

1) Conf. M. de l'Hopital, l. l. §. 67. pag. 63, atque Varignon et Crouzas ad h. l.

cumjaceant, confiderentur, pertinet haecce disquifitio non ad tangentes. Ergo ab his defistere mihi licet.

Obfervandum tamen est cuspidem nunquam, inflexionem interdum exsistere posfe, fi feries exponentium non fractos terminos contineat, atque ramos curvae, qui inter fe conftituant cuspidem primae fpeciei, convexitates fibi invicem obvertere; idcirco fignum quoti fecundi pro uno eodemque ramo non idem habere, excepto cafu, quo tangens est perpendicularis axi abscisfarum; e contrario autem, fi duo rami inter fe cuspidem fecundae fpiciei conftituant idioque unius convexitas alterius concavitati obvertatur, hanc ob caufam pro utroque ramo quotum $\frac{d^2y}{dx^2}$ fignum fervare 1).

Nota. Primis calculi differentialis inventionis temporibus doctrina de Maximis et Minimis functionum unius variabilis ad confiderationem tangentium revocabatur. Postero autem et hodierno imprimis tempore a pluribus geometris haec doctrina cenfetur non dependere a tangentibus confiderandis. Etenim fi, $y = f(x)$ confiderata, curvae cur-

1) Vidd. La Croix, l. l. I. pag. 458. §. 231. et Journal de l'école polyt. Ch. XIV. Tom. V. pag. 135—142. Newtonus (l. l. I. Cap. 8. pag. 456) et Leibnitsius (l. l. III. p. 165. Act. Erud. 1684) jam puncta inflexionis et reflexionis confideravefunt.

cursus observetur momento, quo tangens parallela sit axi abscissarum, ideoque $\frac{dy}{dx} = 0$, patet quidem, ordinatam y maximum assequi valorem, si curva sit concava vel $\frac{d^2y}{dx^2}$ positivi signi, minimum vero, si convexa vel $\frac{d^2y}{dx^2}$ negativi signi; aut si, $x = f(y)$ considerata, cursus curvae observetur momento, quo tangens parallela sit axi ordinatarum, ideoque $\frac{dx}{dy} = 0$, patet etiam, abscissam x maximum assequi valorem, si $\frac{d^2x}{dy^2}$ sit positivi signi, minimum, si negativi. Plura autem de Maximis et Minimis e consideratione tangentium non concludi possunt, e. g. quomodo de valore x et y sit judicandum, si quotus differentialium fiat infinitus. Haecce igitur est causa, ob quam desisto agere de Maximis et Minimis 1).

§. 14.

1) Cf. La Grange, l. l. P. II. Ch. V. pag. 209. Inter alios Leibnitsius (l. l.] III.] pag. 168. Act. Erud. 1684) et l'Hôpital (l. l. Sect III. pag. 41) hanc doctrinam cum tangentibus conjunxerunt; deinde etiam Cramer l. l. §. 195. p. 487); Newtonus vero (l. l. Tom. II. Cap V. §. 1—5) derivavit eam e consideratione fluxionum, uti etiam Maclaurin (Flusc. Tom. II. Art. 858); e functionibus derivarunt Euler, (Inst. calc. diff. P. II. Ch. X), Hennert (Curs. Math. III. §. 89. seqq.), La Croix (l. l. I. §. 154. p. 360 seqq.) aliique.

§. 15.

Restat, ut agatur de vero valore quoti differentialium, cujus forma est $\frac{0}{0}$. Valor verus necesse est evadat aequalis sero, definitus vel infinitus. De primo et postremo in utraque praecedente paragrapho jam actum est. Si valor est definitus, notum est e calculo differentiali plures valores quoti differentialium exsistere, ideoque ob plures tangentes plures ramos curvae transire per unum idemque punctum, quod hanc causam *multiplex* esse dicitur 1). Hi rami, si veri valores reales et inaequales sint, sibi invicem occurrunt; sin vero sint aequales, tangentes coincidunt et rami sese tangunt, quorum contactus ordo facillime numero evanescentium quotorum differentialium investigatur. Quorum ramorum (fig. 14) utrum unus concavitatem alter convexitatem, an uterque convexitatem vel concavitatem axi obvertant, distinguitur signo quoti differentialium ordinis secundi. Ramum *AB* deësse ideoque curvam se reflectere et inflectere, ut ita dicam, vel ramos *AB* et *Ac* deësse ideoque punctum contactus esse punctum inflexionis, vel

1) Conff. La Croix, l. l. I. pag. 460. §. 232., Journ. de l'école polyt. Ch. XIV. pag. 131 seq. Saurin (Mem. de l'Acad. royale des scienc. anno 1716. pag. 59, 275. et ann. 1723. pag. 220.) et Camus (Mem. de l'Acad. royale des scienc. ann. anno 1747. pag. 272.) primi puncta multiplicia accuratius tractarunt.

vel five *AB* et *AC* five *Ab* et *Ac* deësfe ideoque exfistere cuspidem primae fpeciei, vel in fig. 15 et 16 *AB* et *AC* aut *Ab* et *Ac* deësfe ideoque cuspidem fecundae fpeciei existere, haecce et omnia ejusmodi cognoscentur, prout, derectionibus ramorum in puncto, quo hi fibi invicem occurrunt, per eorum tangentes cognitis, rami in punctis circumjacentibus fiunt imaginarii, nec ne. — Quandoquidem valor unius, quotorum differentialium evadit imaginarius, ideoque item feries Tayloriana, patet alterum punctum huic puncto neque fuccedere, ergo hoc punctum, quod confideratur, fejunctum a reliqua curva, punctum *cunjugatum* esfe, quia ovalis conjugata tum in punctum evanescit. Animadvertendum est, quamvis in puncto conjugato proprietas geometrica tangentis non exiftat, tamen curvam ad quam hocce punctum pertinet, hujus puncti tangentem realem et magnitudine et pofitione determinatam interdum habere posfe, quia, utres ita fefe habeat, necesfe est quoti differentia liumordinis primi non evadant imaginarii 1).

§. 16.

1) Vidd. La Croix, l. l. I. pag. 460. §. 233. Journ. de l'école polyt. Ch. XIV. p. 134. et Euler, Introd. in anal. inf. P. II. §. 293. p. 161 feq. Cff. ad puncta fingularia Cramer, l. l. Chap. X. p. 400 feqq. Chap. XI. p. 467 feq. atque omnino Chap. XIII. pag. 568—655 et Klugel, Math. Wörterb. voce beruhr. lin. II.

§. 16.

Quamvis omnes lineae et algebraicae et transcendentes per aequationes inter coördinatos orthogonales indicari posſint; nonnullae tamen transcendentes, imprimis curvae ſpirales, definiuntur plerumque per aequationes polares. Ut ad has lineas formulae tangentis, ſubtangentis, cet., applicentur, debent coördinatae orthogonales transformari in coördinatas polares. Ponatur igitur in A (fig. 17) origo coördinatarum orthogonalium, $AP = x$ et $PM = y$, OQ (vel arcus incluſus inter punctum Q in axe absciſſarum AB et punctum O, in quo est origo arcus NQ) $= m$, $NQ = t$ et PM perpendiculariter demiſſa ad AB. Obervato, angulum MAP metiendum eſſe per arcum $NQ = -(m-t) = t-m$, obtinentur aequationes:

$AM^2 = AP^2 + PM^2$ vel $u = \sqrt{(x^2 + y^2)}$ .... (1)

$AP^2 = AM \cos NQ$ vel $x = u \cos(t-m)$ .... (2)

$PM = AM$ ſin NQ vel $y = u$ ſin $(t-m)$ .... (3)

ergo

$$\frac{x}{u} = \cos(t-m)$$

$$\frac{v}{u} = \text{ſin}\ (t-m)$$

et, poſito AB ſe confundere cum AO,

$$\frac{x}{u} = \cos t,$$

$$\frac{y}{u} = \text{ſin}\ t$$

$$\text{et}\ \frac{y}{x} = \text{tang.}\ t$$

Per

Per ſubſtitutionem aequationum (2) et (3) ex aequatione inter coördinatas orthogonales aequatio polaris deduci poteſt. Si aequationes (1), (2) et (3) differentientur, exſiſtunt

$$du = d.\sqrt{(x^2 + y^2)}$$
$$dx = du \cos(t-m) - udt \sin(t-m)$$
$$dy = du \sin(t-m) + udt \cos(t-m)$$

et, quantitate du inter duas ultimas eliminata,

$$dt = \frac{dy \cos(t-m) - dx \sin(t-m)}{u}$$

vel valoribus poſitis pro u, $\cos(t-m)$ et $\sin(t-m)$

$$dt = \frac{xdy - ydx}{x^2 + y^2}.$$

Harum ope aequationum ex aequationibus differentiatis unius generis ad aequationes differentiatas alterius tranſiri poteſt. Si in formulis, quae exſtant ad tangentem, ſubtangentem, normalem et ſubnormalem inveniendam pro x, y, dx et dy eorum valores ſubſtituantur, hae formulae aptae ſunt curvis, quarum aequatio eſt polaris. Ergo:

$$\text{tang.}\,MT = u\sin(t-m)\sqrt{\left[1+\left(\frac{du\cos(t-m)-udt\sin(t-m)}{du\sin(t-m)+udt\cos(t-m)}\right)^2\right]}$$

$$\text{ſubt.}\,PT = u\sin(t-m)\,\frac{du\cos(t-m)-udt\sin(t-m)}{du\sin(t-m)+udt\cos(t-m)}$$

$$\text{norm.}\,MR = u\sin(t-m)\sqrt{\left[1+\left(\frac{du\sin(t-m)+udt\cos(t-m)}{du\cos(t-m)-udt\sin(t-m)}\right)^2\right]}$$

$$\text{ſubn.}\,PR = u\sin(t-m)\,\frac{du\sin(t-m)+udt\cos(t-m)}{du\cos(t-m)-udt\sin(t-m)}$$

Propter arbitrariam poſitionem axeos absſisſarum arcus m ita ſumi poteſt, ut ſit $QN = \frac{1}{2}\pi$, ideoque

PM

PM cum radio vectore *AM* ſe confundat, atque tum $\cos(t-m) = 0$ et $\sin(t-m) = 1$ obtineantur, quo facto mutantur

$$MT \text{ in } MT' = u\sqrt{\left(1 + u^2 \left(\frac{dt}{du}\right)^2\right)}$$

$$PT \text{ in } AT' = -\frac{u^2 dt}{du}$$

$$MR \text{ in } MR' = u\sqrt{\left(1 + \left(\frac{du}{udt}\right)^2\right)}$$

$$PR \text{ in } AR' = -u\frac{du}{udt} = -\frac{du}{dt}.$$

Hinc ſequitur tangentem trigonometricam anguli, quem tangens *MT'* cum radio vectore *AM* facit, aequalem esſe quoto $\frac{AT'}{AM} = -\frac{udt}{du}$.

Ea, quae de tangentibus jam obſervata ſunt, facillime ad has aequationes applicantur, e. g. ſi quaeratur, utrum curva ſit concava an convexa, ſignum, utrum poſitivum an negativum ſit, exquirendum est quoti differentialium $\frac{d. -\frac{u^2dt}{du}}{du} = -\frac{u^2d^2t}{du^2}$

vel, ſi quaeratur, an curva habeat aſymptotos nec ne, patet (fig. 17*), cum curva *AB* aſymptotum habeat, ordinatam *u* esſe infinitam; ergo tum tangentem trigonometricam anguli, quem aſymptotus cum axe *AX* facit, indagari posſe, dummodo $u = \infty$ in $-\frac{udt}{du}$ ponatur. Ita de ceteris est agendum 1).

§. 17.

1) Vidd. La Croix, l. l. I. §. 249. p. 178, Hennert, Curſ. Math.

§. 17.

Hucusque actum est de rectis lineis tangentibus; agatur igitur nunc de curvilineis et imprimis de circulo.

Circulus, cujus aequatio generalis est

$$(x'-\alpha)^2+(y'-\beta)^2=\gamma^2$$

in qua quantitates α et β coördinatas ejus centri et γ radium fignificant, est tangens curvae cujuscunque propofitae, fi duae quantitatum arbitrariarum, quae adfunt in aequatione ope differentialium quoti primi ordinis, exfistentibus coördinatis hujus puncti aequalibus, determinatae funt 1). Ex aequatione generali circuli deducitur $\frac{dy'}{dx'}=-\frac{x'-\alpha}{y'-\beta}$. Ut curculus punctum commune curvae cuicunque habeat, cujus aequatio data est inter x et y, necesfe est $y'=y$, $x'=x$ fint et, ut contactus fit primi ordinis, $\frac{dy'}{dx'}=\frac{dy}{dx}$. Quo facto mutatur aequatio circuli in

$$(x-\alpha)^2+(y-\beta)^2=\gamma^2 \;\ldots\; (1)$$

$$\text{et } \frac{dy'}{dx'} \text{ in } \frac{dy}{dx}=-\frac{x-\alpha}{y-\beta} \;\ldots\ldots\; (2)$$

et, radio γ confiderato tanquam dato, reperiuntur per (1) et (2)

$\alpha=$

Math III pag. 185, §. 100. et Klugel, Math. Wörterb. voce beruhr. lin. III. Cf. Newton, l. I. I. pag. 440. mod. VIII. de fpiralibus.

1) Conf. §. 5.

$$\alpha = x - \frac{\gamma \frac{dy}{dx}}{\sqrt{\left(1+\left(\frac{dy}{dx}\right)^2\right)}}$$

$$\text{et } \beta = y + \frac{\gamma}{\sqrt{\left(1+\left(\frac{dy}{dx}\right)\right)^2}}.$$

Itaque hic circulus tangit curvam propofitam, quia alter circulus eundem radium habens et easdem coördinatas α et β, non inter curvam propofitam et circulum primum transire potest, fed cum hocce coincidit.

Aequatio $\frac{dy}{dx} = -\frac{x-\alpha}{y-\beta}$ vel $\beta - y = -\frac{dx}{dy}(\alpha - x)$ convenit aequationi jam fupra pro normali inventae. Hinc colligi potest, omnium circulorum, qui curvam tangant, centra esfe in normalibus puncti contactus vel in iis prolongatis. Praeterea ob diverfum valorem. qui radio γ tribui potest, patet: infinitum esfe numerum circulorum, qui datam curvan tangere posfint 1).

§. 18.

Quando autem hicce circulus tres omnes quantitates α, β et γ ope conditionum contactus determinatas habeat, circulus est osculans, et quia ejus con-

1) Vid. La Grange, l. l. P. II. Ch. II. §. 174 feq.

contactus hocce casu est ordinis secundi, supra et infra curvam propositam sese extendere potest. 1)

Aquatio circuli est

$$(x'-\alpha)^2 + (y'-\beta)^2 = \gamma^2$$

ergo $$(x'-\alpha)\,dx' + (y'-\beta)\,dy' = 0.$$

$$dx'^2 + dy'^2 + (y'-\beta)d^2y' = 0.$$

Ut circulus cum curva quacunque, cujus aequatio inter coördinatas x et y est data, contactum secundi ordinis habeat, necesse est evadant $x' = x$, $y' = y$, $\frac{dy'}{dx'} = \frac{dy}{dx}$ et $\frac{d^2y'}{dx'^2} = \frac{d^2y}{dx^2}$, quo facto praecedentes aequationes mutantur in

$$(x-\alpha)^2 + (y-\beta)^2 = \gamma^2 \; . \; . \; . \; (1)$$

$$(x-\alpha)dx + (y-\beta)\,dy = 0 \; . \; . \; . \; . \; (2)$$

$$dx^2 + dy^2 + (y-\beta)\,d^2y = 0 . \; . \; . \; . \; . \; (3)$$

quarum aequationum ope facillime constantes arbitrariae definiuntur, ita ut reperiantur

$$\alpha = x - \frac{\frac{dy}{dx}\left(+1\left(\frac{dy}{dx}\right)\right)}{\frac{d^2y}{dx^2}}$$

$$\beta = y + \frac{1 + \left(\frac{dy}{dx}\right)^2}{\frac{d^2y}{dx^2}}$$

$$\gamma = \pm \frac{\left(1 + \left(\frac{dy}{dx}\right)^2\right)^{\frac{2}{3}}}{\frac{d^2y}{dx^2}}$$

1) Conff. §. 3. et 5.

Circulus igitur, si hae α, β, et γ in ejus aequatione ita sunt determinatae, non sinit ut alter circulus ejusmodi inter huncce circulum et curvam propositam transeat, atque igitur est circulus osculator curvae propositae cujuscunque.

Quia radius circuli osculatoris considerari solet tanquam situs in ea plani parte, cui curva obvertat concavitatem, quo casu valor ipsius $\frac{d^2y}{dx^2}$ est negativus; mathematici hanc ob causam, ut radius si curva convexitatem axi abscissarum obvertat, evadat negativus, assumere solent in adhibenda formula ipsius γ negativum signum, ita ut sit

$$\gamma = -\frac{\left(1 + \left(\frac{dy}{dx}\right)^2\right)^{\frac{3}{2}}}{\frac{d^2y}{dx^2}}$$

Non silentio praetermittendum est centrum circuli osculatoris considerandum esse tanquam punctum intersectionis duarum normalium, quae distantia infinite parva a se invicem sunt dissitae. Quando igitur aequatio normalis jam antea inventa ponitur sub forma

$$(y' - y)\, dy + (x' - x)\, dx = 0 \quad . \; . \; . \; (a)$$

et observatur, si ad normalem puncti subsequentis transeatur, substituendum esse $x + dx$ pro x, et y tanquam variabilem quantitatem considerandam, coördinatas autem x' et y non loco mutari in puncto intersectionis harum normalium; differentianda est aequatio normalis, consideratis x et y tanquam va-

variabilibus et dx tanquam conſtante, quo facto obtinetur

$$(y'-y)\, d^2y - dx^2 - dy^2 = 0 \;.\;.\;.\;.\; (b)$$

Si ope harum aequationum (a) et (b) determinantur x' et y', obtinentur iidem valores, quos aequationes (2) et (3) praebent pro α et β, et radius circuli osculatoris est aequalis radici e ſumma quadratorum $(x'-x)$ et $y'-y)$ 1).

§. 19.

Haec duo maxime obſervanda videntur.

1.) Hicce circulus osculator ſeparat circulos, qui tangunt curvam ab interiori parte, ab iis, qui tangunt eam ab exteriori. Ad quod intelligendum tantum est animadvertendum, distantiam duorum circulorum, qui ſeſe tangunt, menſam per ordinatas exprimi posſe per ſeriem

$$\left(\frac{d^2y'}{dx'^2} - \frac{d^2y}{dx^2}\right)\frac{h^2}{1.2} + \left(\frac{d^3y'}{dx'^3} - \frac{d^3y}{dx^3}\right)\frac{h^3}{1.2\,3} + \text{etc.}$$

ideoque priusquam ab $\frac{d^2y'}{dx'^2} > \frac{d^2y}{dx^2}$ ad $\frac{d^2y'}{dx'^2} < \frac{d^2y}{dx^2}$ transeatur, perveniendum esſe ad $\frac{d^2y'}{dx'^2} = \frac{d^2y}{dx^2}$, quae conditio exſistere debet, ut circulus ſit osculator.

2.)

1) Vidd. de La Grange, l. l. P. II. §. 9. et La Croix, l. l. I. §. 221. pag. 440, §. 227. pag. 449. §. 261. pag. 491, conſſ. Euler, Introd. in Anal inf. II. pag. 168, §. 309 ſeqq. Hennert, Curſ. Math. III pag. 103. ſeqq. J. Bernouillii, Op. Omn. Tom. III. p. 432 ſeqq. et Newton, l. l. I. Cap. VII. n°. 3. p. 443—452.

2.) Quoniam curvatura unius ejusdemque circuli in omnibus ejus punctis una eademque est, diverſorum autem circulorum diverſa, circulus osculator adhiberi ſolet ad demetiendam curvaturam curvarum; quare non raro circulus osculator circulus curvaturae ſive curvedinis appellatur, et ilius radius dicitur radius curvaturae. Quia quo major circulus, eo minor ejus curvaturae, et quo minor circulus, eo major ejus curvatura est, patet curvaturam curvarum esſe in ratione inverſa earum radiorum curvaturae, quod facillime hocce modo demonſtratur. Si in quacunque curva pro curvatura arcûs AEB (fig. 18.) ſumatur angulus DCB, qui formatur a duobus tangentibus, ductis per extremitates hujus arcus et aequalis est angulo AOB, facto a duobus radiis per extremitates arcus ductis, et deinde duo arcus ejusdem longitudinis a, in diverſis circulis, quorum radii ſunt r et r', inter ſe comparentur; patet luculenter, eorum angulos curvaturae exprimi per $\frac{360^\circ . a}{2\,\pi . r}$ et $\frac{306^\circ . a}{2\,\pi . r'}$, ideoque curvaturas arcuum in eadem ratione, in qua $\frac{1}{r} : \frac{1}{r'}$, i. e. in ratione inverſa radiorum curvaturae, e. g. ſi curvatura alicujus lineae, uti rectae, est nulla, tum est radius curvaturae infinitus 1).

§. 20.

1) Vidd. La Croix, l. l. III. pag. 635 et Hennert, Curſ. Math. III. §. 142. pag. 112. Cff. Newton, l. l. I. Cap. III. §. 1. pag. 143, et Cramer, l. l. Chap. 12. pag. 539.

§. 20.

Radius curvaturae pro omnibus curvae propofitae punctis diverfae curvaturae differt. Itaque centra circuli curvaturae pro omnibus curvae punctis tum locis mutantur, et conftituunt curvam, cujus coördinatae funt α et β. Si nunc in aequationibus (2) et (3) pro differentialibus eorum valores fubftituantur, et deinde x et y eliminentur, relatio apparet, quae inter α et β in omnibus locis, quae occupare potest centrum circuli osculatoris, existere debet, ergo aequatio curvae, cujus coördinatae sunt α et β. Haecce fecunda curva mirandis proprietatibus gaudet, quarum et aliae et imprimis hae duae funt memorandae; prima, radium circuli curvaturae femper esfe tangentem fecundae curvae, et altera, radios curvaturae ejusdem curvae inter fe eadem quantitate differre atque convenientes arcus curvae, quippe quae a centris circulorum conformatur. Facillime hae proprietates hocce modo demonftrantur.

Quantitates α, β et γ tanquam functiones ipfius x valorem non posfunt mutare, nifi haecce variabilis ipfa mutetur. Itaque ad confequendas relationes inter earum differentialia, funt aequationes (1), (2) et (3) differentiandae, dum omnes quantitates variabiles confiderantur. Duae primae praebent

$$(x-\alpha)\,dx+(y-\beta)\,dy-(x-\alpha)\,d\alpha-(y-\beta)\,d\beta=\gamma\,d\gamma.$$

$$dx^2+dy^2+(y-\beta)\,d^2y-d\alpha\,dx-d\beta\,dy=0$$

Hac

Hae, ſubſtitutis aequationibus (1) et (2) mutantur in

$$-(x-\alpha)\,d\alpha-(y-\beta)\,d\beta=\gamma\,d\gamma \quad \ldots\ldots (4)$$

$$-d\alpha dx-d\beta dy=0 \quad \ldots\ldots (5)$$

ergo $$\frac{d\beta}{d\alpha}=-\frac{dx}{dy}$$

qua ſubſtituta mutatur (2) in

$$(x-\alpha)\,d\beta-(y-\beta)\,d\alpha=0 \quad \ldots\ldots (6)$$

vel $$(y-\beta)=\frac{d\beta}{d\alpha}(x-\alpha)$$

quae aequatio plane convenit aequationi generali tangentis. Haec aequatio igitur indicat tangentem curvae, cujus coördinatae ſunt α et β, ductam e puncto extra hanc curvam, cujus coördinatae ſunt x et y; ergo radius curvaturae tangit curvam a centris conformatam. Quod attinet ad alteram proprietatem, eliminatis inter (1), (4) et (6) differentiis $(x-\alpha)$ et $(y-\beta)$, obtinetur aequatio.

$$d\gamma^2=d\alpha^2+d\beta^2 \text{ vel } \frac{d\gamma}{d\alpha}=\sqrt{\left(1+\left(\frac{d\beta}{d\alpha}\right)^2\right)}$$

Praeterea notum est, ſi arcus curvae, cujus coördinatae ſunt α et β, repreſentatur per z, obtineri

$$dz^2=d\alpha^2+d\beta^2 \text{ vel } \frac{dz}{d\alpha}=\sqrt{\left(1+\left(\frac{d\beta}{d\alpha}\right)\right)}$$

unde ſequitur $d\gamma=dz$

$$\int.d\gamma=\int.dz$$

ergo $\gamma=z$.

Hinc colligendum est, radios circuli osculatoris eadem quantitate inter ſe differre, qua arcus, inter centra horum circulorum comprehenſi, inter ſe differunt.

Quan-

Quando ſupra curvam *AB* (fig. 18*) a centris curvaturae conformatam filum extenditur, idque filum quippe prolongutam per *AC* ſeu radium curvaturae repreſentatur, tum filo usque ad *B* evolvendo deſcribitur *BD*. Hanc ob rem curva ipſa appellatur involuta vel evolvens (développante); curva autem, quae a centris circuli osculatoris conformatur, evoluta (développée) et radius curvaturae radius evolutae.

Praeterea ſequitur, ſi involuta est curva algebraica ideoque ejus radii curvaturae, quorum differentiae ſunt aequales arcubus evolutarum convenientibus, per algebraicas formulas deſignantur, evolutam esſe rectificabilem, i. e. lineam rectam indicari posſe, cui aequalis ſit evoluta. Quae cum ita ſint, patet infinitum esſe curvarum numerum, quae rectificari posſunt 1).

Quando corpus quoddam non libere mevetur, ſed cogitur ſupra datam lineam moveri, cognoscatur radius curvaturae necesſe est. Directio presſionis corporis est directa contraria poſitioni radii curvaturae, quare corpus in alteram curvae partem productum praebebit directionem hujus presſionis; e. g. ſi corpus movetur in linea recta, est presſio nulla ab infinitum radium curvaturae. Huigenius, qui primus doctrinam evolutionis excoluit, primus

1) Vidd. de La Grange, l. l. P. II. Chap. IV. p. 206, §. 23, La Croix, l. l. l. §. 226, p. 346 et Henn. l. l. III. §. 128, p. 110. Cff. Newton. l. l. Cap. 12. prob. 10. et Leibnitſ. l. l. III. p. 274. Act. Erud. 1692.

mus hocce ope penduli effecit, ut corpus in data linea eaque cycloïde moveatur 1). Hac de re autem plura obſervando transirem fines, quas mihi quaestio praeſcripſit.

Uti puncta ſingularia, multiplicia, inflexionis et reflexionis peculiarem vim exercent in curvas, ita etiam agunt in evolutas. In punctis multiplicibus propter plures valores ipſius $\frac{dy}{dx}$ multi radii curvaturae ideoque multae aequationes evolutae adſunt. Praeſertim vero ſunt inflexio et reflexio animadvertenda. Centrum curvaturae ſitum est in ea plani parte, cui curva propoſita ſuam concavitatem obvertit. Exſistente puncto inflexionis vel reflexionis, debet centrum, ideoque evoluta locum ita mutare, ut ab una parte tangentis ad alteram moveatur. Haec autem res duobus modis diverſis ſe habere potest, uti figuris 19 et 20. intelligitur, ubi evoluta curvae radium curvaturae habet aequalem ſero; vel uti ex figuris 21 et 22, ubi evoluta habet duos ramos infinitos, qui ambo normalem puncti ſingularis habent aſymptotum. Ergo ſi in curva occurrunt puncta inflexionis vel reflexionis, est radius curvaturae $=$ o vel ∞. Ex figura 23 patet, quomodo reflexio vel cuspis ſecundae speciei peculiarem vim exercet in evolutam,

1) Vidd. Euleri, Mechan. P. II. Cap. I. pag. 9—12, et Huigenii, Op. Var. Tom. I. de Horal. Oscill, P. III. p. 89. P. IV. pag. 17.

tam, in qua cernitur inflexio; nam ramus *NO* evolvendo describit partem evolutae *HG*, et ramus *MN* partem *FG* 1).

§. 21.

Evoluta, de qua hucusque actum est, nonnunquam propria esse dicitur, ut dignoscatur ab altera *AB*, (fig. 24), conformata ab intersectionibus linearum rectarum *AC*, *AC'* cet., quae per curvae puncta subsequentia *C*, *C'* cet. sunt ductae, et unum eundemque angulum cum tangentibus curvae in hisce punctis faciunt, quam lineam *AB* Fontenelle appellavit evolutam imperfectam. Deinde Reaumur hac de evoluta pauca edidit, et tandem Lancret, a quo haecce evoluta imperfecta nominata est curva evolubilis (développoïde) et curva ipsa trajectoria tanquam unum eundemque angulum faciens cum lineis rectis, quae ad eam sunt ductae. Haec evoluta inperfecta praeter alias hac mira gaudet proprietate, scilicet evolutam perfectam cujuscunque evolutae imperfectae esse evolutam imperfectam evolutae primariae, et evolutam imperfectam cujuscunque

1) Conff. La Croix, l. l. I. §. 234. pag. 460. Henn. l.l. §. 143. pag. 123 seqq. Cramer, l. l. §. 119, pag. 511. Euleri, Introd. in anal. inf. P. II. pag. 173, §. 319 seqq. et de cuspide secundae speciei, pag. 179, §. 333. de qua cf. l'Hôpital, Anal. des inf. pet. p. 102, §. 109.

que curvae esse duplicem, quae proprietates per se-met ipsae jam intelliguntur.

Aequatio evolutae imperfectae, cujus coördinatae per x' et y' repraesentantur, hocce modo inveniri potest. Aequatio tangentis est

$$y'-y = \frac{dy}{dx}(x'-x)$$

et lineae alterius, quae per idem punctum curvae transit, sit

$$y'-y = A(x'-x)$$

Quia haec linea facere debet cum tangente angulum datum ω, necesse est, determinetur A ope formulae goniometricae, quae praebet tangentem trigonometricam summae vel differentiae duorum arcuum. Tum invenitur.

$$A = \frac{\frac{dy}{dx} \pm \text{tang. } \omega}{1 \mp \frac{dy}{dx} \text{ tang. } \omega}$$

quo valore substituto obtinetur aequatio lineae vel potius linearum duarum, quae cum tangente angulum ω facientes in puncto, quo $x = x'$, curvae occurrunt,

$$\pm \text{tang. } \omega \left((x'-x) + (y'-y)\frac{dy}{dx}\right) = (y'-y) - (x'-x)\frac{dy}{dx}$$

quae aequatio, ut ad aequationem liniae puncti subsequentis transeatur, 1) differentiata, dum considera-

1) Conf. §. 18. ad finem.

ratur x tanquam variabilis qantitas, ſeſe offert hac ſub forma

$$\pm \text{tang.}\, \omega \left((y'-y) \frac{d^2y}{dx} - \left(1 + \frac{dy}{dx}\right)^2 \right) = -(x'-x) \frac{d^2y}{dx^2}$$

ſi ex his duabus aequationibus et aequatione data inter x' et y' quantitates x' et y' elimentur, restat relatio inter x et y, ideoque aequatio evolutae imperfectae.

Linea vero AC ſive radius evolutae imperfectae deſignatus per r est. $= \sqrt{\left((x'-x)^2 + (y'-y)^2\right)}$, et valoribus differentiarum $(x'-x)$ et $(y'-y)$ ſubſtitutis

$$r = \pm \frac{\sin \omega \left(1 + \left(\frac{dy}{dx}\right)^2\right)^{\frac{3}{2}}}{\frac{d^2y}{dx^2}} = \gamma \sin \omega.$$

Hinc ſequitur, radium evolutae perfectae et imperfectae curvae esſe in ratione, in qua $1 : \sin \omega$, ideoque $\omega = 90°$ existente, r aequalem esſe radio γ 1).

§. 22.

Uti punctum contactus curvae propoſitae et lineae rectae tangentis infinita distantia ab origine coördi-

1) Vidd. Hist. de l'Acad. des ſcienc. anno 1701, pag. 81, anno 1706. pag. 91 ſeqq. Mém. de l'Acad. des ſcienc., auno 1709. pag. 64. par Reaumur, et Mém. préſentes à l'inſt. par des ſav. Etrang., Tom. II. pag. 7—9, par Lancret.

dinatarum disſitum esſe potest, ita etiam contactus duarum curvarum magis magisque discedere potest ab origine coördinatarum, ut una curva sit aſymptotus alterius conſideranda. Quando in aequatione $y = f(x)$ curvae propoſitae pro x ſubſtituitur $\frac{1}{h}$, tum ſeſe offert ordinata y ſub hacce forma

$$Ah^{-\lambda} + Bh^{-\lambda-\mu} + Ch^{-\lambda-\mu-\nu} + \text{etc.}$$

Si] alterius curvae aequatio ſit $y' = f(x')$, funtioque, $\frac{1}{h}$ pro x' ſubſtituto, in ſeriem explicata primos terminos aequales primis terminis ipſius $f\left(\frac{1}{h}\right)$ habeat, patet, eadem ratione, qua in Prima parte de theoria §. 1—4, quantitatem h tam parvam ſumi posſe, ut tertia curva data per aequationem $y'' = \phi\,(x'')$, ſi functio haecce post ſubſtitutionem ipſius $\frac{1}{h}$ pro x'', explicata in ſeriem non aequalem numerum terminorum convenientium habeat, inter hasce curvas non transire posſit, in punctis ſcilicet quae abscisſae $x = \frac{1}{h}$ omnibusque abscisſis infinite magnis respondent: nam ſimulac conditio, quae impedit, quo minus haecce curva inter duas alteras transeat, obtinetur pro certo valore ipſius h, ea ſine dubio obtinebitur pro omnibus ipſius h valoribus, qui ſunt illo minores.

Hinc concludendum est, curvam, cujus aequatio

tio est $y=Ax^{-\lambda}$ vel $y=Ax^{-\lambda}+Bx^{-\lambda-\mu}$ vel etc., eo magis curvae propoſitae accedere, qui majores evadant abscisſae x, eamque autem nunquam attingere, ita ut inter hanc duas tertia curva ſive parabolica ſive hyperbolica, niſi ſit ordinis altioris, transire posſit. Ergo haecce ſecunda curva est aſymptotus primae curvae 1).

§. 23.

Facillime formula radii curvaturae ita transformatur, ut apta ſit aequationibus polaribus. Si dt (§. 16) conſideratur tanquam conſtans, debent esſe dx et dy quantitates variabiles, dum x et y tamquam functiones implicitae ipſius t conſiderantur Opus igitur est formulae ipſorum γ, $x-\alpha$, $y-\beta$ (§. 18) ita transformentur, ut nullum differentiale ſit conſideratum tanquam conſtans. His obſervatis, mutantur hae formulae in

$$\gamma=-\frac{(dx^2+dy^2)^{\frac{3}{2}}}{dx\,d^2y-dy\,d^2x}$$

$$y-\beta=\frac{dx\,(dx^2+dy^2)}{dx\,d^2y-dy\,d^2x}$$

$$x-\alpha=\frac{dy\,(dx^2+dy^2)}{dx\,d^2y-dy\,d^2x}$$

Va-

1) Vidd. La Grange, l. l. P. II. Ch. II. pag. 184. §. 14 La Croix, l. l. I. §. 203. p. 421 ſqq. Euler, Introd. P. II. §. 198, p. 99 et Newt., l. l. I. Geom. anal. Cap. VII. §. 26. p. 557.

Valores dx et dy (§. 16) praebent

$$dx^2 + dy^2 = du^2 + u^2 dt$$

et differentiando

$$d^2x = d^2u \cos(t-m) - 2dudt \sin(t-m) - udt^2 \cos(t-m)$$
$$d^2y = d^2u \sin(t-m) + 2dudt \cos(t-m) - udt^2 \sin(t-m)$$

unde

$$dxd^2y - dyd^2x = 2du^2dt - udtd^2u + u^2dt^3$$

quibus valoribus substitutis, obtinetur

$$\gamma = - \frac{(du^2 + u^2dt^2)^{\frac{3}{2}}}{2du^2dt - udtd^2u + u^2dt^3}$$

Haecce formula non depentdet a quantitate m. Si autem ponatur, ordinatum PM (fig. 17) se confundere cum radio vectore AM ideoque $\sin t-m) = 1$ et $\cos(t-m) = 0$ esse, tum exsistunt $dx = -udt$, $dy = du$, $d^2x = -2dudt$, $d^2y = d^2u - udt^2$, quibus valoribus substitutis, pervenitur ad eandem formulam radii curvaturae. Ergo patet hunc radium minime dependere a quantitate m.. Hoc casu inveniuntur pro $(x-\alpha)$ et $(y-\beta)$ hae formulae.

$$x - \alpha = \frac{du^3 + u^2dt^2du}{u^2dt^3 - udtd^2u + 2du^2dt}$$

$$y - \beta = \frac{udu^2 + u^3dt^2}{2du^2 - ud^2u + u^2dt^2}$$

Haud raro centrum F circuli osculatoris refertur ad radium vectorem AM, ope lineae FE perpendiculariter ad radium vectorem ductae et distantiae ME, et si pro axe ordinatarum AM sumitur, valores linearum ME et FE derivari possunt e formulis $(x-\alpha)$ et $(y-\beta)$, quoniam AE repraesentat evolu-

lutae ordinatam β, et FT ejus abscisſam α. Obſervato, abſcisſam α in origine coördinatarum orthogonalium i. e. in A esſe aequalem ſero, ſequitur

$$MF = AM - AE = y - \beta$$

et $EF = \alpha$.

Linea ME vulgo appellatur coradius. Si e formulis ipſarum α et β eliminentur u et t, ad aequationem evolutae perveniri, luculenter patet 1).

Eadem ratione, qua in praecedentibus paragraphis linea rectae et circulus cum lineis curvis ſimplicis curvaturae comparata ſunt, facillime pergi potest ad parabolas aliasque curvas comparandas cum curvis ejusmodi 2). E praecedentibus ſatis patet, quomodo theoria tangentium, quod attinet ad has curvas, adhiberi potest. Franseo igitur ad caput ſecundum.

1) Vidd. La Croix, l. l. I. pag. 482. §. 253. Henn., l. l. III. et Agnesi, Traité du Calc. diff., p. 118.

2) Ampère primus accurate conſideravit parabolas osculatrices. Vidd. Journ. de l'école prolyt. Chap. XIV. Tom. VII. p. 159—181. Cf. Clugel, Math. Wörterb. voce beuchr. lin. IV.

CAPUT II.

DE LINEIS RECTIS TANGENTIBUS, DE PLANIS OSCULANTIBUS ET NORMALIBUS, ATQUE DE CIRCULO TANGENTE ET OSCULANTE CURVARUM DUPLICIS CURVATURAE.

§. 24.

Theoria tangentium curvarum duplicis curvaturae, quae ſupra §. 6. expoſita est, facillime applicari potest. Ejus uſus conſtat primum in aequationibus inveniendis earum tangentium, atque planorum osculantium et normalium, deinde circulorum tangentium et osculantium. Primum igitur, quod attinet ad tangentes, aequationes projectionum cujuscunque lineae rectae, quae in ſpatio exſtare conſideratur, ſunt hae duae:

$$y' = ax + \alpha \qquad \text{et } z' = bx' + \beta.$$

Ut linea recta cum quacunque duplicis curvaturae, cujus coördinatae ſunt x, y et z punctum commune habeat, mutantur hae aequationes in

$$y = ax + \alpha \qquad \text{et } z = bx + \beta \; \ldots\ldots \; (1)$$

et

et praeterea conditio, cui, ut contactus primi ordinis inter rectam et curvam exſistat, ſatisfieri debet, est illa, qua

$$\frac{dy'}{dx'} = \frac{dy}{dx} = a \quad \text{et} \quad \frac{dz'}{dx'} = \frac{dz}{dx} = b \quad \ldots . (2)$$

Si ope harum aequationum (1) et (2) ex aequationibus projectionum lineae rectae conſtantes a et α, b et β eliminentur, obtinentur aequationes projectionum tangentis curvae duplicis curvaturae, quippe quae ſunt

$$y' - y = \frac{dy}{dx}(x' - x) \quad \text{et } z' - z = \frac{dz}{dx}(x' - x).$$

Luculenter patet, ſi hae aequationes cum aequatione tangentis curvarum ſimplicis curvaturae (§. 8.) comparentur, per has duas aequationes repreſentari duas tangentes curvarum ſimplicis curvaturae, quae definiunt projectiones curvae propoſitae, easque in plano xy et xz ſitas esſe, ita ut ad tangentem curvarum duplicis curvaturae ducendam tangentes curvarum projectarum curvae ducantur necesſe ſit, et recta linea, quae hasce tangentes in projectione habeat, vel quae e puncto, quo hae duae rectae ſeſe ſecant, ad punctum contactus ducatur, ſit tangens curvae duplicis curvaturae. — Anguli autem, quos haec tangens facit cum axibus, facillime reperiri posſunt. Notum est, ſi (fig. 25.) linea AM per r, angulus MAX per α, angulus YAM per β, et angulus CAM per γ repreſen-

tentur, et aequationes projectionum hujus lineae fint

$$x' = az' + \alpha, \quad y' = bz' + \beta$$

tum esse $\cos\alpha = \frac{x'}{r}$, $\cos\beta = \frac{y'}{r}$ et $\cos\gamma = \frac{z'}{r}$

vel $\cos\alpha = \frac{a}{\sqrt{(a^2+b^2+1)}}$, $\cos\beta = \frac{b}{\sqrt{(a^2+b^2+1)}}$

$\cos\gamma = \frac{a}{\sqrt{(a + b^2+1)}}$ 1). Ergo, hisce ad aequationes projectionum tangentis applicatis, obtinentur

$$\cos\alpha = \frac{dx}{\sqrt{(dx^2+dy^2+dz^2)}}, \cos\beta = \frac{dy}{\sqrt{(dx^2+dy^2+dz^2)}},$$

$$\cos\gamma = \frac{dz}{\sqrt{(dx^2+dy^2+dz^2)}}$$

vel propter $(dx^2+dy^2+dz^2) = ds^2$, fignificante s arcum curvae,

$$\cos\alpha = \frac{dx}{ds}, \cos\beta = \frac{dy}{ds}, \text{ et } \cos\gamma = \frac{dy}{ds}.$$

Si valores horum angulorum, dum in iis x, y vel z vel duae harum infinitae ponantur, definitos limites habeant, patet curvis esse afymtotos et fi tangens per punctum datum, cujus coödinatae funt α, β et γ transire debeat, tum funt ponendae in aequationibus tangentis hae quantitates pro x', y', z'.

Quando valores y, z, $\frac{dy}{dx}$, $\frac{dz}{dx}$ per $\phi(x)$, $\psi(x)$, ϕ'

1) Vid. Leroy, Anal. appl. à la géom. des trois dim. à Paris 1829. §. 24. p. 13.

$\phi'(x)$, $\psi'(x)$ vel potius per ϕ, ψ, Φ, ψ' repreſentantur, tum mutantur aequationes tangentis in

$$y'-\phi=(x'-x)\,\Phi' \quad \text{et} \quad z-\psi=(x'-x)\,\psi.$$

Si hae aequationes conjunguntur, obtinetur aequatio plani tangentis; ſin vero x inter has aequationes eliminatur, oritur relatio, quae inter coördinatas x', y', z', quaecunque ſit poſitio puncti contactus, exſistere debet, ideoque aequatio ſuperficiei, quae conformatur ab omnibus tangentibus curvae propoſitae. Si haecce curva in plano ſit ſita, ſuperficies ipſa est plana; quando curva propoſita non est in plano ſita, tum per ſemet ipſum patet, ſuperficiem esſe evolubilem (*dévoloppable*) hujusque latus reflexum (*l'arête de rebrousſement*) esſe curvam ipſam propoſitam. Lancret hancce ſuperficiem rectificantem appellavit, quia ſi haecce ſuperficies in planum explanetur, curva ipſa evadit recta 1).

Quando corpus a pluribus viribus, quarum directiones in diverſis planis exſistunt, ſollicitatur, et coördinatae curvae duplicis curvaturae, quae hoc caſu a corpore deſcribitur, in functioni-

1) Vid. Leroy, l. l. §. 223. p. 153, §. 338—340. pag. 251 ſeqq. et La Grange, l. l. P. II. Ch. VII. §. 33. p. 226. La Croix, l. l. I. §. 341. p. 616. §. 345. p. 618. Mem. Préſentés par diverſ. ſav. Etrang. Tom. I. p. 420 ſeqq. Conff. Euler, Introd. P II. in append. §. 147. p. 395, et Henn. l. l. III. §. 428.

nibus temporis e. g. per aequationes $x=F(t)$, $y=f(t)$, $z=\Phi(t)$ ſunt datae, curvae ipſae aequationes inveniuntur elimanda quantitate t, ideoque, ope praecedentium aequationum et formulorum angulorum tangentis, derectio celeritatis vel vis tangentialis, qua progredi est coactum corpus. Vires tres principes, quae corpus cogunt, in curva duplicis curvaturae progredi, ſunt ſingulae inter ſe normales, quarum una est tangentialis, reliquae duae normales ad eam, quarum una directionem habet in plano dato, alteri vero directio est normalis ad hocce planum. Quando autem motus corporis curvilineus est liber in medio reſiſtente, vis reſiſtentiae est referenda ad vim tangentialem, quam tantum illa imminuit, quia motum corporis retardat. In hoc et ejusmodi caſu opus est, ut haecce vis cognoscatur, unde igitur patet, quantam vim cognitio tangentium et normalium harum curvarum exercet in res mechanicas 1).

§. 25.

Ut planum, cujus aequatio generalis est

$$z'=Ax'+By'+D$$

cum quacunque curva duplicis curvaturae, x, y, z tanquam coördinatis exſiſtentibus, contactum ſecundi ordinis habeat, necesſe est, ut $x'=x$, $y'=y$ et $z'=z$, atque praeterea $\frac{dy'}{dx'}=\frac{dy}{dx}$ et $\frac{dz'}{dx'}=\frac{dz}{dx}$,

d^2y'

1) Vidd. Euleri Mech. I. pag. 339. et La Grange, l. l. p. III. Ch. III.

$\frac{d^2y'}{dx'^2}=\frac{d^2y}{dx^2}$ et $\frac{d^2z'}{dx'^2}=\frac{d^2z}{dx^2}$ ſint. Ergo pervenitur ad aequationes

$$z=Ax+By+D,\ \frac{dz}{dx}=A+B\frac{dy}{dx},\ \frac{d^2z}{dx^2}=B\frac{d^2y}{dx^2}$$

unde, poſitis $\frac{dy}{dx}=\phi'$, $\frac{dz}{dx}=\psi'$, $\frac{d^2y}{dx^2}=\phi''$, $\frac{d^2z}{dx^2}=\psi''$, obtinentur, $A=\frac{\psi'\phi''-\phi'\psi''}{\phi''}$ et $B=\frac{\psi''}{\phi''}$.

Aequatio plani, ex qua ope harum aequationum. *A*, *B* et *D* conſtantes ſunt eliminatae, est hujus formae

$$z-\psi=\frac{\psi'\phi''-\phi'\psi''}{\phi''}(x'-x)+\frac{\psi''}{\phi''}(y'-\phi)$$

et quia omnes conſtantes conditionibus contactus ſunt determinatae, est haec aequatio plani osculantis curvae propoſitae.

Cum vero curvae duplicis curvaturae conſiderari posſunt tanquam polygona laterum infinite parvorum, quorum tria ſubſequentia non ſunt in uno eodemque plano, tum duae tangentes ſubſequentes determinant planum, quod tranſit per duo latera ſubſequentia et idem est quod osculans.

Hoc igitur quoque est conſiderandum tanquam planum transiens per tria punctae curvae ſubſequentia. Ergo quando aequatio

$$A(x'-x)+B(y'-y)+C(z'-z)=0$$

repraeſentat planum per aliquod punctum curvae transiens, ſemel et bis haec aequatio, *x*, *y* et *z* om

omnibus tanquam variabilibus consideratis, differentianda est, ideoque

$$Adx + Bdy + Cdz = 0$$

$$Ad^2x + Bd^2y + Cd^2y = 0$$

et deinde ope harum trium quantitates A, B et C sunt eliminandae. Aequatio igitur plani osculantis est

$$(x'-x)(dyd^2z-dzd^2y)+(y'-y)(dzd^2x-dxd^2x)+ (z'-z)(dxd^2y-dyd^2x)=0 \quad \ldots \; (1)$$

Quia curva per duas aequationes est determinata, una trium variabilium est independens, e. g. z, ita ut $d^2z=0$, ideoque mutatur, hocce valore substituto, aequatio plani osculantis in

$$-(x'-x)\,d^2z\,d^2y+(y'-y)\,dzd^2x+(z'-z)(dxd^2y-dyd^2x)=0. \quad \ldots \; (2)$$

Si in aequatione (1) pro y et z atque earum differentialibus valores, qui deducuntur ex aequationibus $y=\phi(x)$ et $z=\psi(x)$, substituantur, eadem aequatio obtinetur atque prima plani osculantis. A plano osculante ad subsequens osculans transitur ope differentiationis e respectu x, y et z, substitutis pro y et z eorum valoribus, et tandem x inter haec plana osculantia eliminata, obtinetur aequatio superficiei, quae totam curvam osculat.

Nota. Si superficies rectificans perpendiculariter superficiei osculanti insistat, earum intersectio est curva ipsa proposita, cujus proprietatis ope Lancret determinavit superficiem rectificantem 1).

§. 26.

1) Vidd. La Croix, l. l. I. §. 346, 347. p. 619 seqq.

Le-

§. 26.

Angulus, quem inter se faciunt duo plana tangentia, sese proxime subsequentia, primae flexionis curvae esse dicitur, et hocce modo quo Leroy egit, facillime reperitur.

Si designantur, per u, v, w, cosinus angulorum, α, β, γ, quos tangens facit cum axibus, et per u', v', w', cosinus angulorum, quos tangens, hancce primam subsequens, facit cum axibus; tum, uti notum est, cosinus anguli, inter hasce duas tangentes comprehensi, est aequalis $uu' + vv' + ww'$. Quando igitur angulus primae flexionis per ε designatur, est

$$\cos \varepsilon = uu' + vv' + ww'$$

sed ut u, v, w in u', v', w' mutentur, necesse est substituantur $x + dx$, $y + dy$, $z + dz$ pro x, y, z. Ergo

$$u' = u + du + \tfrac{1}{2} d^2u$$
$$v' = v + dv + \tfrac{1}{2} d^2v$$
$$w' = w + dw + \tfrac{1}{2} d^2w.$$

His substitutis et observatis

$$u^2 + v^2 + w^2 = 1$$
$$udu + vdv + wdw = 0$$
$$ud^2u + vd^2v + wd^2w = -(du^2 + dv^2 + dw^2)$$

for-

Leroy, l. l. §. 347, p. 257 et Mém. prés. par Sav. Etrang. I. pag. 421 seqq.

1) Vid. Leroy, l. l. §. 31. p. 18.

formula cosinus anguli ε mutatur inter

$$\cos\varepsilon = 1 - \tfrac{1}{2}(du^2 + dy^2 + dw^2)$$

et propter ε infinite parvum angulum

$$\cos\varepsilon = 1 - \frac{\varepsilon^2}{2}$$

ergo $$\varepsilon^2 = du^2 + dy^2 + dw^2$$

et propter $u = \frac{dx}{ds}$, $v = \frac{dy}{d}$, $w = \frac{dz}{ds}$ (§. 24) est

$$\varepsilon = \sqrt{\left(\left(d.\frac{dx}{ds}\right)^2 + \left(d.\frac{dy}{ds}\right)^2 + \left(d.\frac{dz}{ds}\right)^2\right)}$$

vel $$\varepsilon = \frac{\sqrt{\left((dsd^2x - dxd^2s) + (dsd^2y - dyd^2s) + dsd^2z - dzd^2s)\right)}}{ds^2}.$$

Summa quadratorum terminorum, qui in binomiis hujus fracti numeratoris primum locum occupant, est ds $(d^2x^2 + d^2y^2 + d^2z^2)$, summa quadratorum terminorum, qui secundum occupant locum, est d^2s^2 $(dx^2 + dy^2 + dz^2) = ds^2 d^2 s^2$, summa duplicis producti primorum et secundornm est $2\, ds\, d^2s$ $(dx\, d^2x + dyd^2y + dz^2dz) = -2\, ds^2 d^2 s^2$

ergo $$\varepsilon = \frac{\sqrt{(d^2x^2 + d^2y^2 + d^2z^2 - d^2s^2}}{ds},$$

Porro praebet $ds^2 = dx^2 + dy^2 + dz^2$ aequationem $ds\, d^2s = dx\, d^2x + dy\, d^2y + dz\, d^2z$, unde

$$d^2s = \frac{dx\, d^2x + dy\, d^2y + dz\, d^2z}{\sqrt{(dx^2 + dy^2 + dz\;)}}$$

Hisce substitutis

$$\varepsilon = \sqrt{\left(\frac{(dy\, d^2z - dzd^2y)^2 + (dz\, d^2z - dx\, d^2z)^2 + (dx\, d^2y - dy\, d^2x)^2}{ds^4}\right)}$$

Hoc

Hoc modo angulus primae flexionis reperiri potest 1). Angulus vero, quem inter ſe faciunt duo plana osculantia, ſeſe ſubſequentia, ſecundae flexionis esſe dicitur, et hoc modo reperitur.

Primum planum osculans est datum per aequationem (1) 2), quae hac ſub forma ſcribi potest

$$Ax'+By'+Cz'+D=0$$

et in hacce pro x', y', z' ſubſtitutis $x'+dx'$, $z'+dz'$, $y'+dy'$, obtinetur aequatio plani osculantis ſubſequentis,

$$A'x+B'y'+C'z'+D'=0$$

Si nunc angulus flexionis ω appellatur, obtinetur, uti ſatis notum est,

$$\cos\omega=\frac{AA'+BB'+CC'}{\sqrt{(A^2+B^2+C^2)}\sqrt{(A'^2+B'^2+C'^2)}}$$

Propter angulum ω infinite parvum praeſtat ſinum hujus anguli cognosci, qui, ope formulae $\sin^2\omega=1-\cos^2\omega$, ita ſeſe habet

$$\sin^2\omega=\frac{(AB'-BA')^2+(BC'-CB')^2+(CA'-AC')^2}{(A^2+B^2+C^2)(A'^2+B'^2+C'^2)}$$

Valoribus $A'=A+dA$, $B'=B+dB$, $C'=C+dC$ ſubſtitutis et in denominatore terminis ſecundi ordinis neglectis, poni potest ipſe ω pro ſinu anguli ω. Quo

1) Vid. Leroy, § 350, 351, pag. 260—263. Cff. Mem. préſent. par Sav. Etrang. Tom. X. p. 481, par Meusnier.
2) Conf. §. 25.

Quo facto reperitur

$$\omega^2 = \frac{(AdB - BdA)^2 + (BdC - CdB)^2 + (CdA - AdC)^2}{(A^2 + B^2 + C^2)^2}$$

vel, quantitate x assumta tanquam variabili independente, obtinetur $d^2x = 0$, et, valoribus $A = dyd^2z - dzd^2y$, $B = -dx\, d^2z$, $C = dx\, d^2y$, $dA = dyd^3z - dz\, d^3y$, $dB = -dx\, d^3z$, $dC = dxd^3y$ fubftitutis,

$$\omega = \frac{dx\, ds\, (d^2y\, d^3z - d^2z\, d^3y)}{(d^2y^2 + d^2z^2)\, dx^2 + (dy\, d^2z - dz\, d^2y)^2}$$

Haec est formula anguli flexionis fecundae 1). Quando duo infinite parva latera curvae, quae vulgo elementa curvae appellantur, in linea recta fita funt, obtinetur inflexio duplex, quae fpectat ad fuperficiem a fubfequentibus tangentibus conformatam, et angulus hocce cafu primae flexionis est aequalis fero, ergo dx tanquam conftanti quantitate confiderata,

$$(dyd^2z - dzd^2y) + dx^2(d^2z + d^2y^2) = 0$$

Unde concluditur, fi tale punctum adfit, d^2y et d^2z aequalia esfe fero. Cum vero cuspis in curva duplicis curvaturae cernitur, projectio hujus curvae indicat etiam cuspidem, et quamvis contrarium hujus rei non femper ita fe habeat, puncta tamen fingularia hujusmodi respondent conditionibus $d^2y = 0$ vel $= \infty$ et $d^2z = 0$ vel ∞ 2).

Si in curva appareat inflexio fimplex, quae convenit inflexioni curvarum fimplicis curvaturae, quo ca-

1) Vid. Leroy, l. l. §. 394, p. 262. et Meusnier in Mem. etc p. 364.

2) Conf. Leroy, l. l. §. 352, 253. p. 263.

casu tria elementa sese subsequentia in eodem plano sita sunt, ideoque $\omega = 0$, obtinetur

$$d^2y\,d^3z - d^2z\,d^3y = 0.$$

Qua aequatione conjuncta cum duobus aequationibus curvae, puncta singularia hujus speciei determinari possunt 1).

Ad utilitatem harum formularum observandam, sufficit auimadvertit quando in mechanica potentiae considerantur, quae in curvam elasticam agunt, et ut ea in rectam lineam reflectatur, intendunt, necessariam esse cognitionem anguli contactus, et si potentia, quae secundam flexionem curvae elasticae perdere cupit, reperienda proponatur, opus esse, ut cognoscatur formula secundae flexionis in functione differentalium coördinatarum 2).

§. 27.

Quoniam innumerabiles lineae perpendiculariter tangentibus insistentes per punctmm contactus duci possunt, est problema normalem curvae duplicis curvaturae ducendi maxime indeterminatum. Attamen per hasce omnes normales planum transire potest, quod planum normale vulgo appellatur, quodque gaudet mirandis proprietatibus. Monge demon-

1) Conf. Leroy, l. l. §. 349. p. 260.

2) Vid. Lancret, in Mém. présent. par Sav. Etrang. Tom I. p. 481 et Poisson, Traité du méchaniq. Ch. VII.

monstravit 1), si aequationes projectionum lineae rectae sunt

$$\alpha y - \beta z = 0\,,\ \beta x - \gamma y = 0\,,\ \gamma z - \alpha x = 0\,,$$

aeqnationem plani huic rectae perpendiculariter insistentis esse

$$V(x'-x) + \beta(y'-y) + \alpha(z'-z) = 0.$$

Aequationes autem projectionum tangentis sunt

$$y'-y = \frac{dy}{dx}(x'-x)\,,\ z'-z = \frac{dz}{dx}(x'-x)$$

vel $y'-\phi = \phi'(x'-x)\,, z'-\psi = \psi'(x'-x)$.

Ergo si hae cnm praesentibus comparentur, exsistunt $\gamma = s$, $\beta = \phi'$, $\alpha = \psi'$, quo facto aequatio plani normalis est 2)

$$(x'-x) + (y'-\phi + (z'-\psi)\psi' = 0 \ldots . (A)$$

Quando punctum puncto contactus proximum sumitur, quod respondet abscissae $x + dx$, plani normalis aequatio pro hoc subsequente puncto mutatur in

$$x'-(x+dx) + (y'-\phi(x+(dx))\phi'(x+dx) +$$
$$(z'-\psi(x+dx))\psi'(x+dx) = 0 \ldots\ldots (A')$$

si aequatio (A) ab (A') subtrahatur, et differentia per dx devidatur, patet aequationem exsistere intersectionis duorum planorum normalium subsequentium, quae aequatio igitur est

$$(y'-\phi)\phi'' + (z'-\psi)\psi'' - \phi'^2 - \psi'^2 - 1 = 0 \ldots (B)$$

si in fig. 26. MK''' curvam duplicis curvaturae

et

1) Vid. Mem. présent. par div. Sav. Etr. Tom. X. p. 524, par Monge, imprimis ad hunc locum, Probl. I.

2) Monge, l. l. p. 529, Probl. II.

et AP, $A'P'$, $A''P''$, $A'''P'''$ plana normalia repraesentant, tum interſectio duorum planorum normalium ſubſequentium indicatur per lineam AB vel $A'B'$ vel $A''B''$ vel cet. In hac interſectione e. g. in AB ſunt ſita omnia centra circulorum, qui curvam in M' tangunt; ergo interſectio ipſa est ſita in ſuperficie $A'''B$, quae per infinitum numerum curvae evolutarum AA''', BB''', DD''', cet. conformatur 1).

Ergo quando inter aequationes (A) et (B) x eliminatur, exſistit aequatio ſuperficiei, quae orta est per interſectiones ſubſequentes planorum normalium curvae propoſitae, et continet omnes hujus curvae evolutas 2).

Interſectionibus vero AB, $A'B'$, $A''B''$, cet. in ſuperficie $A'''B$ prolongatis, oritur altera curva NO per earum interſectionem, quae dcitur latus reflexum (*l'arête de rebrouſſement*), et limes est ſuperficiei ab evolutis conformatae. Lancret hocce latus reflexum appellavit curvam per planum evolutam, obſervans, ſi planum oſculans per hancce curvam moveatur, ab uno punctorum hujus plani, quod movetur, deſcribi curvam ipſam duplicis curvaturae. Si aequatio (B) e reſpectu ipſius x differentiatur, obtinetur aequatio

$$(y'-\phi)\phi'''+(z'-\psi)\psi'''-3\phi'\phi''-3\psi'\psi''=0 \ldots (C)$$

Ex

1) Vid. Monge, l. l. p. 530, Theor. I.

2) Vid. Monge, l. l. p. 530, Probl. IV.

Ex aequationibus (*A*), (*B*) et (*C*) facillime deducuntur

$$z' = \psi + \frac{\phi'''(1+\phi'^2+\psi'^2) - 3\phi''(\psi'\psi''+\phi'\phi'')}{+\psi''\phi''' - \psi'''\phi''}$$

$$y' = \phi + \frac{-\psi'''(1+\phi'^2+\psi'^2) + 3\psi''(\psi'\psi''+\phi'\phi'')}{\psi''\phi''' - \psi'''\phi''}$$

$$x' = x + \frac{(\phi'\psi''' - \phi'''\psi')(1+\phi'^2) + \psi'^2 - 3(\phi'\psi'' - \phi''\psi')(\psi'\psi''+\phi'}{\psi''\phi''' - \psi'''\phi''}$$

Cum ex his tribus x eliminetur, tum existunt duae aequationes inter x', y', z', quippe quae funt lateris reflexi $N\Theta$ 1).

§. 28.

Confiderantibus plana normalia, multa fe offerunt maxime digna, quae cognoscantur, quorum haec prae ceteris funt animadvertenda.

Quando curva duplicis curvaturae in fpatio fita confideratur fed in eodem plano, conformatur per interfectiones planorum normalium fuperficies cylindrica, quia interfectiones omnes fibi parallelae funt (fig. 27.), ideoque latus reflexum non adesfe potest. Hinc fequitur, numerum evolutarum curvae fimplicis curvaturae MM''' infinitum esfe, et fi curva in fpatio fita confideratur eas evolu-

1) Vid. Monge, l. l. p. 524, n°. 3. p. 532, prob. 5 et p. 534, Conff. Leroy, l. l. §. 309—361. pag. 269 feqq. et La Croix, I. 348. p. 621.

lutas ſuperficiem cylincricam informare. Cum vero curva duplicis curvaturae locum occupat in ſuperficie ſphaerae, tum patet ſuperficiem planorum normalium esſe conicam, ejusque verticem esſe in centro ſphaerae, ideoque latus reflexum evanescere in punctum; ſi autem curva, quamvis in ſuperficie ſphaerae, in plano est ſita, eam esſe circulum, et omnia plana ei perpendiculariter inſistentia ſe in eadem linea recta ſecare, quae per ejus centrnm ad ejus planum perpendiculariter ſit ducta 1).

In ſimplice inflexione curvarum duplicis curvaturae tria elementa curvae in eadem linea recta ſita ſunt, ideoque in hocce caſu ſuperficies ab interſectione planorum normalium conformata continet duas interſectiones ſibi invicem parallelas, est igitur cylindrica, et coördinantae, x', y', z' hujus puncti ſunt infinitae. Ergo est in harum formulis (§. 27.) ponendum

$$\psi'' \phi''' - \phi'' \psi''' = 0$$

vel $$d^2z\, d^3y - d^2y\, d^3z = 0,$$

et valor x ex hac aquatione deductus ſignificat abſcisſam tali puncto convenientem.

Quia interſectiones planorum normalium perpendiculariter inſistunt planis osculantibus, et latus reflexum ſuperficiei planorum normalium conformant, facillimum est intellectu, angulum, quem tangentes hujus curvae inter ſe faciunt, eundem esſe atque

1) Vid. Monge, l. l. pag. 515—520.

que quem faciunt plana osculantia curvae propositae; plana autem normalia lateris reflexi perpendiculariter insistentia intersectionibus planorum normalium curvae propositae, parallela esse planis osculantibus hujus curvae primariae; ergo tangentes curvae propositae inter se eundem angulum facere atque plana normalia, quae consideranda sunt tanquam plana osculantia lateris reflexi superficiei planorum normalium. Ex his Fourrier conclusit, primam flexionem curvae duplicis curvaturae cujuscunque esse aequalem secundae flexioni lateris reflexi superficiei planorum normalium, et e contrario primam flexionem lateris reflexi aequalem secundae curvae propositae 1).

§. 29.

Quandoquidem quaeritur radius sphaerae osculatricis, positis α, β, γ tanquam coördinatis centri sphaerae, x', y', z' tanquam coördinatis puncti cujusdam ejus superficiei et δ ejus radio, est aequatio sphaerae

$$(x'-\alpha)^2+(y'-\beta)^2+(z'-\gamma)^2=\delta^2 \quad \ldots\ldots (\delta)$$

Ad determinandas quantitates α, β, γ et δ sunt quatuor conditiones necessariae, quia sphaera osculans per quatuor puncta curvae sese subsequentia, tan-

1) Vid Mém. présent. par Sav. Etrang. T. I. p. 416—420. Cf. La Croix, l. l. I. §. 355. p. 632.

tanquam tranſiens ſumitur, patet, radium δ eundem esſe debere, quamvis x, y et z in tribis ſubſequentibus punctis variabiles ſint, ideoque eodem tempore, ſi $x'=x$, $y'=y$, $z'=z$, tum

$$d\delta=0,\ d^2\delta=0 \text{ et } d^3\delta=0.\ (\S.\ 7.)$$

Hae aequationes conveniunt aequationibus (A), (B) et (C) in §. 27. ita ut, ſi valor differentiae $(z'-\psi)$ pro $(z'-\gamma)$, valor ipſius $(x'-\phi)$ pro $(y'-\beta)$ et valor ipſius $(x'-x)$ pro $(x'-\alpha)$ in aequatione (δ) ſubſtituantur, radius ipſe cognoscatur. Ergo

$$\left\{\begin{array}{l} \left(\phi'''(1+\phi'^2+\psi'^2)-3\phi''(+\psi'\psi''+\phi'\phi'')\right)^2 \\ +\left(-\psi'''(1+\phi'^2+\psi'^2)-3\psi''(\psi'\psi''+\phi'\phi'')\right)^2 \\ +\left((\phi'\psi'''-\phi'''\psi'(1+\phi'^2)+\psi'^2-3(\phi'\psi''-\psi''\psi') \right. \\ \qquad\qquad\qquad\qquad \left.(\psi'\psi''+\phi'\phi'')^2\right)^2 \end{array}\right\} : \psi''\phi''-\psi'''\phi''$$

Valores coördinatarum facillime etiam ex §. 27. deduci posſunt. Hoc modo docuit Monge radium esſe inveniendum ſphaerae osculatricis 1).

§. 30.

Circulus osculator curvae duplicis curvaturae conſiderari potest, tanquam circulus, qui ſphaera per centrum ſecanda oritur, dum ejus radius curvaturae radius appellatur.

Aequatio ſphaerae est

$$(x'-\alpha)^2+(y'-\beta)^2+(z'-\gamma)^2=\delta^2$$

et plani, quo ſphaera ſecatur

[illegible] $(x'-\alpha)$

1) Conf. Monge, l. l. p. 584.

$$(x'-\alpha)+\mu(y'-\beta)+\nu(z'-\gamma)=0.$$

Coördinatis x', y', z' in x, y, z mutatis, ut circulus punctum curvae commune habeat, et deinde utraque aequatione bis differentiata, ut contactus fit fecundi ordinis, obtinentur hae fex aequationes.

$$(x-\alpha)^2+(y-\beta)^2+(z-\gamma)^2=\delta^2 \ldots\ldots (1)$$

$$(x-\alpha)+\mu(y-\beta)+\nu(z-\gamma)=0 \ldots\ldots (2)$$

$$(x-\alpha)+(y-\beta)\frac{dy}{dx}+(z-\gamma)\frac{dz}{dx}=0 \ldots\ldots (3)$$

$$dx+\mu dy+\mu dz=0 \ldots\ldots (4)$$

$$1+\left(\frac{dy}{dx}\right)+\left(\frac{dz}{dx}\right)^2+\frac{d^2y}{dx^2}(y-\beta)+\frac{d^2z}{dx^2}(z-\gamma)=0 \; (5)$$

$$\mu\frac{d_2y}{dx^2}+\nu\frac{d^2z}{ax^2}=0 \ldots\ldots (6)$$

Quarum aequationum ope facillime fex quantitates indeterminatae, quae in aequatione primaria adsunt, determinantur, et omnibus conditionibus fatisfieri poteft, quibus circulus evadat osculator.

Cum autem circulus tangens quaeratur, tum restant duae indeterminatae, quales radius δ et μ vel ν asfumi posfunt. Aequatio ergo (3) est aequatio plani, in quo adfunt centra omnium circulorum, qui tangentes esfe posfunt, et quia radii horum circulorum curvae perpendicariter infistunt, reprefentatur per hanc aequationem planum curvae perpendiculare et praeterea planum normale (§. 27).

Quod attinet ad circulum osculatorem, e tribus pri-

primis aequationibus, positis $\frac{dy}{dx}=\phi'$, $\frac{d^2y}{d^2x}=\phi''$, $\frac{dz}{dx}=\psi'$, $\frac{d^2z}{dx^2}=\psi''$ atque $\sqrt{\left((\nu\phi'-\mu\psi')^2+(\nu-\psi')^2+(\mu-\phi')^2\right)}=R$, deducuntur

$$x-\alpha=\frac{(\nu\phi'-\mu\psi')\delta}{R}$$

$$y-\beta=\frac{(\nu-\psi')\delta}{R}$$

$$z-\gamma=\frac{(\mu-\phi')\delta}{R}$$

quibus valoribus in aequatione (5) substitutis, est

$$\delta=\frac{(1+\phi'^2+\psi'^2)R}{(\nu-\psi')\phi''-(\mu-\phi')\psi''}$$

Ex aequationibus (4) et (6) derivantur

$$\mu=\frac{\psi''}{\psi'\phi''-\phi'\psi''},\ \text{et}\ \nu=\frac{\phi''}{\psi'\phi''-\phi'\psi''}$$

quarum quantitatum substitutione peracta, obtinetur

$$R=\frac{\sqrt{(1+\phi'^2+\psi'^2)}.\sqrt{\left(\phi''+\psi''+\psi''-\psi'\psi''\right)}}{\psi'\phi''}$$

ergo

$$\alpha=x-\frac{(1+\phi'^2+\psi'^2)(\phi'\phi''+\psi'\psi'')}{\phi''^2+\psi''^2+(\psi'\phi''-\phi'\psi'')^2}$$

$$\beta=y+\frac{(1+\phi'^2+\psi'^2)\left(\phi''+\psi'(\psi'\phi''-\phi'\psi'')\right)}{\phi''^2+\psi''^2+(\psi'\phi''-\phi'\psi'')^2}$$

$$\gamma=z+\frac{(1+\phi'^2+\psi'^2)\left(\psi''-\phi'(\psi'\phi''-\phi'\psi'')\right)}{\phi''^2+\psi''^2+(\psi'\phi''-\phi'\psi'')^2}$$

$$\delta=-\frac{(1+\phi'^2+\psi'^2)^{\frac{3}{2}}}{\sqrt{\left(\phi''^2+\psi''^2+(\psi'\phi''-\phi'\psi'')^2\right)}}$$

Hisce igitur formulis coördinatae centri circuli osculatoris ejusque radius determinari posſunt. In mechanica radius curvaturae curvarum duplicis curvaturae cognoscatur perquam necesſe est: e. g. quando ſupra quamcunque datam ſuperficiem corpus quoddam movetur, per ſemet ipſum patet, curvam ab eo deſcribi, quae determinanda est ope radii osculi curvae in data ſuperficie ductae 1).

§. 31.

Ut obtineatur aequatio evolutae cujusdam curvae duplicis curvaturae obſervandum est, per aequationes $d\delta = 0$ et $d^2\delta = 0$ (§. 29.) vel per aequationes (A) et (B) (§. 27.) relationem indicari, quae, mutatis x', y' et z' in α, β et γ, inter α, β, γ pro omnibus centris exſistere debet, et hancce esſe proprietatem evolutae, quod radii curvaturae tangentes sunt evolutae.

Aequationes autem horum radiorum, ſi tanquam tangentes evolutae conſiderantur, ſunt

$$x - \alpha = \frac{d\alpha}{d\gamma}(z - \gamma),\ y - \beta = \frac{d\beta}{d\gamma}(z - \gamma)$$

Quarum aequationum una conjuncta cum $d\delta = 0$, ſufficit ad determinandam tangentem evolutae; nam ae-

1) Vidd. La Grange, l. l. P. II. Chap. VII. p. 350 ſeqq. Cff. Monge, l. l. pag. 543 ſeqq. Probl. IX. et La Croix, l. l. I. §. 351. p. 625.

aequatio $d\delta = 0$ est eadem atque plani tangentis ſuperficiei ab interſectionibus planorum normalium conformatae, in qua ſuperficie evolutae locum occupant. Ergo ſi inter ſe conjunguntur aequationes

$$x - \alpha = \frac{d\alpha}{d\gamma}(z - \gamma),\ d\delta = 0,\ d^2\delta = 0,$$

et eliminantur x, y, z harumque differentialia, reſtant dnae aequationes, et postquam hae duae ſunt integratae, obtinentur aequationes evolutae quaeſitae 1).

§. 32.

Brevisſimus omnium radiorum curvaturae est ille, qui ſe extendit in plano, quod transit per duo latera infinite parva ſeſe ſubſequentia curvae, quae conſiderari potest conſistere ex infinito numero laterum infinite parvorum. Omnes radii hujus ſpeciei, qui radii abſoluti curvaturae appellari posſunt, ſibi invicem nunquam occurrentes, tangunt non eandem curvam; namque (fig. 26.) KC perpendiculariter inſistens communi interſectioni AB, occcurrere non potest $K'C'$, quae perpendiculariter inſistit interſectioni $A'B'$, quae una est ſita in plano $A'P'$, altera in $A'P'$, ideoque hae per idem punctum communis ſectionis horum planorum non transeunt. Hinc ſequi-

1) Conff. La Croix, l. l. I. §. 354. p. 631 et La Grange, l. l. P. II. Ch. VII. p. 229.

quitur a centris radiorum abſolutorum curvaturae non conformari poſſe hanc illamve evolutam curvae. Quoniam vero centra horum radiorum, qui dicuntur abſoluti, conſiderantur tanquam ſita in communi ſectione plani osculantis et plani normalis, hoc modo radius ejusmodi reperiri poteſt.

Poſitis $dx\, d^2y - dy\, d^2x = Z$, $dz\, d^2x - dx\, d^2z = Y$, $dy\, d^2z - dz\, d^2y = X$ et mutatis x', y', z' in α, β, γ, est aequatio plani osculantis 1)

$$X(x-\alpha) + Y(y-\beta) + Z(z-\gamma) = 0$$

et aequatio plani normalis vel aequatio $d\delta = 0$

$$(x-\alpha)\,dx + (y-\beta)\,dy + (z-\gamma)\,dz = 0,$$

unde derivantur

$$x-\alpha = \frac{Ydz - Zdy}{Xdy - Ydx}(z-\gamma),\; y-\beta = \frac{Zdx - Xdz}{Xdy - Ydx}(z-\gamma);$$

ſi hi valores in plani normalis aequatione differentiata, quippe quae est

$$(x-\alpha)d^2x + (y-\beta)d^2y + (z-\gamma)d^2z + dx^2 + dy^2 + dz^2 = 0,$$

poſito $dy^2 + dx^2 + dz^2 = ds^2$, ſubſtituantur, obtinetur

$$z-\gamma = -\frac{(Xdy - Ydx)}{D}\, d^2s,$$

in qua aetione extat $D = (Ydz - Zdy)\, d^2x + (Zdx - Xdz)\, d^2y, + (Xdy - Ydx)\, dz$. Ergo

$$x-\alpha = -\frac{(Ydz - Zdy)\, ds^2}{D} \text{ et } y-\beta = \frac{(Zdx - Xdz)\, d^2s}{D}$$

Hisce valoribus ſubſtitutis in $\delta = (x-\alpha)^2 + (y-\beta)^2 + (z-\gamma)^2$, obtinetur

$\delta^2 =$

1) Conf. aequatio (1) in §. 25.

$$\delta^2 = \frac{\left((Xdy - Ydx)^2 + (Zdx - Xdz)^2 + (Ydz - Zdy)^2\right) ds^4}{D^2},$$

et quia $Xdx + Ydy + Zdz = 0$ est,

$$\delta^2 = \frac{(X^2 + Y^2 + Z^2)\, ds^6}{D^2}$$

et quando quantitas D explicatur, redit illa ad $X^2 + Y^2 + Z^2$, ergo

$$\delta^2 = \frac{ds^6}{X^2 + Y^2 + Z^2}$$

vel
$$\delta = \frac{ds}{\sqrt{(X^2 + Y^2 + Z^2)}}$$

Haec formula radii convaturae abſoluti curvae duplicis curvaturae continet etiam formulas radii curvaturae ſectionis communis cujuscunque plani et ſuperficiei curvae. Planum osculans hoc caſu est idem atque planum ſecans, et ejus aequatio conjuncta cum aequatione ſuperficiei propoſitae praebet aequationes projectionum hujus ſectionis 1).

§ 33.

Quando in curvis duplicis curvaturae ad planum tangens cujuscunque puncti lineae ducuntur, quae unum eundemque angulum cum hocce faciunt, oritur propter interſectionem harum linearum linea curva, cujus rami ſunt duo, et quae evoluta imper-

1) Vid. La Croix, l. l. I. §. 350. p. 624 ſeqq. et III. p. 673.

perfecta appellari potest 1). Si autem ex uno puncto curvae lineae unum eundemque angulum facientes cum tangente ducuntur, oritur conus, cujus axis est tangens ipsa. Quando talis conus ex quocunque puncto ducitur, oritur superficies, cujus partes (*nappes*) sunt duae, et quae dicitur superficies evolutarum imperfectarum (*surface des developpoïdes*), dum intersectio duorum subsequentium conorum est hyperbola, cujus et distantia à curva duplicis curvaturae, quae curva tanquam trajectoria consideranda est, et parametri variabiles sunt in quacunque intersectione. Unus ramus hujus hyperbolae, cujus forma et positio sunt variabiles, profert unam hujus superficiei partem, alter alteram.

Aequatio superficiei ipsius hac ratione inveniri potest. Aequationes curvae duplicis curvaturae sunt $x = \phi(z)$, et $y = \psi(z)$. Sint $z = \alpha$, $x = \phi\alpha$, $y = \psi\alpha$ tres coördinatae verticis coni. Aequationes axeos coni i. e. tangentis curvae sunt

$x - \phi\alpha = \phi'(z - \alpha)$ et $y - \psi\alpha = \psi'(z - \alpha)$ (§. 24.)

Porro sit ω ille angulus, quem generatrix coni debet facere cum axe, et ponatur planum, tangenti perpendiculariter insistens et a vertice coni distans quantitate, quae repraesentatur per cos ω. Hocce casu sunt coördinatae puncti, quo tangens secatur (§. 24.)

$x =$

(1) Conf. §. 21.

$$x = \phi\alpha - \frac{\phi' \cos\omega}{\sqrt{(1+\phi'^2+\psi'^2)}}, \; y = \psi\alpha - \frac{\psi' \cos\omega}{\sqrt{(1+\phi'^2+\psi'^2)}}$$

et $$z = \alpha - \frac{\cos\omega}{\sqrt{(1+\phi'^2+\psi'^2)}}$$

Aequatio igitur plani est

$$(z-\alpha) + \frac{\cos\omega}{\sqrt{(1+\phi'^2+\psi'^2)}} = A\left(x - \phi\alpha + \frac{\phi'\cos\omega}{\sqrt{(1+\phi'^2+\psi'^2)}}\right) + B\left(y - \psi\alpha + \frac{\sqrt{(1+\phi'^2+\psi'^2)}}{\psi'\cos\omega}\right)$$

in qua aequatione quantitates A et B ita sunt determinandae, ut planum perpendiculare sit ad tangentes; quam ob causam $A = -\phi'$ et $B = -\psi'$ 1), quo facto mutatur aequatio plani in

$$(x-\phi\alpha)\phi' + (y-\psi\alpha)\psi' - (z-\alpha) + \cos\omega \sqrt{(1+\phi'^2+\psi'^2)} = 0.$$

Aequatio superficiei sphaerae, cujus centrum est positum in vertice coni, quippe quae unitati aequalem habeat radium, est

$$(x-\phi\alpha)^2 + (y-\psi\alpha)^2 + (z-\alpha)^2 = 1.$$

Per semet ipum patet, has duas aequationes inter se conjunctas praebere aequationes circuli, circum quem movetur generatrix coni. Praeterea aequationes generales generatricis sunt

$$\frac{x-\phi\alpha}{z-\alpha} = \gamma, \frac{z-x}{y-\psi\alpha} = \pi,$$

et eliminatis x, y et z inter has quatuor aequationes atque pro γ et π ejus valoribus positis, obtinetur aequatio coni. Cum deinde haec e respectu ipsius α differentietur, et inter has haec quantitas

1) Vid. La Croix, l. I. §. 280. p. 516.

tas α eliminetur, obtinebitur aequatio ſuperficiei evolutarum imperfectarum. Si porro in aequatione coni $\omega = 90^\circ$ ponitur, obtinetur aequatio plani normalis, ſin vero in aequatione ſuperficiei evolutarum imperſectarum $\omega = 90^\circ$, aequatio ſuperficiei evolubilis interſectionum planorum normalium 1).

In his praecedentibus, quae agunt de curvis duplicis curvaturae, coördinatae ſibi perpendiculariter inſistere existimatae ſunt; quando vero hae curvae convenienter alteri ſystemati ſunt datae, tum, ut pro his aequationes tangentium cet. asſequamur, ſunt in aequationibus et formulis jam inventis valores ſubſtituendi, qui ſpectant ad hoc alterum ſyſtema coördinatarum 2).

1) Vid. Lancret, Mém. préſent. par diverſ. Sav. Etrang., Tom. II. p. 19—46.

2) Formulae ejusmodi exſtant apud La Croix, l. l. I. §. 290. pag. 528. ſeqq.

CAPUT III.

DE PLANIS ET SPHAERIS TANGENTIBUS ET OSCULANTIBUS.

§. 34.

Jam expofitum est, quomodo theoria tangentium ad curvas et fimplicis et duplicis curvaturae applicatur. Restat igitur, ut indicetur, quomodo ea theoriae pars, quae fuperficies fpectat, applicanda est, et uti ufus theoriae curvarum praecipue in duas partes divifus est, ita hoc caput agens de fuperficiebus dividi potest in duas partes, nempe in confiderationem eorum, quae ad plana et eorum, quae ad fphaeras pertinent. Tractentur igitur primum plana.

Aequatio generalis plani cujuscunque est

$$z' = Ax' + By' + D \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad (\;)$$

unde $\frac{dz'}{dx'} = A$ et $\frac{dz'}{dy'} = B$

Ut planum punctum cummune fuperficiei, cujus aequatio est $F(x, y, z) = 0$, habeat, atque ejus con-

contactus cum ea ſit primi ordinis, necesſe est (§. 7.) evadant $x = x'$, $y = y'$ $z = z'$, $\frac{dz}{dx} = \frac{dz'}{dx'}$ et $\frac{dz}{dy} = \frac{dz'}{dy'}$. Quo facto obtinentur

$$z = Ax + By + D$$

$$\frac{dz}{dx} = A \text{ et } \frac{dz}{dy} = B,$$

et, hisce valoribus A et B ſubſtitutis in aequatione (2), et deinde hacce ab (1) ſubtracta,

$$z' - z = \frac{dz}{dx}(x' - x) + \frac{dz}{dy}(y' - y)$$

et, poſitis $\frac{dz}{dx} = p$ et $\frac{dz}{dy} = q$,

$$z' - z = p(x' - x) + q(y' - y).$$

Haec aequatio igitur est aequatio plani ſuperficiem datam tangentis in puncto, cujus coördinatae ſunt x, y et z 1).

Angulus, quem planum datum per aequationem (1) facit cum plano xy, est aequalis $\sqrt{(A^2 + B^2)}$; ergo angulus, quem planum tangens facit cum plano xy, aequalis quantitati $\sqrt{(p^2 + q^2)}$ 2).

Obſervandum est, in plano tangenti alicujus puncti omnes tangentes hujus puncti ſitas esſe, exceptis

1) Vidd. La Grange, l. l. P. II. Ch. VIII. p. 234 ſeqq. Mémoir. par Sav. Etrang. Tom. IX, p. 593, par Tinseau, et La Croix, l. l. I. §. 319. p. 568.

2) Vidd. Tinseau, l. l. pag. 602 et La Grange, l. l. p. 238.

tis punctis singularibus, in quibus differentialia p et q sub forma $\frac{0}{0}$ occurrunt, ut in vertice coni 1).

Si vero punctum extra superficiem sit datum, per quod transire debeat planum tangens ejusque puncti, coördinatae sunt α, β, γ, per semet ipsum patet, si hae coördinatae pro x', y' et z' in aequatione plani tangentis ponantur, exsistere aequationem plani superficiem tangentis et transeuntis per punctum, cujus coördinatae sunt α, β et γ 2).

§. 35.

Quando aequatio superficiei $F(x, y, z)=0$ e respectu x et deinde e respectu y differentiatur, praebet haec differentiatio hasce aequationes.

$$\frac{dF}{dx}+\frac{dF}{dz}p=0, \quad \frac{dF}{dy}+\frac{dF}{dz}q=0,$$

et quando valores ipsorum p et q, ex hisce ducti, substituuntur in aequatione plani tangentis, ideoque hoc casu aequatio tangentis est

$$(x'-x)\frac{dF}{dx}+(y'-y)\frac{dF}{dy}+(z'-z)\frac{dF}{dz}=0,$$

inservire potest haec aequatio ad inveniendam lineam contactûs (*ligne de contact*) e. g. cylindri, qui

1) Vid. Leroy, l. l. §. 224. p. 155.

2) Conf. La Croix, l. l. I. §. 316. p. 564.

qui perpendiculariter plano xy insistit et quo circumdata est superficies proposita: planum tangens tum se habet parallelum axi z, et ejus aequatio, quae z non amplius continet, satisfacit conditioni, qua obtinetur $\frac{dF}{dz} = o$. Ergo haec aequatio conjuncta cum $F(x, y, z) = o$ determinat lineam contactus. Si porro z inter has duas aequationes eliminatur, obtinetur aequatio curvae in plano xy sitae, quae dicitur esse ejus circumferentia projectionis (*contour de la projection*) in hoc dato plano 1).

Considerationi linearum contactus et circumferentiarum projectionum nititur theoria umbrarum et penumbrarum, quia linea contactus conformatur a radiis, quos corpus luminans emittit, et qui tangunt corpus luminatum, atque circumferentia projectionis determinat eam partem plani oppositi, quae se offert obscuratam 2).

Quando planum tangens est parallelum plano xy, angulus $\sqrt{(p^2 + q^2)}$ se habet aequalem sero, ergo quantitates p et q aequales sero. Ex his patet, ut ordinatae superficiei datae maximum vel minimum valorem assequantur, necesse esse p et q reddantur aequales sero 3).

§. 36

1) Vid. Leroy, l. l. §. 225, 226.

2) Hanc theoriam tractavit Monge, Mém. par Sav. Etr. Tom. IX p. 382 seqq.

3) Vid. La Grange, l. l. P. II. Ch. IX. p. 256 seqq. qui ex

§. 36.

Omnium rectarum, quae e puncto contactus ad planum xy duci posſunt, est ea prae ceteris notabilis, quae perpendiculariter inſiſtit communi ſectioni plani tangentis et plani xy. Haec linea dicitur eſſe maximae inclinationis in hoc planum (*ligne de plus grande pente*) et perquam facile hoc modo determinatur.

Aequatio plani tangentis est

$$z'-z=p(x'-x)+q(y'-y) \text{ (§. 34).}$$

Si per hocce planum ſecatur planum xy, evadere debet

$$z'=0,$$

ſi planum yz,

$$x'=0,$$

ſi planum xz,

$$y'=0.$$

Ergo aequatio lineae rectae, per quam ſectio communis plani tangentis et plani xy repraeſentatur, est

$$z=p(x'-x)+q(y'-y)$$

vel $y'- = -\frac{p}{q}(x'-x) - \frac{z}{q}.$

Na-

ex functionum conſideratione doctrinam de Maximis dirivavit, uti etiam Euler, Inſt. cal. diff. P. II. Cap. . 10. et La Croix, l. I. I. §. 156. p. 374 ſeqq.

Notum est 1), si $\frac{z}{q} = 0$ et $-\frac{p}{q} = \frac{q}{p}$ ponantur, aequationem obtineri projectionis in plano xy lineae perpendiculariter e puncto contactus ad sectionem communem ductae; aequatio igitur lineae maximae inclinationis in planum xy est

$$y' - y = \frac{q}{p}(x' - x)$$

$$\text{vel} \quad p(y' - y) - q(x' - x) = 0.$$

Quando autem $\frac{q}{p} = \frac{dy}{dx}$ vel $pdy = qdx$ conjungitur cum aequatione superficiei $P(x, y, z) = 0$, eliminanda quantitate z, obtinetur aequatio projectionis curvae, quae in superficie curva maximae inclinationis ducta est in planum xy. Anguli, quos tangentes ideoque etiam tangens maximae inclinationis faciunt cum axibus cognoscuntur per formulas datas in §. 24. 2).

§. 37.

Linea, quae perpendiculariter ad planum tangens per punctum contactus ducitur, appellatur normalis superficiei, et hac ratione reperitur.

Si aequatio lineae cujuscunque est

$$Ax + By + Cz + 1 = 0,$$

sunt

1) Vid. Schmidt, Beg. der Hoog. Meetk. §. 39. p. 59.

2) Conff. La Croix, l. l. I. §. 519. p. 571. Leroy, l. l. § 341. p. 253 seqq. et Tinseau, l. l. p. 594.

ſunt aequationes lineae, quae ad hoc datum planum rectos angulos facit 1).

$$x = \frac{Az}{C} + \mu \text{ et } y = \frac{Bz}{C} + \nu.$$

Ergo in aequatione plani tangentis repraeſentatur x per $(x'-x)$, y per $(y'-y)$, z per $(z'-z)$, A per p, B per q et C per s, unde aequationes normalis ſunt, remisſis μ et ν,

$$(x'-x)+p(z'-z)=0 \text{ et } (y'-y)+q(z'-z)=0$$

Distantia puncti in curva ſuperficie a quocunque puncto, cujus coördinatae ſunt x', y', z', est aequalis quantitati $\sqrt{\left((x'-x)^2+(y'-y)^2+z'-z)^2\right)}$; distantia igitur puncti ſuperficiei a quocunque puncto normalis, ſubſtitutis valoribus differentiarum $(x'-x)$ et $z'-z)$ est aequalis

$$z'-z\sqrt{(1+p^2+q^2)}$$

et, $z'=0$ poſito, est $-z\sqrt{(1+p^2+q^2)}$ longitudo normalis a ſuperficie usque ad planum xy.

Anguli α, β, γ 2), quos haecce recta cum axibus facit, ſunt dati per formulas

$$\cos\alpha = -\frac{-p}{\sqrt{(p^2+q^2+1)}}, \cos\beta = -\frac{-q}{\sqrt{(p^2+q^2+1)}},$$

$$\cos\gamma = \frac{1}{\sqrt{(p^2+q^2+1)}},$$

in quibus quantitas radicalis poſitive ſumta est referenda ad eam normalis partem, quae facit cum axe

1) Vid. La Croix, I. §. p. 280. p. 516.

2) Conf. §. 24

axe z angulum acutum. Si in his formulis valores ipſorum p et q, ex aequatione $F(x, y, z) = 0$ deducti, ſubſtituantur, illae, exiſtente $V = \sqrt{\left(\left(\frac{dF}{dx}\right)^2 + \left(\frac{dF}{dy}\right)^2 + \left(\frac{dF}{dz}\right)^2\right)}$, ſe offerunt ſub his formis

$$\cos\alpha = \frac{1}{V}\frac{dF}{dx}, \cos\beta = \frac{1}{V}\frac{dF}{dy}, \cos\gamma = \frac{1}{V}\frac{dF}{dz} \text{ 1)}.$$

Cum obſervatur, quaecunque ſit directio potentiae quae corpus ſuper datam ſuperficiem motum ſollicitat, eam reſolvi poſſe in tres potentias laterales, quarum primae M dictae directio normalis in ſuperficiem, ſecundae directio normalis tam in directionem motus corporis, quam in directionem potentiae M, cujus igitur directio est in plano ſuperficiem tangente, tertiae congruat cum directione motus, quae igitur vis est tangentialis; luculenter patet, quam dignae tangentes et normales ſuperficierum ſint, quae cognoſcantur 2).

§ 38.

Tres ſequentes animadverſiones, quae ſpectant ad plana tangentia, non ſunt omittendae.

1.) Vulgo planum tangens dicitur unum punctum

1) Vidd. Leroy, l. l. §. 227. p. 157 et La Croix, l. l. I. §. 307. p. 569.

2) Vid. Euler, Mech. II. Cap. I. p. 31.

ctum ſuperficiei commune habere. Quamvis planum tangens ita ſe habeat, quae in ſuperficiebus in omnibus punctis ſive convexae ſive concavae ſunt, caſu tamen, quo ſuperſicies est convexo-concava, vel concavo-convexa, ſecat planum tangens hancce ſuperficiem, eorumque communis ſectio est curva, quae transit per punctum contactus, quo efficitur, planum tangens hoc caſu continere tangentes omnium curvarum, quae per hoc punctum duci posſunt, ita ut revera ſit planum et tangens et ſecans. Hoc cernitur praeter alias in ſuperficiebus annularibus (*ſurfaces annulaires*), quando ad partem interiorem punctum contactus ſumitur.

2.) Superficies rectilinea, quippe cujus generatrix rectilinea ita movetur, ut duae poſitiones ſint ſemper in eodem plano, tangitur a generatrice ipſa, quae tota adest in plano tangente. Hae generatrices, quae planum tangens determinant, ſunt numero duae, ſibi infinite proximae, uti res ſe habet in ſuperficiebus Conicis et Cylindricis.

3.) Si ſuperficies ſit curvilinea (*ſurface gauche*), quippe cujus generatrices rectilineae lineae infinite ſibi proximae (Fig. 28.) MA, $M'A'$ nunquam ſitae ſint in eodem plano, tum plana tangentia, quae ad duo puncta, ſumta in eadem generatrice AMN, pertinent, et hanc rectam continent, ſunt inter ſe diverſa. Praeterea quia plana AMT et ANV non coïncidere posſunt, tangit igitur quodcunque planum talem ſuperficiem in uno puncto,

ceteroquin est secans. Hicce casus cernitur in hyperboïde simplice (*l'hyperboloïde à une nappe*), et paraboloïde hyperbolica 1).

§. 39.

In altera hujus capitis parte de iis, quae ad sphaeras spectant, est agendum. Aequatio sphaerae generalis est

$$(x'-\alpha)^2+(y'-\beta)^2+(z'-\gamma^2)=\delta^2$$

in qua aequatione per x', y', z' coördinatae superficiei, et per α, β, γ coördinatae centri sphaerae et per δ ejus radius repraesentantur. Ut sphaera punctum commune curvae, cujus aequatio inter coördinatas x, y et z data est, habeat, debent x, y, z in hoc puncto aequales esse coördinatis x', y', z', quo facto aequatio sphaerae mutatur in

$$(x-\alpha)^2+(y-\beta)^2+(z-\gamma)^2=\delta^2 \quad . \; . \; . \; (1)$$

et ut exsistat contactus primi ordinis, ponenda sunt $\frac{dz}{dx}=\frac{dz'}{dx'}$ et $\frac{dz}{dy}=\frac{dz'}{dy'}$. Itaque obtinentur aequationes

$$\left.\begin{array}{l}(x-\alpha)+\frac{dz}{dx}(z'-\gamma)=0\\(y-\beta)+\frac{dz}{dy}(z-\gamma)=0\end{array}\right\} \quad . \; . \; . \; . \; . \; . \; (2)$$

Ex

1) Cff. Leroy, l. l. §. 228—230. p. 158 seqq. et Mem. présent. par Sav. Etrang. Tom. X. p. 509 par Meusner.

Ex quibus aequationibus, $\frac{dz}{dx} = p$ et $\frac{dz}{dy} = q$ positis, derivantur

$$\alpha = x + \frac{p\delta}{\sqrt{(1 + p^2 + q^2)}}$$

$$\beta = y + \frac{q\delta}{\sqrt{(1 + p^2 + q^2)}}$$

$$\gamma = z + \frac{\delta}{\sqrt{(1 + p^2 + q^2)}}$$

His formulis determinantur coördinatae centri sphaerae tangentis, cujus radio δ quicunque valor attribui potest. Radius hujus sphaerae perpendiculariter insistit superficiei sphaericae, ideoque plano tangentis. Ergo centra sphaerae hujus sita esse in normali hujus puncti colligi potest; quod ita se habere, luculenter praeterea patet, quando in aequationibus (2) x' pro α, y' pro β et z' pro γ ponantur. Nam hae aequationes tum aequales evadunt aequationibus normalis (§. 37.) 1).

§. 40.

Conditiones autem contactus secundi ordinis (§. 7.) quibus est satisfaciendum, sunt sex. His vero, quod attinet ad sphaeram non satisfieri potest, quia ejus aequatio generalis non nisi quatuor conti-

1) Vidd. La Grange, l. l. P. II. Ch. VIII. p. 241 et La Croix, l. l. I. §. 320. p. 573.

tinet quantitates arbitrarias. Hinc ſequitur inter omnes ſphaeras tangentes nullam exſtare poſſe, quae dici poſſit cum ſuperficie curva habere contactum perfectum ſecundi ordinis. Semper autem ſphaera ita determinari potest, ut osculatrix ſit curvae cujuscunque in data ſuperficie ductae. Ut hoc propoſitum asſequamur, conſideretur y tanquam functio ipſius x, uti in curvis duplicis curvaturae, et ſecundum hancce hypotheſin differentialia primi et ſecundi ordinis quaerantur aequationis ſphaerae.

Ergo quando ordinata z conſideratur tanquam $F(x, y)$, cujus differentialium quoti primi ordinis ſunt p et q, et porro y tanquam $f(x)$, cujus, poſito $dy = mdx$, differentialium quotus primi ordinis est m; deducuntur, poſitis $r = \frac{d^2z}{dx^2}$, $s = \frac{d^2z}{dxdy}$ et $t = \frac{d^2z}{dy^2}$, ex aequatione ſphaerae hae aequationes

$$(x-\alpha)+m(y-\beta)+(p+qm)(z-\gamma)=0 \ldots (3)$$

et $$1+m^2+dm(y-\beta)+(p+qm)^2+(r+2sm+tm^2+qdm)(z-\gamma)=0 \ldots (4)$$

et ſubſtituta aequatione $y-\beta = q(z-\gamma)$, vel $dm(y-\beta) = qdm(z-\gamma)$, mutatur aequatio (4) in

$$1+m^2+(p+qm)^2+(r+2sm+tm^2)(z-\gamma)=0 \ldots (4^*)$$

unde

$$z-\gamma = -\frac{1+m^2+(p+qm)^2}{r+2sm+tm^2} = -\frac{1+p^2+2pqm+(1+q^2)m^2}{r+2sm+tm^2}$$

Ergo hoc valore poſito $= M$ collatisque formulis, habemus (§. 30.)

$z-y$

$$z-\gamma=M, y-\beta=-qM, x-\alpha=pM$$
$$\text{et } \delta=M\sqrt{(1+p^2+q^2)}$$

His formulis igitur est ſphaerae osculatrix, quoad ejus fieri potest, determinata 1).

§. 41.

Quantitas vero m vel $\frac{dy}{dx}$, quippe quae repraeſentet tangentem trigonometricam, quam tangens curvae projectionis in plano xy cum axe abſciſſarum x facit, est ejusdem valoris pro omnibus curvis, quae per punctum contactus duci posſunt, et ſignificat projectionem rectae lineae, quae tangit et ſuperficiem et ſphaeram osculatricem. Patet igitur, hancce rectam esſe datam per hasce duas

$$y'-y=m(x'-x)$$
$$z'-z=p(x'-x)+q(y'-y),$$

quarum ultima est aequatio plani tangentis 2). Haec quantitas m a curva, quae est projectio curvae in ſuperficie ductae, dependet; curvae autem, quae per unum punctum ſuperficiei duci posſunt, ſunt innumerae, et curvatura cujuscunque puncti ſuperficiei numerum infinitum habet diverſorum valorum; quando quantitati m valores tangentium trigonometri-

1) Vid. La Grange, l. l. P. II. Ch. VIII. p. 244. Cf. La Croix, l. l. I. §. 320. 572.

2) Vid. La Croix, l. l. I. §. 320. ad fin. pag. 575.

tricarum arcûs 0° usque ad valorem arcûs 360° attribuitur, innumeri exſiſtunt radii ſphaerae osculatricis ſive radii curvaturae. Attamen inter hos omnes ſunt animadvertendi, qui maximi et minimi ſunt valoris. Ad hujus utriusque radii valores asſequendos debet eſſe $\frac{d\delta}{dm} = 0$ vel $\frac{dM}{dm} = 0$, quia in formula ipſius δ quantitas m non niſi per M occurrit. Ex aequatio (3), mutata $(z-y)$ in M, facile derivatur

$$(r+2sm+tm^2)M+p^2+1+2pqm+(1+q^2)m^2=0 \quad . \; . \; . \; . \quad (4^{**})$$

quae, differentiata ei reſpectu m, poſito $\frac{dM}{dm} = 0$, ſub hac forma ſe offert

$$(s+tm)M+pq+(1+q^2)m=0 \quad . \; . \; . \; . \quad (5)$$

unde deducitur $m = -\frac{pq+sM}{1+q^2+tM}$

quo valore ſubſtituto in (4^{**}), obtinetur aequatio

$$(1+p^2+rM)(1+q^2+tM)^2-(pq+sM)^2(1+q^2+tM)=0$$

vel

$$(1+p^2+rM)(1+q^2+tM)-(q+sM)^2=0$$

quae ſub hac forma poni poteſt

$$1+p^2+rM+q^2+p^2q^2+rq^2M+tM+tp^2M+rtM^2-p^2q^2-$$
$$-s^2M^2-2pqsM=0$$

vel

$$(rt-s^2)M^2+\big((1+q^2)r-2pqs+(1+p^2)t\big)M$$
$$+1+p+q^2=0 \quad . \; . \; . \quad (6)$$

Poſitis $rt-s^2=e$, $(1+q^2)r-2pqs+(1+p^2)t = f$, et $1+p^2+q^2=g^2$, haec mutatur in

$$eM^2 + fM + g^2 = 0;$$

$$\text{ergo } M = \frac{-f \pm \sqrt{(f^2 - 4eg^2)}}{2e}$$

$$\text{et } \delta = \frac{fg \pm g\sqrt{(f^2 - 4eg^2)}}{2e}$$

quorum valorum primus indicat maximum, alter minimum valorum ipſius δ, et valore ipſius M ſubſtituto in (6), exſiſtit aequatio, ex qua uterque valor deduci poſſit, ſcilicet aequatio

$$(rt - s^2)\,\delta^2 + \big((1+p^2)t - 2pqs + (1+q^2)r\big)$$
$$(1+p^2+q^2)^{\frac{1}{2}}\,\delta + 1 + p^2 + q^2 = 0 \;\ldots (7)$$ 1)

§. 42.

Angulus, quem curvae duplicis curvaturae, ad quas radii minoris et majoris curvaturae pertinent, inter ſe in ſuperficie propoſita faciunt, facillime cognoſcitur. Valor ipſius M, deductus ex aequatione (5), est aequalis $-\frac{pq + (1+q^2)m}{s + tm}$, quo ſubſtituto aequatio (4 **) mutatur in

$$-(r + 2sm + tm^2)\,\frac{pq + (1+q^2)m}{s+tm} + 1 + p^2 + 2pqm$$
$$+ (1+q^2)m^2 = 0$$

unde deducitur

((1

1) Vidd. Meusner, l. l. pag. 482—486, La Croix, l. l. §. 321. p. 375 et La Grange, l.l. P. II, Chap. IV. p. 245. Conf. Leroy, l. l. §. 297. p. 217; §. 318. p. 235.

$$\left((1+q^2)s-pqt\right)m^2+\left((1+q^2)r-(1+p^2)t\right)m$$
$$-\left((1+p^2)s-pqr\right)=0 \ldots . (8)$$

Porro patet, planum xy cum plano ſuperficiem tangente coïncidere poſſe, et originem coördinatarum cum puncto contactus, atque hanc mutationem nil impedire, quo minus ſuperficies propoſita et ſphaera osculatrix inter ſe eandem relationem retineant. Hoc caſu projectio curvae duplicis curvaturae ſe confundit cum curva ipſa, et ope valorum ipſius m exprimuntur tangentes trigonometricae angulorum, quos tangentes curvarum majoris et minoris curvaturae cum eadem linea faciunt. Quae cum ita ſint, axis z et normalis coincidunt, et quantitates x, y, z, p et q evadunt omnes aequales ſero; quo facto aequatio (8) mutatur in

$$sm^2+(r-t)m-s=0 \text{ vel } m^2+\frac{(r-t)}{s}m-1=0 \ldots (8^*)$$

Ex hac aequatione deducitur

$$m=-\tfrac{1}{2}.\frac{r-t}{s}\pm\sqrt{\left(1+\tfrac{1}{4}\left(\frac{r-t}{s}\right)^2\right)}$$

Duobus radicibus repreſentatis per m' et m''

$$m'\,m''=\tfrac{1}{4}\left(\frac{r-t}{s}\right)^2-1-\tfrac{1}{4}\left(\frac{r-t}{s}\right)^2$$

$$m'\,m''=-1 \text{ vel } m'=-\frac{1}{m}$$

Poſito $m''=0$, est $m'=-\frac{1}{0}$, ergo m' est tangens anguli recti, et curvae majoris et minoris curvaturae, in cur-

curva ſuperficie ſitae, inter ſe faciunt angulum rectum. Praeterea hinc colligi potest, in quacunque ſuperficie inter omnes ſectiones normales duas ſectiones principes exſistere, quarum radius curvaturae unius ſit minimus, alterius ſit maximus 1).

§. 43.

Quando in formula $(z-\gamma)$ (§. 40.) coördinatae x, y, z aequales ſero ponuntur, mutatur haec formula in

$$\gamma = \frac{1+m^2}{r+2sm+tm^2}$$

ergo $\delta = -\gamma$

Itaque ſi requiritur radius curvaturae ſectionis, quae in ſuperficie propoſita a plano quocunque per normalem vel novam axem z, ut ponamus, transeunte, conformatur, tum ſubſtituenda est in formula ipſius γ pro m tangens trigonometrica anguli, quem hocce novum planum normale cum plano xz facit, e. g. quando hoc caſu radii majoris et minoris curvaturae quaerendi proponuntur, ſubſtituantur m' et m'' pro m. Ergo propter

$$m' = \frac{-(r-t)+(\sqrt{(r-t)^2+4s^2})}{2s}$$

et $$\frac{1}{m'} = \frac{(r-t)+(\sqrt{(r-t)^2+4s^2})}{2s}$$ ob-

1) Vidd. La Grange, l. l. P. II. Ch. IX. p. 246. Euler, in Mem. de Berl. anno 1760. Meusner, l. l. p. 488 et Leroy, §. 244. p. 215. ſeqq.

obtinetur formula radii majoris curvaturae

$$\delta' = \frac{\frac{1}{m'} + m'}{r\frac{1}{m'} + tm' + 2s} = \frac{2\sqrt{((r-t)^2+4s^2)}}{(r-t)^2+4s^2+(r-t)\sqrt{((r-t)^2+4s^2)}}$$

$$= \frac{2}{(r+t)+\sqrt{((r-t)^2+4s^2)}}.$$

Alter radius princeps, fubftituto valore ipfius m'', non differt a prima, nifi figno radicis, ideoque uterque radius comprehenditur in formula

$$\Delta = \frac{2}{(r+t)\pm\sqrt{((r-t)^2+4s^2)}} = \begin{cases} \delta' \\ \delta'' \end{cases} \ldots\ldots (9)$$

vel $(rt-s^2)\Delta^2-(r+t)\Delta+1=0$

cujus radices fignificant radios majoris et minoris curvaturae. Cafu vero, quo normalis et axis z, planum tangens et planum xy coincidunt, est plane indeterminata directio axium hujus plani xy. Itaque propter plana circulorum osculantium majoris minorisque curvaturae, fibi invicem perpendiculariter infistentia, planum xz existimari potest transire per unum horum circulorum, et planum yz coincidere cum altero. Cum res ita fe habat, evanescit quantitas s; nam unus valorum ipfius m hoc cafu est $=0$, alter $=\infty$, et in aequatione $m^2s+m(r-t)-s=0$ (§. 42.), pofito $m=0$, et in $s+\frac{r-t}{m}-\frac{s}{m^2}=0$, pofito $m=\infty$, obtinetur in utroque cafu $s=0$: ergo

$$\delta = -\frac{1+m^2}{r+tm^2}$$

vel

vel, posito $m = \frac{\sin\phi}{\cos\phi}$,

$$\delta = -\frac{1}{r\cos^2\phi + t\sin^2\phi};$$

ope aequationis (9), in qua sit ponenda quantitas $s = 0$, exsistunt $\delta' = \frac{1}{r}$ et $\delta'' = \frac{1}{t}$ vel $r = \frac{1}{\delta'}$ et $t = \frac{1}{\delta''}$, ideoque

$$\delta = \frac{\delta'\delta''}{\delta''\cos^2\phi + \delta'\sin^2\phi} \quad \ldots\ldots\ldots (10)$$

vel $$\frac{1}{\delta} = \frac{1}{\delta'}\cos^2\phi + \frac{1}{\delta''}\sin^2\phi \quad \ldots\ldots (11)$$

Hinc sequitur radium curvaturae sectionis cujuscunque, plano tangenti perpendiculariter insistentis, dependere a radiis majoris minorisve curvaturae, et ab angulo, quem planum secans facit cum planis circulorum majoris minorisque curvaturae 1).

§. 44.

Quando radius curvaturae δ positivi est signi, superficies locum occupat supra planum tangens, si negativi, infra hocce planum. Cum autem radii principes δ' et δ'' inter se aequales et ejusdem signi sunt, indicat formula (10) $\delta = \delta'$ esse, qualiscunque

1) Vidd. La Croix, l. l. I. §. 323. p. 517, et Leroy, §. 295—299. p. 215 seqq.

que ſit angulus ϕ, ideoque omnes radios inter ſe aequales. Quo caſu aequatio (9) praebet $(r-t)=0$ $s=0$. Hoc cernitur e. g. in omnibus punctis ſphaerae. Si radii principes habent ſigna contraria e. g. δ' ſignum poſitivum et δ'' negativum, tum ita ſe habent ſectiones principes *MA* et *MB* (fig. 27.), ut ſuperficies in *M* non ſit convexa, quia aliae ſectiones ſupra, aliae infra planum tangens ſitae ſunt. Ad limites harum ſectionum determinandos ponatur in formula (10) δ'' negativi ſigni: ergo

$$\frac{1}{\delta}=\frac{1}{\delta'}\cos^2\phi-\frac{1}{\delta''}\sin^2\phi$$

et hocce caſu, $\delta=\infty$ exſiſente,

$$\frac{\cos^2\phi}{\delta'}=\frac{\sin^2\phi}{\delta''}\text{, unde tang.}\,\phi=\pm\sqrt{\frac{\delta''}{\delta'}}\quad\ldots\ (12)$$

Valoris hujus ϕ ſit expreſſus per $\pm\omega$ et in plano tangente ducantur duae lineae rectae *DD'* et *EE'*, quae faciant cum *MX'* angulum aequalem valori ω. Omnes ſectiones igitur ſitae in angulis oppoſitis *DME* et *D'ME'* habent radios curvaturae poſitivos, ideoque ſunt omnes ſupra planum tangens, dum δ' eſt minimus omnium radiorum poſitivorum; angulo creſcente ſupra ω formula (10) indicat exſiſtere δ' negativum, et decreſcente angulo ab $\phi=\omega$, quo caſu $\delta=\infty$, usque ad $\phi=90°$, quo caſu $\delta=-\delta''$, omnium ſectionum, quae ſunt ſitae in angulis oppoſitis *DME* et *D'ME'*, radios curvaturae eſſe negativos, ergo omnes ſectiones ſi-

ſitas infra planum tangens. Praeterea, patet e formula (9), radios principes haud contrarii eſſe ſigni et ſuperficiem convexam, ſi $(rt-s^2)>0$, curvaturas autem ſibi oppoſitas, ſi $(rt-s^2)<0$, ſine qua ſecunda conditione ſuperficies curvilinea (*ſurface gauche*) non conſiſtere poteſt. In ſuperficie autem evolubili unus principum radiorum eſt infinitus; quam ob cauſam e formula (9) concludi poteſt, hoc caſu quantitatem $rt-s^2=0$ eſſe 1). Tandem eſt obſervandum ſi in aequatione (11) $\delta'=a^2$, $\delta''=\pm b^2$ et $\delta=a'^2$ existant, aequationem exſiſtere ellipſeos et hyperbolae, cujus ſemidiametri principes ſunt a et b, et ſemidiameter, qui cum prima axe facit angulum ϕ, aequalis a', ita ut, ſi uterque radius princeps ſit poſitivus, curva tum evadat ellips, vel, exiſtente b^2 negativa quantitate, hyperbola, earumque diverſorum diametrorum quadrata indicent rationem, qua creſcant aut decreſcant radii curvaturae; cum vero e contrario δ' ſit poſitivus et δ'' negativus, axis b ſit imaginaria et curva, in ſemiaxibus a et b conſtructa, hyperbola, cujus ſemidiameter a ſit convenienter valoribus ipſius ϕ realis, infinita aut imaginaria 2).

§. 45.

1) Vid. Leroy, l. l. §. 301—305. p. 225 ſeqq. et Meusner, l. l p. 489 ſeqq.

2) Vid. Leroy, l. l. §. 306. p. 225. Conf. ib. §. 307—309.

§. 45.

Ratio, qua radius curvaturae fectionis normalis exprimi poteft, jam eft indicata; radius vero curvaturae fectionis obliquae ope radiorum minoris majorisque curvaturae exprimi poteft. Quando angulus inclinationis, quam planum fectionis obliquae et planum xy inter fe faciunt, per θ et angulus, quem fectio communis plani obliqui et plani xy cum axe x faciunt, per ϕ indicatur, tum in aequatione fuperficiei $F(x, y, z) = 0$ hae formulae

$$x = x' \cos\phi + y' \cos\theta \sin\phi + \alpha$$
$$y = x' \sin\phi - y' \cos\theta \cos\phi$$
$$z = x' \sin\theta$$

funt fubftituendae 1).

His formulis in aequatione fuperficiei fubftitutis, obtinetur aequatio forma $y' = \psi(x')$ vel $\psi(x', y') = 0$ et radius curvaturae ejusmodi curvae, quae eft fimplicis curvaturae, exprimitur per

$$\gamma''' = - \frac{\left(1 + \left(\frac{dy'}{dx'}\right)^2\right)^{\frac{3}{2}}}{\frac{d^2y'}{dx'^2}}$$

E formulis, quae funt fubftituendae, deducuntur

$$dx = dx \cos\phi - dy' \cos\theta \sin\phi$$
$$dy = dx' \sin\phi + dy' \cos\theta \cos\phi$$
$$dz = dy' \sin\theta$$

prae-

1) Vid. Le Croix, l. I. §. 296. p. 541.

praeterea est $dz = p\,dx + q\,dy$. Ergo

$$dy' \sin\theta = p(dx'\cos\phi - dy'\cos\theta\sin\phi) + q(dx'\sin\phi + dy'\cos\theta\cos\phi)$$

nde

$$\frac{dy'}{dx'} = \frac{p\cos\phi + q\sin\phi}{\sin\theta + p\cos\theta\sin\phi - q\cos\theta\cos\phi}$$

$$\cdot\, d\frac{dy'}{dx'} = \frac{\left\{\begin{array}{l}(\sin'\theta + p\cos\theta\sin\phi - q\cos\theta\cos\phi)(dp\cos\phi + dq\sin\phi)\\ -(p\cos\phi + q\sin\phi)(dp\cos\theta\sin\phi - dq\cos\theta\cos\phi)\end{array}\right\}}{(\sin\theta + p\cos\theta\sin\phi - q\cos\theta\cos\phi)^2}$$

$$= \frac{\left\{\begin{array}{l}(\sin\theta + p\cos\theta\sin\phi - q\cos\theta\cos\phi)(dp\cos\phi + dq\sin\phi)(p\cos\phi + q\sin\phi)\\ -(p\cos\phi + q\sin\phi)^2(dp\cos\theta\sin\phi - dq\cos\theta\cos\phi)\sin\theta\end{array}\right\}}{(\sin\theta + p\cos\theta\sin\phi - q\cos\theta\cos\phi)^3(pdx + qdy)}$$

itaque his valoribus fubftitutis obtinetur radius γ'' aequalis quantitati

$$\frac{-\left\{\begin{array}{l}(pdx + qdy)((p\cos\phi + q\sin\phi)^2\\ + (\sin\theta + p\cos\theta\sin\phi - q\cos\theta\cos\phi)^2)^{\frac{3}{2}}\end{array}\right\}}{\left\{\left(\begin{array}{l}(\sin\theta + p\cos\theta\sin\phi - q\cos\theta\cos\phi)(dp\cos\phi + dq\sin\phi)\\ -\cos\theta(p\cos\phi + q\sin\phi)(dq\sin\phi - dq\cos\phi))(p\cos\phi + q\sin\phi\end{array}\right)\sin\theta\right\}}$$

in qua formula pro dp et dq fubftituendi funt eorum volores $rdx + sdy$ et $sdx + tdy$ 1).

Cum vero planum tangens et planum xy coincidentia et axes x et y fitae in planis circulornm osculatricum ponantur (fig. 30.), notum est p, q et s esfe aequales fero. Praeterea obtinentur $\frac{dy'}{dx'} = 0$, $d.\frac{dy'}{dx'} = \frac{\sin\theta\; dp)\cos\phi + dp\;\sin\phi)}{\sin^2\theta}$

$dp =$

1) Hoc univerfali modo Euler radios curvaturae confideravit, et ex hac generali formula formulas radiorum major's minorisque curvaturae deduxit, in Recherch. fur la Courb. des furfaces. Vid. Mém. de Berl. anno 1760.

$dp = zdy' \cos \phi$, $dq = tdy' \sin \phi$, ideoque radius δ''' sub hac simpliciore forma sese offert

$$\delta''' = - \frac{\sin \theta}{r \cos^2 \phi + t \sin^2 \phi}$$

vel, propter $r = - \frac{1}{\delta'}$ et $t = - \frac{1}{\delta''}$,

$$\delta''' = \frac{\delta\ \delta'' \sin \theta}{\delta'' \cos^2 \phi + \delta' \sin^2 \phi}$$

Quando autem in hac formula angulus $\theta = 90°$ ponitur, sectio obliqua abit in sectionem normalem, et eadem formula obtinetur, quae jam pro radio curvaturae sectionis normalis inventa est. Hinc sequitur

$$\delta''' = \delta . \sin \theta$$

et exsistente angulo, quem inter se faciunt planum normale et obliquum, $= \omega$

$$\delta''' = \delta . \cos \omega$$

unde concludendum est, radio curvaturae sectionis normalis et angulo ω cognitis, radium sectionis obliquae facillime reperiri posse, et radium curvaturae sectionis obliquae esse radii curvaturae sectionis normalis projectionem 1), in plano obliquae sectionis 2). Quando cum linea MI', quae repraesentet δ vel radium sectionis normalis transeuntis per tangentem MX', tanquam radio sphae-

1) Vid. Leroy, l. l. §. 81, p. 52.

2) Hanc considerationem radiorum curvaturae, plano tangente et xy coïncidentibus, magna ex parte debemus Meusnero, quapropter hoc theorema vulgo Meusneri dicitur esse. Vid. Mem. présent par sur Etr. Tom. X, p. 486 seqq.

ſphaera deſcribitur, haec ſphaera per planum obliquum $X'MT'$ ſecatur ſecundum circulum, cujus radius est MP, dum MI est aequalis $MI.$ cos ω; ergo $MP = \gamma'$ et ſphaera, cujus radius est MI, ſeſe habet osculatricem omnium ſectionum, quae transeunt per tangentem MX' 1).

§. 46.

Cum plana coördinatarum quocunque modo poſita conſiderantur, et determinanda poſitio proponitur planorum, in quibus circuli majoris minorisque curvaturae adſunt, quaestioni huic ſatisfit, ſi requiratur aequatio plani circuli osculatoris ope conditionis, qua ut cum ſuperficie propoſita interſectio hujus plani et ſphaerae osculatricis exſistat, obtinetur $dy = mdx$. Ejus aequatio et aequatio ſuperficiei eodem tempore exſtare debent pro omnibus punctis, in quibus res ita ſe habeat, et aequatio talis plani, ut punctum commune hujus ſuperficiei, cujus coördinatae ſunt x, y, z, habeat, est hujus formae

$$A(x'-x) + B(y'-y) + C(z'-z) = 0$$

eaque differentiata et dx', dy', dz' in dx, dy, dz mutatis obtinetur plani aequatio $Adx + Bdy + Cdz = 0$, et pro aequationibus utriusque ſuperficiei $dz = pdx + qdy$. Ergo

Adx

1) Vidd. Leroy, l. l. §. 511. p. 230 ſeqq. et la Croix, l. l. I. §. 324, p. 578.

$$Adx + Bdy + C(pdx + qdy) = 0$$

vel propter $mdx = dy$

$$A + Cp + (B + Cp)m = 0 \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad (1)$$

Praeterea quia hoc planum transire debet per ſphaerae centrum, cujus coördinatae ſunt α, β, γ, opus est ut obtineatur

$$A(x-\alpha) + B(y-\beta) + C(z-\gamma) = 0$$

Ex §. 40. cognoscuntur $x-\alpha = -p\,(z-\gamma)$ et $y-\beta = q\,(z-\gamma)$, ergo

$$-Ap - Bq + C = 0 \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad . \quad (2)$$

E qua aequatione conjuncta cum (1) derivantur

$$\frac{A}{C} = \frac{m + pq + q^2 m}{pm - q}, \quad \frac{B}{C} = -\frac{1 + p^2 + pqm}{pm - q}$$

quibus valoribus ſubſtitutis, obtinetur aequatio quaesita

$$(m + pq + q^2 m)(x' - x) + (1 + p^2 pqm)(y - y') + (qm - q)(z' - z) = 0$$

Animadvertendum est, ſubſtituto valore ipſius m in formulis quantitatum $(x-\alpha)$, $(y-\beta)$ et $(z-\gamma)$, ethis cum aequatione ſuperficiei conjunctis exſtare quatuor aequationes, et ſi ex his variabiles quantitates x, y, z eliminentur, aequationem, quae non niſi α, β, γ contineat indicetque relationem inter centra ſphaerarum osculatricum; ergo aequationem exſistere ſuperficiei, quae contineat centra omnium ſphaerarum osculatricum; hanc autem ſuperficiem compoſitam esſe e duabus partibus, quarum una ſphaerarum centra radii majoris continet, altera centra ſphaerarum radii minoris curvaturae, atque haud raro aequationem, cujus ope ſuperficies evoluta de-

determinatur, desolvi posse in duos factores reales, qui has duas varias evolutas repraesentent 1).

§. 47.

In curvis simplicis et duplicis curvaturae jam vidimus, quo modo ab intersectione subsequentium normalium curvae evolutae nascuntur. Haec vero consideratio facillime ad superficies applicatur.

Aequationes normalis sunt

$$(x'-x)+p(z'-z)=0 \quad . \ . \ . \ . \ (a)$$

$$(y'-y)+q(z'-z)=0 \quad . \ . \ . \ . \ (b)$$

Si una eademque normalis consideretur, sunt quantitates, x, y, z, p et q constantes, sin ab una ad alteram subsequentem normalem transeatur, inconstantes. Quoniam autem a dato puncto ad quodcunque punctorum huic circumjacentium transiri potest, ideoque directio, in qua normalis progredi posse consideratur, permaxime est diversa, variabiles sunt ponendae x, y et z, et ut intersectio duarum subsequentium normalium exsistat, considerandae x', y', z', tanquam constantes. Ergo diffetiatis aequationibus (a) et (b), et positis $dz=pdx+qdy$, $dp=rdx+sdy$, $dq=sdx+tdy$ obtinentur

$$-dx-p^2dx-pqdy+(z'-z)(rsdx+sdy)=0 \ . \ . \ . \ (c)$$

$$-dy-q^2dy-pqdx+(z'-z)(sdx+tdy)=0 \ . \ . \ . \ (d)$$

Quan-

1) Vid. La Croix, l. l. I. §. 325, pag. 580.

Quantitate $(z'-z)$ ex (c) vel (d) cognita, valores ipſarum $(x'-x)$ et $(y'-y)$, per et (a) et (b) facillime cognoscuntur; aequationibus (c) et (d) inter ſe conjunctis eliminanda $(z'-z)$, obtinetur aequatio

$$\left(\frac{dy}{dx}\right)^2\left((1+q^2)s-pqt\right)+\frac{dy}{dx}\left((1+q^2)r-(1+p^2)t\right)$$
$$-(1+p^2)s+pqr=0\ldots(e)$$

in qua aequatione omnes quantitates ope aequationis ſuperficiei, excepto quoto $\frac{dy}{dx}$, ſunt cognitae. Unde colligitur, ad duas normales ſeſe invicem ſecantes vel ſitas in uno eodemque plano inveniendas, maxime differre, ad quodnam punctum a dato transeatur in ſuperficie propoſita.

Quando inter (c) et (d) quotus $\frac{dy}{dx}$ eliminatur, tum obtinetur, ad quantitatem $(z'-z)$ determinandam, aequatio

$$(z'-z)^2(rt-s^2)+(z'-z)((1+q^2)r-2pqs$$
$$+(1+p^2)t)+(1p^2+q^2)=0\ldots(f)$$

quae, mutata z' in γ, convenit aequationi (6) §. 41, et ſi $(z'-z)$ climenetur, exſiſtit eadem aequatio atque aequatio (8), cujus ope definiuntur valores ipſius m. Valoribus $(x'-x)$ et $(y'-y)$ ex (a) et (b) in aequatione $\delta=\sqrt{((x'-x)^2+(y'-y)^2+(z'-z)^2)}$ ſubſtitutis, obtinetur $\delta=(z'-z)\sqrt{(1+p^2+q^2)}$. Ex aequatione (f) derivatur valor ipſius $(z'-z)$, qui in hac ſubſtitutus praebet aequationem

$$\delta^2(rt-s^2)-\delta((1+q_2)r-2pqs+(1+p^2)t)$$
$$\sqrt{(1+p^2+q^2)}+1+p^2+q^2=0$$

quae convenit aequationi (7) §. 41. Ex his concludendum est, centra circulorum osculatricum majoris et minoris curvaturae ſita esſe in interſectione normalium ſeſe ſubſequentium 1).

Disquiſitio interſectionum normalium ſeſe ſubſequentium pertinet ad quaestionem generalem, in qua conſiderantur interſectiones linearum ſubſequentium, quae ad ſuperficiem ſecundum quandam normam mathematicam ductae ſunt. Huic problemati univerſali nititur theoria refractionis et reflexionis radiorum corporis luminantis per corpora quaecunque 2).

§. 48.

Ope aequationis (*e*) cognoscitur (fig. 31.) in plano xy directio PP', ſecundum quam, conciderațis $dx = PH$, $dy = P'H$, ideoque $\frac{dx}{dy} =$ tang. $P'PH$, a puncto M in ſuperficie ad proximum M' transeundum est, ut duae normales ſibi occurrant. Hae lineae, quae hoc modo in ſuperficie de ſcribuntur, appellantur lineae curvaturae (*lignes de courbure*). Haec lineae faciunt inter ſe rectum angulum

1) Conſf. Leroy, l. l. §. 314. p. 213, et La Croix, l. l. I. §. 326. p. 581.

2) Hanc theoriam tractavit Malus. Vidd. Mem. préſent. par des Sav. Etr. Tom. II. et Journ. de l'école polyt. Chap. XIV.

lum, quia, ſi ponatur planum, in M ſuperficiem tangens, esſe parallelum plano xy, partes infinite parvae vel elementa MM' et MM'' ſunt eorum projectionibus parallela. Aequatio plani tangentis redit ad $z' = z$, unde concludendum est, p et q esſe aequales ſero. Hi valores ſubſtituti mutant aequationem (e) in

$$\left(\frac{dy}{dx}\right)^2 + \frac{dy}{dx}\left(\frac{r-t}{s}\right) - 1 = 0 \;.\;.\;.\;.\; (e')$$

cujus radices tang. $P'PH$ = tang ϕ' et tang. $P''PH$ = tang ϕ'', ideoque tang ϕ' tang $\phi'' = -1$ Ergo PP' et PP'' faciunt inter ſe angulum rectum, et hanc ob cauſam etiam MM et $M'M''$, quae elementa ſunt ſita in ſpatio. Si comparentur inter ſe aequationes (e') et $(8')$ §. 42, cujus ope determinata est directio ſectionum principum, patet duas lineas hasce curvaturae MD et DM'' esſe tangentes duarum ſectionum principum MA et MB. In eo autem, quod hae ſectiones principes ſemper in uno eodemque plano ſitae ſunt et plana principum ſectionum transeunt per normalem, raro omnibus ex partibus conveniunt cum hisce lineae MD' et MD'', quippe quae plerumque ſunt duplicis curvaturae 1). — Quando invenienda proponitur aequatio linearum curvaturae, ſunt quaerendi valores quantitatum z, p, q, r, s, t in functione x et y, qui-

1) Vid. Leroy, l. l. §. 315. p. 231 ſeqq.

quibus fubftitutis in aequatione (e), obtinetur aequatio differentialis projectionum linearum curvaturae in plano xy, quae aequatio differentialis est integranda. Conftans vero arbitraria C, quae aequationi integratae addi folet, ita determinetur, ut curva in fuperficie per datum punctum transeat. Attamen, uti patet e formula (e) haecce conftans fecundae potestatis, ergo admittit pro quocunque puncto fuperficiei duos diverfos valores, qui ad illas duas lineas curvaturae puncti dati pertinent 1).

§. 49.

Tandem est de interfectione fubfequentium normalium obfervatio haecce digna, quae cognoscatur. Plana normalia per puncta fubfequentia lineae curvaturae primae ducta conformant fuperficiem evolubilem, cujus latus reflexum conformatur a centris circulorum osculatorum lineae hujus curvaturae. Si res ita fe habet in omnibus lineis ejusdem curvaturae, obtinetur quaedam feries fuperficierum evolubilium, quarum latera reflexa conftituunt fuperficiem curvam, in qua omnia centra circulorum osculatorum linearum primae curvaturae locum occupant, et quae ab omnibus tangitur, haec fuperficies praeter hancce habet alteram partem (*nap-*

(*pe*

1) Vid. Leroy, l. l. §. 324. p. 289.

pe), in qua cernuntur centra circulorum ſecundae curvaturae, quae altera pars oritur e lateribus reflexis, quae conformantur a planis normalibus ad lineas ſecundae curvaturae ductis, et tangitur ab iisdem normalibus atque prima 1). Ad aequationem obtinendam harum duarum partium (*nappes*), in quibus ſita ſunt puncta omnia interſectionis, cujus coördinatae in aequationibus (a), (b) et (f) deſignantur per x', y', z', eliminendae ſunt inter has tres aequationes et aequationem ſuperficie quantitates x, y et z. Quo facto aequatio quaesita est reperta. Duae partes curvarum ſuperficerum, quae per centra curvaturae conformantur, ſunt in eadem ratione ad ſuperficiem propoſitam, in qua evolutae linearum curvarum ſimplicis curvaturae ad curvas ipſas 2).

Aequationes et formulae hucusque inventae, dum coördinatae ſibi perpendiculariter inſiſtentes ſumantur, applicari posſunt ad ſuperficies, quarum aequatio ope alterius ſystematis coördinatarum data est, modo ſubſtituantur pro x, y, z formulae, quae huic ſystemati conveniunt 3).

§. 50.

1) Conf. §. 45 in fine.

2) Vid. Leroy, l. l. §. 323. p. 238.

3) Tales formulae exſtant in Journ. de l'école Polyt. Caph. XV. T. V. p. 182 et 270 ſeqq. et apud La Croix l. l. I. 290. p. 328 ſeqq. Conff., quod attinet ad has formulas La Grange Mech. anal. et La Place, mech. cel.

§. 50.

Quia ſex conditionibus ſatisfaciendum est, ut exſistat inter duas ſuperficies perfectus contactus ſecundi ordinus aequatio ſuperficiei tangentis tot conſtantes contineat necesſe est, ideoque aequatio ſimplicisſima ſuperficiei ejusmodi est hujus formae

$$z = A + 2Bx + 2Cy + Dx^2 + 2Exy + Fy^2$$

ſi origo coördinatarum et punctum contactus, planum tangens et planum xy coïncidunt, obtinentur $p = P = 0$, et $q = Q = 0$ (§. 41.). Aequatio ipſa igitur mutatur in

$$z = Dx^2 + 2Exy + Fy^2,$$

ſin vero pro planis xz et yz ſumatur ea, quae continent majorem minoremque circulum osculatorem, est $s = S = 0$ 1), unde ſequitur $E = 0$. Ergo aequatio ſuperficiei tangentis ſe offert ſub hac forma

$$z = Dx^2 + Fy^2$$

quae aequatio est paraboloïdis hyperbolicae, et, una coefficientium D ſive $F = 0$ exſistente, aequatio cylindri parabolici.

Ex his colligi potest, duas ſuperficies, quae habeant contactum perfectum ſecundi ordinis, in hoc puncto esſe ejusdem curvaturae. Quando igitur duae ſuperficies per unum idemque punctum transeuntes radios curvaturae et majoris et minoris aequales habent, inter ſe habere contactum perfectum ſecundi ordinis, et quoniam hae ſuperficies

pla

1) Conff. §. 41, 42.

plana tangentia atque plana circulorum majoris minorisque curvaturae habent communia, evanescere differentialia primi ordinis, eaque secundi ordinis esse $d^2z = rdx^2 + tdy^2$, et $d^2z = Rdx^2 + Td^2y$. Praeterea propter radios aequales patet obtineri $R = r$ et $T = t$. Hinc sequitur superficiem ortam rotatione circuli *majoris* curvaturae circum rectam, quae e centro circuli *minoris* curvaturae perpendiculariter ad ejus planum est ducta, vel ortam rotatione circuli *minoris* curvaturae circum rectam, quae e centro circuli *majoris* curvaturae perpendiculariter ad ejus planum dncta est, contactum habere perfectum secundi ordinis cum superficie proposita. Monge radios principes radios curvaturae superficiei, eos considerans tanquam radios duarum sphaerarum, quae solae superficiei duo puncta infinite parva distantia a se invicem dissita communia habent 1).

Tandem mihi restat, ut tractem inversam tangentium methodum.

1) Vidd. La Croix, l. l. I. §. 328. p. 586 et Leroy, l. l. §. 321.

CA-

CAPUT IV.

DE INVERSA TANGENTIUM METHODO.

§. 51.

Problemata, quae hucusque de tangentibus agebant, ad methodum directam pertinent; ad inversam autem pertinent ea problemata, in quibus ex datis tangentium proprietatibus curvae aequatio quaerenda proponitur. Primo tempore inventionis calculi differentialis mathematici directam methodum et calculum differentialem fere unum idemque habuerunt. Eodem vero jure inversae methodo nomen calculi integralis tribui posset. Pervenitur enim, si e tangentium datis proprietatibus curvae ipsius aequatio invenienda sit, ad aequationes, quae cum quantitatibus differentiatis commixtae sunt. Unde igitur colligendum est, calculum integralem esse instituendum, quo solvantur talia problemata, et eo latius inversam methodum patere, quo latius

cal-

calculus integralis 1). Liceat mihi paucis quibusdam exemplis methodum hanc inverſam illustrare.

§. 52.

Baunius Carteſii amicus primus problema inverſae methodi, quod deinde a Jac. Bernouillio est reſolutum, mathematicis ſui temporis propoſuit 1). Ejus problema ad quaestionem hancce redit: data aliqua curva ſive algebraica ſive transcendente, alteram inveniendam, cujus ſubtangens et ordinata in eadem ſint ratione, in qua, data altera linea m et ſumma vel differentia ordinatarum curvae datae et curvae quaerendae; ſit P aequalis ordinatae curvae datae, ergo per hypotheſin

$$\frac{ydx}{dy} : y = m : y \pm P$$

ſi-

1) Vidd. Leibn., Op. Omn. III. pag. 76, 84, 172, 190, 287, 296, 337. Bernouill. Op. omn. III. §. 403. Conf. Newt. Op. Omn. I. p. 276. Cap. VII. 18. pag. 502. Cap. XI. 2. — Euler, de inſigni promotione inverſae tangentium methodi loquens, „hac methodo, inquit, plurima passim exſistunt problemata ſoluta, e quibus analyſis maxima cepit incrementa; verum problemata eo pertinentia ad diverſa genera revocanda videntur, prout proprietas praeſcripta vel ad ſingula tantum curvae puncta, vel ad bina plurave, immo infinita reſpicit." Conf. Novi Comm. Acad. Petrop. Tom. X. pag. 135.

1) Vidd. Montucla, Hist. des Math. II. p. 146. III. p. 317. Baunii Epist. Tom. III. Ep. 71. Jac. Bernouilii, Op. Omn. T. III. p. 421, et Act. erud. Lipſ. anno 1693.

ſive $mdy - ydx = \pm Pdx$,
quae ſub hac forma ſe afferre poteſt

$$mdy - \frac{1}{m} Qydx = Rdx$$

quae integrata mutatur in

$$y = e^{\frac{1}{m^2} \int \phi dx} \left(\frac{1}{m} \int e^{-\frac{1}{m^2} \int \phi dx} Rdx + C \right) \text{1)}$$

et poſito $e^{\frac{1}{m^2} \int \phi dx} = z$, ideoque $\frac{1}{m^2} \int Qdx = l.\, z$ vel

$\frac{1}{m} \int . Qdx = L.\, z$, ſi quantitas m tanquam modulus ſumatur, obtinetur aequatio

$$y = \frac{z}{m} \int . \frac{Rdx}{z} = \frac{z}{m^2} \int \frac{mR}{z} dx \text{ 2).}$$

quae eſt aequatio curvae quaeſitae. Talis curva facillime conſtruenda eſt. Sit (fig. 32.) DN curva aliqua cujus ordinata ſit aequalis quantitati Q. Area $ADPN$ praebeat valorem $\int Qdx$. Hicce valor repraeſentetur per rectangulum FQ, cujus unum latus ſit $= m$, alterum $AQ = \frac{1}{m} \int Qdx$, quo facto ſit $L.\, QR = \frac{1}{m} \int Rdx$, ideoque $QR = z$, ſi deinde deſcribatur curva, cujus ordinata ſit $\frac{mR}{z}$ et cujus area per S^2 indicatur, cognoſcitur, conſtruendo $\frac{zS^2}{m^2}$, ordinata y i. e. PM curvae quaeſitae

1) La Croix, l. l. II. §. 562. p. 244.
2) La Croix, l. l. II. §. 470. p. 184.

tae 1). Si in functionibus Q et R ſubſtituantur ordinatae curvarum duarum, quae ad axem AX ſint ſumtae, obtinetur hoc caſu $Q = m$ et $x = L.z$, ideoque $R = \pm P$ i. e. ordinata curvae datae. Baunius autem pro linea data rectam cum axe abſciſſarum ſemirectum angulum facientem asſumſerat 2).

Alterum exemplum ſit problema de trajectoriis, quod jam primo tempore, ex quo geometri calculo integrali incumbere coeperunt, maxime celebratum fuit. Euler imprimis (3) hoc problema tractavit, quod redit ad curvam trajectoriam dictam determinandam, quae ſub angulo dato ſecet omnes datas lineas ejusdem ſpeciei. Supra jam occurrit quoddam exemplum (§. 21) curvae, quae ſub dato angulo lineas rectas ſecat; hoc autem loco generali modo tractetur. Sint (fig. 33.) D, N, DN, $D'N'$ curvae quae ſecandae proponuntur ab MZ. Angulus TMt ſit datus per hypotheſin. Coördinatae curvae ſecandae per x' et y' et coördinatae curvae ſecantis per x et y repraeſententur, atque per

1) Vid. La Croix, l. l. II. §. 678. 448.

2) Conf. J. Bernoilii, Op. Omn., Tom. III. p. 422.

3) Quae Euler de trajectoriis lineis obſervavit, inveniri posſunt in Comment. Acad. Petrop. Tom. II. p. 92. Tom. V. p. 169. Novis Act. Acad. Petrop. Tom. I. p. 3. Act. Acad. Petrop. Anno 1782. P. II. p. 3. Nov. Comment. Acad. Petrop. Tom. XIV. p 46 et imprimis memorabilis est ejus Digresſio de trajectoriis tam orthogonalibus, quam obliquangulis in Novis Comm. Acad. Petrop. Tom. XVII. p. 205—248.

per a tangens trigonometrica anguli conſtantis TMt, vel differentiae angulorum MPT et MtP, quorum tangentes trigonometricae repraeſentantur per $\frac{dy'}{dx'}$ et $\frac{dy}{dx}$. Ergo obtinetur aequatio

$$\text{tang.}\ TMt = \text{tang.}\ (MtP - MTP)$$

vel

$$a = \frac{\frac{dy}{dx} - \frac{dy}{dx'}}{1 + \frac{dy}{dx} \cdot \frac{dy'}{dx'}}$$

et, quia aequatio curvarum, quae ſecandae proponuntur, cognita eſſe ſumitur, obtinetur $dy' = pdx'$; ergo

$$a\left(1 + p\,\frac{dy}{dx}\right) + p - \frac{dy}{dx} = 0,$$

in qua $x = x'$ et $y = y'$ poſita ſunt, quia curvae et ſecans et ſecanda punctum interſectionis commune habent. Quando inter hanc aequationem et aequationem curvae primitivam conſtans arbitraria, quia curvae ſecandae a ſe invicem differunt, eliminatur, patet aequationem exſiſtere, quae contineat omnes interſectiones ideoque quae integrata ſit aequatio trajectoriae.

Exſiſtente angulo TMt recto, trajectoriae appellantur orthogonales, et aequatio generalis mutatur propter $a = \infty$ in $1 + p\,\frac{dy}{dx} = 0$

Hoc modo curva trajectoria inveniri potest. Indicando autem, quomodo haec aequatio generalis in

diverſis caſibus ſeſe habet, viderer exponere theoriam trajectioriarum potius, quam exempla praebere inverſae methodi, quare has lineas derelinquo.

§. 53.

Problemata, quae ad radios curvaturae pertinent vel evolutas, anſam praebent aequationibus, in quibus differentialia ſecundi ordinis occurrunt, ita ut ad aequationem curvae quaeſitae inveniendam integratio iteranda ſit. E. g. ſi curva invenienda proponitur, cujus radius curvaturae aequalis ſit quoto radii curvaturae (eo momento, quo angulus, quem normalis cum axe abſciſſarum facit, ſit aequalis ſero) et quadrati coſinus hujus anguli, ita ut, ſi $x = o$, y et ille angulus aequales ſero obtineantur.

Ponatur ille angulus $= \phi$ et radius curvaturae $= r$ momento, quo $\phi = o$. Ergo propter tang $\phi = \frac{dx}{dy}$ (§. 8.), est $\frac{r}{\cos^2\phi} = r \sec^2\phi = r\,(1 + \tang^2\phi)$ $= r\left(1 + \left(\frac{dx}{dy}\right)^2\right) = r\left(\frac{dx}{dy}\right)^2\left(1 + \left(\frac{dy}{dx}\right)^2\right)$, et poſitis $\frac{dy}{dx} = p$, ideoque $\frac{d^2y}{dx^2} = \frac{dp}{dx}$, obtinetur

$$-\frac{(1+p^2)^{\frac{3}{2}}}{\frac{dp}{dx}} = \frac{r(1+p^2)}{p^2} \quad (\text{§. } 18.)$$

vel
$$r\frac{dp}{dx} = -p^2(1+p)^{\frac{1}{2}}$$

un-

unde deducitur

$$dx = -\frac{r\,dp}{p_2(1+p^2)^{\frac{1}{2}}},$$

quae integrata ita ſe habet

$$x = \frac{r(1+p^2)^{\frac{1}{2}}}{p} + C;$$

hinc ſequitur

$$p = \frac{dy}{dx} = \frac{r}{\sqrt{((x-C)^2)-r^2)}}, \ldots (a)$$

itaque

$$y = r\int.\frac{dx}{\sqrt{((x-C)^2-r^2)}}$$

vel

$$y = r\,l.\frac{x-C+\sqrt{((x-C)^2-r^2)}}{r\quad C'}$$

et, quia, ſi $x=0$, y debet etiam eſſe aequalis ſero,

$$-C+\sqrt{-r^2})=rC'$$

vel $$C' = -\frac{C}{r}+\sqrt{\left(\frac{C^2}{r^2}-1\right)}$$

quo valore valor ipſius y mutatur in

$$y = r\,l\cdot\frac{x-C+\sqrt{((x-C)^2-r^2)}}{-C+\sqrt{(C^2-r^2)}}$$

Quando $x=0$ est, evadit $\phi=0$; attamen exſiſtente tang $\phi = \frac{dx}{dy}$, valor $x=0$ neceſſe est reddat quotum $\frac{dx}{dy}$ aequalem ſero. Quo facto deducitur ex aequatione (a) aequatio $0=\sqrt{(C^2-r^2)}$ un-

unde $C = \pm r$. Asſumto deinde $C = -r$ et hoc valore ſubſtituto, est aequatio quaeſita

$$y = r l. \frac{x + r + \sqrt{(x^2 + 2 r x)}}{r}.$$

Curva, quae per hanc aequationem repraeſentatur, in mechanica nomine lineae catenariae occurrit, et est linea aequaliter craſſa duabus extremitatibus ſuspenſa et gravitati ſuae relicta 1).

Alterum exemplum ſit problema, quod reſolvit Schubert 2), et quod proponit curvam inveveniendam, cujus radii curvaturae aequales ſint normalibus. In hoc problemate ſunt duo caſus distinguendi, unus quo radius negativo, alter quo hic poſitivo ſigno affectus est. In primo caſu obtinetur 3) per hypotheſin

$$\frac{y \sqrt{(dx^2 + dy^2)}}{dx} = -\frac{(dx^2 + dy^2)^{\frac{3}{2}}}{dx\, d^2y}$$

vel $$y d^2y + dy^2 + dx^2 = 0,$$

ex qua aequatione ope integrationis derivantur hae aequationes

$$y\, dy + x\, dx = C dx, \quad y^2 + x^2 = Cx + C'$$

curva igitur hoc caſu est circulus, cujus centrum est in axe abscisſarum. In altero caſu exſistit aequatio,

$$\frac{y \sqrt{(dx^2 + dy^2)}}{dx} = \frac{(dx^2 + dy^2)^{\frac{3}{2}}}{dx\, d^2y}$$

vel

1) Cf. Henn., Curſ. math. appl. I. p. 56.

2) Vidd. Nov. Act. Acad. Scient. Petrop., Tom. IX. 166. imprimis, §. 8. ſeqq.

3) Conff. §. 9, 18.

unde $yd^2y = dx^2 + dy^2$

vel, poſito $dy = pdx$,

$$ydp = dx(1+p^2) = \frac{dy(1+p^2)}{p}.$$

unde

$$\frac{dy}{y} = \frac{pdp}{1+p^2}$$

et integrando

$$l.y = l.a + \tfrac{1}{2} l. \sqrt{(1+p^2)}$$

$$\text{five } y = a\sqrt{(1+p^2)}$$

Hinc porro $p = \frac{\sqrt{(y^2-a^2)}}{a} = \frac{dy}{dx} = \frac{ady}{\sqrt{(y^2-a^2)}}$,

quae integrata matatur in

$$x-b = a\,l.\frac{y+\sqrt{(y^2-a^2)}}{a} = a\,l.\frac{a}{y-\sqrt{(y^2-a^2)}},$$

unde

$$e^{\frac{x-b}{a}} = \frac{y+\sqrt{(y^2-a^2)}}{a}$$

hinc ſequitur

$$y = \tfrac{1}{2}a\left(e^{\frac{x-b}{a}} + e^{\frac{b-x}{a}}\right)$$

Quando ſimplicitatis cauſa una conſtantium determinatur e. g. $a = 1$, obtinetur

$$y = \frac{e^{x-b} + e^{b-x}}{2}$$

Determinetur altera conſtans b, ita ut forma aequationis fiat ſimplicisſima, ideoque mutatur $x-b$ in x, quo facto origo abscisſarum locum occupat in puncto, quo $x = b$. Ergo

$$y = \frac{e^{x} + e^{-x}}{2}$$

quae

quae aequatio in ſeriem evoluta, repraeſentatur per

$$y = 1 + \frac{x^2}{1.\,2.} + \frac{x^4}{1.\,2.\,3.\,4.} + \text{etc.}$$

In hac igitur aequatione valori $x = \pm e$ idem valor ipſius y respondet. Poſito $x = 0$ obtinetur $y = 1$, quae minimus valor est ordinatarum. Sive ponatur $x = + \infty$, ſive $x = + \infty$, utroque caſu fit $y = + \infty$. Cuicunque valori ipſius x ſive poſitivo, ſive negativo, unus idemque realis valor ipſius y convenit. Hinc concludendum est, curvam quaeſitam esſe formae, qualis curva in fig. 34. cujus diameter est normalis prolongata per vertricem A, aquo puncto inde ad utramque partem ramus aequalis et infinitus ſe extendit 1).

§. 54.

Hucusque autem talia problemata tractavi in qua integratio, quae dicitur, completa inſtituenda est, quip-

1) Fere infinitus est numerus problematum, quae exſtant ex inverſa tangentium methodo. Inter alia ſunt memoranda quae inveniuntur in Novis Act. Ac. Petrop. IV. p. 104 per Fuss, IV. p. 190 per Scubert, VI. p. 77 per Euler, XIV. p. 306 per Gourief, Nov. Comm. Ac. Petr. XVI. p. 240 per Euler, Act. Ac. Petr. Ann. 1781, P. II. p. 290 per Plattzman, Comm. Ac. Petr. Tom XII. p. 3 per Euler, Mém. de l'Acad. de Paris A°. 1705. p. 25 per Rolle, A°. 1732. per Bouguer, (des lignes de pourſuite, ad quas conf. Corresp. ſur l'écol. polyt. Tom. II. p. 295). Mém. préſent. par div. ſav. étrang. Tom. I. p. 311, Mém. de Fontaine, p. 12. Nov. Act. Upsſ. Vol. III. p. 262 et Schmidt, nagelaten Wisk. verh., p. 226.

quippe cujus ope perveniendum est ad aequationem, quae omnes curvas proprietate propofita gaudentes contineat. Integratio autem haud raro non ita fefe habet, quo cafu efficitur ut folutio tantum ad nonnullas lineas fe extendat. Ad rem illustrandam fequantur haec problemata.

Primum talis curva invenienda proponatur, cujus in tangentem ex dato puncto demisfae perpendiculariter lineae fint inter fe aequales.

Exfistentibus x et y coördinatis curvae inveniendae et x' et y' coördinatis dati puncti et puncto, ex quo perpendicula demittantur tanquam origine coördinatarum asfumto, obtinentur aequationes tangentis et perpendicularis lineae fub hisce formis

$$y'-y=\frac{dy}{dx}(x'-x),\ y'=-\frac{dx}{dy}x' \ (\S. 8.)$$

Ergo $$x'=\frac{xdy-ydx}{dx^2+dy^2}dy,\ y'=-\frac{xdy-ydx}{dx^2+dy^2}dx$$

et distantia puncti dati ab origine coördinatarum per n defignata,

$$\sqrt{(x'^2+y'^2)}=\frac{xdy-ydx}{\sqrt{(dx^2+dy^2)}}=n,$$

hinc

$$xdy-ydx=n\sqrt{(dx^2+dy^2)}$$

et propter $dy=pdx$

$$y=px+n\sqrt{(1+p^2)},$$

quae differentiando mutatur in

$$dy=pdx+xdp+\frac{npdp}{\sqrt{(1+p^2)}}$$

fi-

vel $$xdp + \frac{rpdp}{\sqrt{(1+p^2)}} = 0$$

Haec aequatio disſolvi potest in duos factores, in $x + \frac{np}{\sqrt{(1+p^2)}} = 0$ et $dp = 0$, quorum e ſecundo concludendum est p eſſe conſtantem quantitatem vel C. Ergo obtinetur $y = Cx + n\sqrt{(1+C^2)}$. Primus autem factor praebet $p = \pm \frac{n}{\sqrt{(n^2-x^2)}}$ ideoque $\sqrt{(1+p^2)} = -\frac{np}{x} = \mp \frac{n}{\sqrt{(n^2-x^2)}}$, quo valore in propoſita ſubſtituto obtinetur aequatio

$$y^2 + x^2 = n^2,$$

quae est circuli.

Hinc ſequitur, omnes lineas rectas, quae per aequationem $y = Cx + n\sqrt{(1+C^2)}$ repraeſentantur, ab illo circulo tangi, et lineam ad has rectas perpendiculariter demiſſam eſſe radium hujus circuli, et quia valor ipſius $\frac{dy}{dx}$ ex aequatione circuli ductus ſemper convenit cuidam valorum ex integrali completo deductorum, praeterea patet, circulum conſiderari poſſe, tanquam ortum per interſectionem ſubſequentium tangentium, vel interſectionem rectarum, quae comprehenſae ſunt in integrali completo, et quarum ſubſequentium binarum valores infinite parva quantitate C inter ſe differunt; ideoque quantitate C inter aequationem $y - Cx = n\sqrt{(1+C^2)}$ atque hanc e reſpectu ipſius C differen-

rentiatam eliminata, aequationem circuli obtineri.

Alterum exemplum sit, invenire aequationem curvae, cujus normalis (b) longitudo et distantia pedis normalis ab origine absissarum (a) sint inter se in ratione data.

Per hypothesin nanciscimur aequationes

$$b = y\sqrt{\left(1+\left(\frac{dy}{dx}\right)\right)},\ a = x+y\,\frac{dy}{dx}.$$

Ad formam functionis $b = F(a)$ determinandam assumatur aequatio $b = a\,k$, ideoque obtinetur

$$y\sqrt{\left(1+\left(\frac{dy}{dx}\right)^2\right)} = k\sqrt{\left(x+y\,\frac{dy}{dx}\right)},$$

e qua derivatur

$$k - 2\,\frac{ydy}{dx} + 2\sqrt{\left(\frac{k^2}{4}+kx-y^2\right)} = 0$$

vel

$$\frac{k-2\,\frac{ydy}{dx}}{2\sqrt{\left(\frac{k}{4}+kx-y^2\right)}} + 1 = 0,$$

quae offert aequationem hanc primitivam

$$\sqrt{\left(\frac{k}{4}+kx-y\right)}+x = C,$$

vel

$$\frac{k}{4}+kx-y^2 = (C-x),$$

quae est aequatio circuli 1). Ita egit La Grange. Solutione particuliari Leibnitsius et J. Bernouillius rem consecuti sunt.

Leib-

1) Conf. La Grange, Leç. sur le calc. des Fonct. Ed. 2. p. 266

Leibnitsius vero 1) consideravit hanc curvam tanquam conformatam ab intersectione infiniti numeri circulorum subsequentium, quorum centra in axe sita sunt, quo casu radii circulorum evadunt normales curvae quaerendae, et relatio inter normales et partes axeos convenientes eadem exsistit atque relatio inter radios et abscissas, quae respondent centris circulorum.

Exsistente a abscissa, quae respondet centro, et b radio, est aequatio circuli $y^2 + (a-x)^2 = b$. Aequatio autem proposita inter a et b praebet $b = F(a)$ Ergo determinetur quantitas a, ejus valor substituatur in aequatione circuli et ipsa inter aequationem, quae tum exsistit, hujusque differentiale eliminetur; quo facto pervenitur ad aequationem curvae quaesitae. Ponatur igitur, uti Leibnitsius, $b^2 = ak$, in qua aequatione k est constans arbitraria. Qua aequatione substituta mutatur aequatio circuli in

$$y^2 + x^2 - 2ax + a^2 - ak = 0,$$

quae e respectu ipsius parametri differentiata sub hac forma se praebet

$$(-2x + 2a - k)\, da = 0,$$

unde

$$a = \frac{k + 2x}{2},$$

quo

1) Vid. Act. erud. Lips. A°. 1694. nova calculi differentialis applicatio rell. Conf. Leibnitsii et Bernouilii, comm. erc. epist. Tom. I. Ep. V.

quo valore parametri (a) ſubſtituto obtinetur

$$y^2 - kx - \frac{k^2}{4} = 0,$$

aequatio quae est parabolae, cujus axis tanquam axis abscisſarum, et cujus focus tanquam origo abscisſarum est habendus.

Janus Bernouillius 1) hoc problema ſequenti modo reſolvit. Ille conſideravit duas normales ſeſe ſubſequentes, obſervans accretionem infinite parvam normalis et accretionem partis axeos, quae a normali dependet, in eadem ratione inter ſe eſſe, in qua normalis ipſa et pars axeos comprehenſa inter ordinatam et normalem. Ergo parte axeos, quae a normali dependet, appellata a, et normali ipſa b, oritur proportio $db : da = a - x : b$ vel $\frac{db}{da} = \frac{a-x}{b}$, et propter triangulum rectangulum, cujus hypothenuſa $= b$ et cathetae $= y$ et $a - x$, haec aequatio

$$y^2 + (a-x)^2 = b^2.$$

Ex his duabus derivantur

$$x = a - \frac{b\,db}{da} \text{ et } y = b\sqrt{\left(1 - \left(\frac{db}{da}\right)^2\right)}.$$

Per hypotheſin est $b = F(a)$ ideoque x et y ſunt darae, ſi data ſit $F(a)$. Quantitate a deinde eliminata obtinetur aequatio quaeſita inter x et y, e. g. poſito $b^2 = ak$, evadit $\frac{db}{da} = \frac{1}{2}\sqrt{\frac{k}{a}}$, ergo $x =$

$a -$

1) Vid. J. Bern. Op. omn. T. III. Sect. 14. p. 430. X.

$a - \frac{k}{2}$ et $y = \sqrt{\left(ak - \frac{k^2}{4}\right)}$, inter quas duas a eliminata exſistit aequatio

$$y^2 = k\left(x + \frac{k}{4}\right),$$

quae est eadem atque a Leibnitsio inventa.

Ex utroque problemate praecedenti luculenter patet, curvam, quae per ſolutionem particuliarem est data, oriri per interſectiones ſubſequentes curvarum, quae diverſis valoribus, quos arbitraria conſtans in integratione completa asſequi posſit, reſpondeant.

Hinc ſequitur, evolutam curvarum (§. 20.) ortam per interſectionem radiorum curvaturae, conſiderandam esſe tanquam ſolutionem particuliarem aequationis differentialis, quae omnes normales involutae continet, et ab his normalibus tangendam esſe, atque eodem modo ſe habere evolutam imperfectam.

§. 55.

Quando autem has ſolutiones particuliares comparamus cum ratione, qua ſeſe habent conſtantes arbitrariae in contactu definiendo (§. 5.), nobis est facillimum intellectu, quomodo curvis tangentibus (fig. 35.) PQ, $P'Q'$.... datis curva tacta AB ſit invenienda. Nam quando constantes arbitrariae ope differentiationis e data aequatione curvae tangen-

gentis eliminantur, exſistit aequatio, quae omnes ſubſequentes interſectiones R, R'...... continet curvarum, quae diverſis valoribus, quos hae conſtantes asſumere posſint, reſpondeant, ideoque quae a datis curvis tangitur. Sequens obſervatio hanc rem ſatis illustrabit.

Quando $F = o$ aequatio est curvae tactae, quae tanquam $F(x, y)$ ponatur, et deinde pro curvis tangentibus aequatio quaecunque asſumatur, e. g. $V = o$ inter x et y et duas conſtantes a, b, ſi contactus ſit prima ordinis, vel inter x et y tres conſtantes a, b, c, ſi contactus ſecundi ordinis, et ſic porro; exſistit in primo caſu, eliminatis inter $F = o$, $V = o$, $dF = o$, $dV = o$ quantitatibus, x, y, $\frac{dy}{dx}$, aequatio inter a et b, quae inſerviat determinandae quantitati conſtanti alteri per alteram. In altero autem caſu, eliminatis inter $F = o$, $V = o$, $dF = o$, $dV = o$, $d^2 F = o$, $d^2 V = o$ quantitatibus x, y, $\frac{dy}{dx}$, $\frac{d^2y}{dx^2}$ exſistunt duae aequationes inter a, b, c, quarum ope duae conſtantes per tertiam determinandae ſunt et ſic porro. Si deinde conſtanti arbitrariae, quae ſola remanet in aequatione $V = o$ curvae tangentis omnes valores, quae exſtare posſunt, tribuantur, obtinentur aequationes omnium curvarum, quae tangunt curvam per aequationem $F = o$ datam. Res ita etiam ſeſe habet, cum aequatio $F = o$ ſit aequatio differentialis

lis primi ordinis; tum autem contactus non nisi secundi et superiorum ordinum considerari potest. Sumatur igitur pro curva tangente aequatio $V=0$ inter x et y, in qua, si contactus sit secundi ordinis, tres constantes a, b, c, si tertii ordinis, quatuor a, b, c, d adsint necesse est. In primo casu eliminentur inter $F=0$, $dF=0$, $V=0$, $dV=0$, $d^2V=0$, quantitates x, y, $\frac{dy}{dx}$, $\frac{d^2y}{dx^2}$, quo facto duae aequationes inter a, b, c oriuntur, quarum ope una constantium per duas reliquas determinanda est. In altero autem casu inter aequationes $F=0$, $dF=0$, $d^2F=0$, $V=0$, $dV=0$, $d^2V=0$, $d^3V=0$ eliminentur hae quinque quantitates, x, y, $\frac{dy}{dx}$, $\frac{d^2y}{dx^2}$, $\frac{d^3y}{dx^3}$, unde efficitur, ut existant duae aequationes inrer a, b, c, d, quarum constantium duae per duas reliquas determinandae sunt, et sic porro. Si haec ratio instituatur, remanent semper duae constantes arbitrariae in aequatione curvae tangentis in $V=0$. Quando his duabus valores omnes possibiles tribuuntur, pervenitur ad aequationes omnium curvarum, quae curvam per aequationem $T=0$ datam tangere possunt, et eodem modo casus tractari possunt, in quibus aequatio curvae tactae sit differentialis secundi vel altioris ordinis.

Ergo patet, si ex data aequatione curvae PQ con-

constantes arbitrariae ope differentiationis sunt eliminatae, aequationem obtineri curvae *AB*.

Animadvertendum est, quia variabilibus permutandis aequatio differentialis a solutitione particuliari depravatur, curvas per integrale ope harum variabilium novarum expressum repraesentatas, non amplius tangi posse a curva, quae ad solutionem particuliarem pertinet.

Praeterea curvam tactam infinitum ramorum numerum complecti ideoque in quocunque puncto curvae tactae duos ramos, qui eandem tangentem habent, adesse patet, unde colligitur si aequatio tactae curvae sit differentialis primi ordinis, pro hac curva obtineri $\frac{d^2}{dx^2} = \frac{0}{0}$, si secundi ordinis, $\frac{d^3y}{dx^3} = \frac{0}{0}$ et sic porro, quia in puncto multiplice (§. 15.) $\frac{dy}{dx}$ se offert sub forma $\frac{0}{0}$ 1).

Consideratio parametri variabilis in aequationibus curvae magnam utilitatem affert causticis, quae per reflexionem et refractionem oriuntur, et quae tanquam curvae sunt considerandae, quales repraesentantur per integralem particuliarem aequationis differentialis, quae exprimit omnes rectas lineas,

1) Vid. La Grange, in Nouv. Mém. de Berl. A°. 1774. p. 197 seqq. A°. 1779. p. 121, Théorie des fonct. anal. P. II. Ch. III et IV. et Leç. sur le calc. des fonct. p. 268 seqq.

neas, secundum quas radii sunt reflexi et refracti.

§. 56.

Eodem modo, atque inversa methodus curvarum simplicis curvaturae, sese habet inversa methodus curvarum duplicis curvaturae et superficierum; si integratio completa fieri potest, convenienter regulis integrationis aequatio, ad quam per quaestionem pervenitur, integranda est, si autem integratio singularis exsistit, e. g. quando aequatio curvae vel superficiei est data, curva vel superficies invenienda proponitur, quae per intersectiones subsequentes curvarum vel superficierum oritur, sunt constantes arbitrariae in data aequatione tanquam variabiles considerandae, et opus est eandem ob causam, ut ope differentiationis ex data aequatione istae constantes, quae eo casu tanquam variabiles considerandae sunt, eliminentur 1).

Itaque patet, rationem, qua (§. 24.) superficies rectificans, (§. 25.) superficies osculans, (§. 27.) superficies intersectionum planorum normalum, (§. 31.) evoluta quaedam curvarum duplicis curvaturae, (§. 49.) superficies evoluta ab intersectione

1) Vid. Nouv. Mém. de Berl. A°. 1779. p. 149. seqq.

ne fubfequentium normalium, denique rationem qua haec omnia et hujusmodi inveniantur, confiderandam esfe tanquam folutionem particuliarem aequationis differentialis.

Addere mihi tandem liceat haec duo problemata, quae ad inverfam methodum tangentium fuperficierum fpectant.

Primum quaeratur fuperficies curva, in cujus plana tangentia e dato puncto demisfae perpendiculares fint omnes ejusdem longitudinis.

Quando, aequatione plani existente $z' = l + mx' + ny'$, origo coördinatarum tanquam punctum datum asfumitur repraefentatur linea (P) perpendiculariter ex origine ducta ad illud planum per banc formulam 1)

$$P = \frac{l}{\sqrt{(1+m^2+n^2)}},$$

fi aequatio hujus plani cum aequatione plani tangentis

$$z' - z = \frac{dz}{dx}(x'-x) + \frac{dz}{dy}(y'-y) \; (\S.\,34)$$

comparetur, evadunt $m = \frac{dz}{dx}$, $n = \frac{dz}{dy}$ idcoque quia in puncto, quo perpendicularis illa plano tangenti occurrit $x = x'$, $y = y'$, et $z = z'$, obtinetur $l = z - x\frac{dz}{dx} - y\frac{dz}{dy}$. Ergo formula lineae ipfius perpendicularis mutatur in

1) Vid. La Croix, l. l. I. §. 281. p. 517.

$$p = \frac{z - x\frac{dz}{dx} - y\frac{dz}{dy}}{\sqrt{\left(1 + \left(\frac{dz}{dx}\right)^2 + \left(\frac{dz}{dy}\right)^2\right)}}$$

et posito hanc perpendicularem esse aequalem constanti c, obtinetur

$$z = \frac{xdz}{dx} + \frac{ydz}{dy} + c\sqrt{\left(1 + \left(\frac{dz}{dx}\right)^2 + \left(\frac{dz}{dy}\right)^2\right)},$$

quae integrando mutatur in

$$z = ax + by + c\sqrt{(1 + a^2 + b^2)},$$

dum integrale particuliare sub hac forma se offert

$$z = \sqrt{(c^2 - x^2 - y^2)}$$

vel $x^2 + y^2 + z^2 = c^2$

ideoque sphaeram repraesentat, cujus origo coördinatarum in ejus centro locum occupat. E natura integrationis particuliaris, completae et generalis patet, superficies, quae repraesentantur ab integralo completo et integrali generali ejusdem aequationis differentialis partialis primi ordinis, tangere in quocunque puncto unam superficierum, quae expressae sunt in integrali completo ejusdem aequationis; attamen superficiem repraesentatam per integrale particuliare tangere per semet ipsam omnes superficies, quae in integrali completo contineri possunt, et e contrario superficiem per integrale generale repraesentatam tantum tangere posse superficies pertinentes ad certam superficierum speciem, quae dependet a relatione data inter a et b,

quae

quae conſtantes arbitrariae ſunt integralis completae 1).

Alterum exemplum: inveniatur aequatio generalis ſuperficierum, quae ſub recto angulo ſecent infinitum numerum ſuperficierum datarum, quarum aequationes non inter ſe differunt niſi parametro a, quae in una eademque ſuperficie tanquam conſtans exſiſtit, variabilis vero debet esſe, cum ab alia ad aliam ſuperficiem transeatur. Hoc problema, quod eadem ratione ad ſuperficies atque problema de trajectoriis orthogonalibus ad curvas ſimplicius curvaturae ſeſe habet, hoc modo ſolvitur. Sint x, y, z coördinatae rectangulae ſuperficierum, quae ſecandae proponantur. Harum aequatio est per hypotheſin aequatio finita inter x, y, z et a. Quando igitur haec aequatio differentiatur quantitate a tanquam ſola variabili conſiderata et deinde inter aequationem hanc differentiatem, et aequationem ipſam a eliminatur, exſiſtit aequatio, cujus forma est $dz = pdx + qdy$ in qua p et q repraeſentant functiones datas quantitatum x, y, z. Haec aequatio pertinet ad omnes ſuperficies, quae ſecandae proponantur. Ponamus aequationem ſuperficierum, quae ſecant, differentiatam esſe $dz = Pdx + Qdy$. Si deſignentur per x', y', z' coördinatae puncti cujuscunque in ſpatio ſiti, est ae-

1) Vid. Nouv. Mém. de Berl. 1774. p. 243.

aequatio plani tangentis ſuperficierum, quae ſecandae ſunt

$$z'-z=p(x'-x)+q(y'-y) \quad (\S.\ 34.)$$

et plani tangentis ſuperficiei, quae has datas ſecat

$$z'-z=P(x'-x)+Q(y'-y)$$

unde ſequitur, angulo, ſub quo haec plana ſeſe ſecant, appellato α, formulam hancce obtinere

$$\cos\alpha=\frac{1+pP+qQ}{\sqrt{(1+p^2+q^2)}.\sqrt{(1+P^2+Q^2)}}$$ 1).

Quando autem ſuperficies propoſitae ſub angulo recto ſeſe ſecant, est angulus, quem earum plana tangentia in puncto interſectionis inter ſe conſtituunt, aequalis recto, et hanc ob cauſam $1+pP+qQ=0$ Ergo aequatio, quae ſit ſolvenda, est propter $P=\frac{dz}{dx}$ et $Q=\frac{dz}{dy}$ haecce

$$1+p\frac{dz}{dx}+q\frac{dz}{dy}=0$$

in qua aequatione p et q ſunt functiones datae quantitatum x, y, z. Integrale hujus aequationis dependet ab integralibus duarum quaruncunque harum trium aequationum,

$$p\,dy-q\,dx=0,\ p\,dz+dx=0,\ q\,dz+dy=0$$ 2)

ſi harum duae integratae ſunt, et C et c tanquam conſtantes asſumtae, obtinetur $C=F(c)$, et quando

1) Vid. La Croix, l. l. I. §. 285. p. 520.

2) Vid. La Croix, l. l. II. §. 732. p. 531.

do ope integralium conſtantes *C* et *c* eliminantur, exſistit aequatio quaeſita ſive omnium ſuperficierum, quae ſub recto angulo datas ſuperficies ſecant 1).

Accipiatis, viri clariſſimi, hoc meum opusculum, quod ſi vobis placeat, maximae erit mihi voluptati; ſin minus, condonetis meae audaciae; nam et omnes et nos inprimis juvenes

Trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque gloria ducitur.

CICERO.

1) Nouv. Mém. de Bel. 1779. p. 156.


CORRIGENDA.

Pag	4	*lin.*	19	*pro* Aput	—	Apud
—	22	—	5	— ſunetio	—	funtio
—	26	—	9	— ſimplius	—	ſimplicis
—	43	—	13	— cunjugatum	—	conjugatum
—	—	—	21	— -rentia liumordinis	—	-rentialium ordinis
—	63	—	15	— Franſeo	—	Tranſeo
—	83	—	2	— $c\nu-\psi')$	—	$(\nu-\psi')^2$
—	101	—	12	— quando	—	quum
—	110	—	6	— fig. 27.	—	fig. 29.

Cetera menda, benevole lector, emendes.

I.

Fig. 9.



.18.






Fig. 25



I.



II.






Fig.35






Fig. 27
Fig. 28
Fig. 29
Fig. 30
Fig. 31
Fig. 32
Fig. 33
Fig. 34
Fig. 35

J. G. ROOSEBOOM

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM,

A NOB. FACULTATE MATH. ET PHILOS. NAT.

IN

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

PROPOSITAM:

„ *Quales aceti varietates hodie ad usum chemicum*
„ *et oeconomicum adhibentur? Qualia principia*
„ *peregrina, praeter acidum aceticum, singulae*
„ *continent? Quomodo ab his depurari possunt*
„ *et solent? Quaenam tandem est compositio*
„ *chemica ipsius acidi acetici?*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT,

DIE XXVI M. MARTII A. MDCCCXXX.

On doit donc considerer le vinaigre comme un des produits les plus dignes de fixer l'attention de l'économie rurale et domestique.

PARMENTIER.

PRAEFATIO.

Natura continuo immenſum numerum ſubſtantiarum, quam maxime differentium, variisque proprietatibus praeditarum creat; hominibus vero ingenium dedit, ut hisce recte uti posſent. Illis autem utimur, vel uti ex benigna Naturae manu nobis traditae sunt, vel etiam illas in aliam formam, artificioſe, transmutamus, purificamus et nobilitamus, eo conſilio, ut nostro uſui optime respondeant. Illa mutatio perficitur, ſive viribus naturae propriis ex industria nostra excitatis, ſive humanis manibus, ſive machinis, atque ſic porro.

Ad istam autem mutationem quae chemicis naturae viribus perficitur, praecipue pertinet transmutatio nonnullarum ſubſtantiarum vegetabilium in vinum, alcohol, cereviſiam et acetum, quod ultimum multiplici uſu Chemico, Oeconomico et Medico eminet. Non igitur mirum videtur, Nobi-

lisſimam Facultatem math. et philoſ. nat., in Academia Rheno-Trajectina, hujus rei gravitatem perpendentem, quaestionem de aceto propoſuisse, ad quam pro viribus meis elaboratam responſionem vestro V. Cl.! judicio offerre audeo; pro viribus meis, inquam, minime enim ab artis tirone talia exſpectari posſe, qualia a veteranis expetuntur, Vobis etiam abunde cognitum est. Accipiatis igitur atque dijudicetis hoc qualecunque opusculum tanquam juvenilis aetatis laborem, cujus conscriptio, quamquam etiam praemium eripere non contingat, mihi tamen utilitatis expers non fuit.

IN-

INTRODUCTIO.

Acetum jam ab antiquisſimis inde temporibus cognitum fuit: Hippocrates etenim, Galenus et Dioscorides in operibus ſuis de eo jam mentionem fecerunt, atque Plinius ſummopere aceti ad conficiendos fructus praestantiam laudavit 1). Legiones Romanae eo cum aqua mixto tanquam potu uſae ſunt, quem *oxycrati* nomine deſignabant, atque Aegyptii videntur acetum tanquam conditura in cadaveribus condiendis adhibuisſe, testante Herodoto 2), quod etiam conficere posſumus e loco apud Plinium ubi ait: „ pix liquida in Europa e teda coquitur, navalibus muniendis multosque alios ad uſus. Lignum

(1) Plinius, Historia naturalis, Lib. XIV. Cap. XX.

(2) Herodotus Halicarnas: Histor. Lib. IX. Lib. II. Cap. XXXVII.

num ejus concisum furnis, undique igne extra circumdato fervet; primus sudor aquae modo fluit canali, hoc in Syria *cedrium* vocatur, cui tanta est vis, ut in Aegypto corpora hominum defunctorum eo perfusa serventur 1)." Hoc enim *Cedrium* non ex solo compositnm fuisse oleo empyreumatico tenuiore, sed etiam acidum aceticum empyreumaticum continuisse, ex iis quae hodie de indole chemica productorum destillationis siccae ligni novimus, satis apparet. Alchemistae postea cum aceto in arte sua multa experimenta fecerunt: ars vero illud coquendi ad Glauberum usque incognita fuit, qui tandem primus accuratam aceti coctionis descriptionem dedit.

Est autem acetum liquor acidus vegetabilis, penetrans, subtilis, semi spirituosus, sapore reficienti acido non admodum acri, odore peculiari attamen grato, unicuique cognito, colore plerumque stramineo, praeditus; pondus specificum differt ab 10135 ad 10251 4): ex hoc vero pondere quantitas relativa acidi acetici, quam acetum continet, minime computari potest, caetera enim principia aceto contenta ad ponderis augmentum etiam suam conferunt partem, tum et ipsum acidum aceticum aqua, quemadmodum vidimus, paululum tantummo-

1) Plinius, Hist. nat., Lib. XVI. c. 21.

2) Klaproth und Wolff, chem. Wörterb., II. Band. pag. 68.

modo est gravius. Quando igitur hanc relativam quantitatem examinare volumus, acetum examinandum cum alcali quodam ſaturare debemus, quo major enim hujus quantitas requiritur ad plenariam aceti ſaturationem, eo plus acidi acetici in eo continetur; (dummodo ejusmodi acetum alio acido non ſit adulteratum). Acetum, quod jam 0,07 ſui ponderis partem ſubcarbonatis potasſae anhydri ſaturare valet optimae, quod tantum 0,055 vel 0,06 minoris habetur notae 1).

Difficillimum autem est exacte determinare, quaenam ſit quantitas ſubcarbonatis potasſae, certo aceti pondere ſaturatae; hoc vero experimentum, ſecundum Berzelium, optime ſequenti modo inſtituere posſumus: ſumatur ſcilicet tubus vitreus in plures gradus diviſus, impleatur ad certam usque altitudinem volumine determinato ammoniae liquidae causticae, quoad pondus ſpecificum et quantitatem ammoniae contentae bene cognitae. Liquor in tubo jam cum tanta infuſi heliotropii quantitate misceatur, quanta, ad fluidum colore profunde coeruleo tingendum, ſufficit: hoc facto, acetum, parvis ſemel ſimulque quantitatibus, liquori affundatur, donec hujus color perfecte ruber evaſerit; tunc, e tubi gradibus, cognoscitur volumen aceti adhibiti, et e quantitate ammoniae ſatura-

1) J. J. Berzelius, Lehrbuch der Chemie, Dresd. 1828. Band III. S. 1069.

ratae, quantitas relativa acidi acetici, illo volumine, contenti 1).

Quando acetum in vasis non bene clausis servatur, facillime et celerrime in sui generis putredinem abit; haec putredo seu mucor est plantae cryptogamicae species, vel e seminibus, vel generatione aequivoca orta. 2) Berzelius vero putat, illum mucorem oriri impensis principiorum remotorum, acidum aceticum constituentium; hinc etiam explicat, cur acetum eo debilius fiat, quo major in eo talis mucoris deposita sit quantitas 3). Hujusmodi etiam esse videntur animalia illa infusoria, Vibriones aceti, quae saepissime in aceto observantur. Olim putaverant efficaciam aceti ab his insectis dependere, sed hoc erroneum fuisse vel ex eo patet, quod in fortissimo aceto non inveniantur 4). Mucor incipiens insuper, colendo et praecipue etiam coquendo acetum, averti potest; si autem illud diutius mucore obsitum fuerit, tandem plane putrescit, quod praecipue valet de aceto cerevisiae, atque repeti debet ex magna partium mucosarum et extractivarum, in eo praesentium, quan-
[illegible] ti-

1) J. J. Berzelius, l. l. pag. 1069 und 1070.

2) Klaproth und Wolff, chem. Wörterb., II. Band. S, 68.

3) J. J. Berzelius, l. l. pag. 1069.

4) Doct. Struve, in notis quae adjecit operi Doctiss. Demachy cui titulus: Art du vinaigrier, Par. 1820. pag. 27.

titate. Tandem adhuc mucor averti potest clarificando acetum per ichthyocollam 1).

Ut plurimum oritur acetum in altera fermentationis periodo acida; quando nempe fluidum spirituosum, vinosa peracta fermentatione, temperaturae 70°—80° Fahr. exponitur, primum observantur flocci mucosi viscidi, qui sensum deponuntur; oxygenium ex aere atmospherico attrahitur, gas acidum carbonicum e liquido evolvitur, temperatura liquoris sponte elevatur, atque fluidum acidum evadit, dum ex alcohole formetur acidum aceticum, hinc Clar. Doebereiner acetum vocari maluit acidum alcoholicum, cum proprie nil aliud sit, nisi spiritus vini semicombustus 2).

Theoria hujus acetosae fermentationis secundum Cl. Berzelium huc redit 3): alcohol constat ex $O\ C^2\ H^6$, acidum aceticum ex $O^3\ C^4\ H^6$. Quando jam atomus alcoholis oxygenium ex aëre attrahit, atque sic omne quod continet hydrogenium oxydat, atque tunc quod remanet atomo alcoholis immutati addatur, oritur $O^2.\ C^4.\ H^6$; in hac igitur formula unus tantummodo oxygenii atomus desideratur, ut acidum aceticum fiat, quem adhuc aër atmosphericus praebet. In hoc igitur pro-

1) Ypey, system. handb. der Scheik., Tom. IV. p. 275.

2) J. W. Doebereiner, Anleitung zu einer Kunstmäszigen Bereitung verschiedener Arten Essige, Jenae A°. 1817.

3) J. J. Berzelius, l. l. Tom. III. pag. 1064.

processu ex duobus atomis alcoholis, qui quatuor oxygenii assumunt, unus atomus acidi acetici et tres atomi aquae oriuntur. Fermentatio acetosa ergo nil aliud est, nisi simplex oxydationis processus. Ut autem spirituosi liquores in acetosam fermentationem transferri possint, quatuor conditiones stricte necessariae sunt: temperatura scilicet paulo atmosphaerae temperatura consueta superior, contactus aëris, praesentia alicujus materiae fermenti officium facientis et tandem abundantia spiritus vini in ipso liquore vinoso.

His sub conditionibus in acetosam fermentationem transferri possunt:

1°. Succi vegetabilium, in quibus, praeter saccharum etiam unum alterumve acidum vegetabile uti: acidum malicum, citricum, tartaricum et oxalicum adest; quo succus uvarum, malorum, pyrorum, multorum aliorum fructuum dulcium atque tandem betae vulgaris, dauci sativi, sii sisari et extractum, aqua ebulliente paratum, ex baccis uvarum passarum, pertinent; quae omnia cum liquorem vinosum fermentatione producere possint, etiam hac de re facillime acetum generant.

2°. Varia frumentorum genera uti hordeum, triticum, tum etiam alcohol ex his paratum, magna aquae quantitate dilutum.

3°. Omnia producta regni vegetabilis, quae saccharum vel amylum continent: atque ita, saccha-

charum ipsum, mel atque syrupus aqua solutus.

Non vero tantummodo conjiciendo liquores vinosos in secundam fermentationem praeparatur acetum, sed etiam destillando substantias vegetabiles, uti lignum, in vasis clausis.

Atque haec generatim de aceto praemonenda duximus. Jam vero mihi animadvertere liceat, me prorsus secutum esse ordinem, in ipsa quaestione, propositam.

Caput primum, enim aget de aceti varietatibus, hodie ad usum chemicum et oeconomicum adhibitis, et quidem ejus

Sectio prima, de aceto e vino.

Sectio secunda, de aceto e cerevisia.

Sectio tertia, de aceto e fructibus.

Sectio quarta, de aceto vini artificiali.

Sectio quinta, de aceto e ligno.

Sectio sexta, de aceti usu chemico et oeconomico.

Caput secundum, de principiis peregrinis, singulis aceti varietatibus contentis.

Ca-

Caput tertium, de modo, quo ab his principiis peregrinis depurari posſit et ſoleat acetum.

Caput quartum, de acidi acetici chemica compoſitione.

CAPUT PRIMUM.

DE

ACETI VARIETATIBUS, HODIE AD USUM CHEMICUM ET OECONOMICUM ADHIBITIS.

SECTIO PRIMA.

De aceto e vino.

Coctio aceti e vino potisſimum est quaestus illarum regionum, quas Natura ſitu, ſoli indole et climate ad vitis culturam quaſi destinasſe videtur, partium ergo Europae meridionalium; atque quidem ſuavisſima est, quae ex his vinis paratur, aceti varietas. Meracisſima autem vina acerrima aceta generare ſolent, debilia autem in acetum verti posſunt ſed debile et iners 1), atque diverſas proprietates habet acetum pro uti nempe proveniat ex vino magis minusve alcoholico, colorato,

1) H. Boerhave, elem. chem., L. B. A°. 1732. Tom. II. pag. 107.

to, forti et generoſo, vel ex vino debili. Vina vetusta e quibus omnis materies vegeto-animalis jam diu praecipitata est, non facile fermentationem acidam ſubeunt 1). Acetum e vino, quo unice pharmacopolis uti licet, trigeſima ſui ponderis parte potasſae depuratae ſaturatur 2).

Duae proſtant hujus aceti ſpecies; prima oritur e vino albo, altera e vino rubro; rubrum autem facillime album redditur dummodo ſcyphus lactis ebullientis 25—30 ſextariis ejusmodi aceti infundatur, miscela deinde conquasſetur et tandem praecipitatum ſeparetur; hoc modo ſtramineum induit colorem et aroma proprium ſervat 3). Idem etiam perfici potest colando acetum per carbonem animalem. Experimenta huc ſpectantia a Cl. Figuier inſtituta lectu ſunt dignisſima 4).

Diverſimode praeparatur hoc acetum, ſemper autem cavendum ne utamur vinis ſulphuratis, cum haec nullo fere modo in acetum verti queant: acidum ſulphuroſum enim impedit, ſecundum Cl. Hermbſtädt, quo minus fiat fermentatio vinoſa atque obicem ponit continuatae alcoholis formationi. Secundum Cl. Parmentier partes mucoſae in vino ob-

1) J. A. Chaptal, art de faire le vin, pag. 264. atque Annal. de chimie, T. XXXVI. pag. 146.

2) Pharmacopea Belgica, pag. 20.

3) L. J. Thénard, Elem. de chimie, Tom. IV. pag. 230. ed. 4ie.

4) Figuier, Annal. de chimie, Tom. LXXIX. pag. 71.

obviae characterem fuum vinosum, interrupta fermentatione amitterent atque nunc, non in acetofam, fed in putridam fermentationem ftatim abirent 1).

In Gallia longum per tempus fecuti funt viam primum a Glaubero propofita, deinde etiam a Boerhavio fequenti modo defcriptam 2). „Fiunt, inquit, duo vafa quercina ingentia figurae cadorum vulgarium; in fingulis horum conftruitur craticula lignea, a fundo infimo vafis erecti distans ad pedis altitudinem; craticulae huic dein imponitur ftratum modice denfum virgultorum recentium viridium vitis, et huic acervus de pedunculis imprimis botryum unde acini ablati, ad altitudinem, ut totum vas fuperius patulum his plenum fit usque ad altitudinem pedis a fupremo vasis margine. Binis ita primo paratis vafis, infunditur vinum unde acetum conficiendum in utrumque vas; ita tamen ut eorum unum ad fummum usque repletum fit, alterum tantum ad dimidiatam partem. Quotidie cadum femi plenum ex pleno implent, alternatim, nec relinquunt vas plenum ultra viginti et quatuor horas. Oritur tunc in vafe femipleno fecundo vel tertio die agitatio fermentationis cum calore fenfibili, qui per gradus dein fuccesfivos

quo-

1) C. F. Hermbstädt, Anleitung zu einer gemeinnützigen Kenntnisz der Natur, Fabrication und Nutz Anwendung des Esfigs, pag. 81.

2) H. Boerhave, elem. chemiae, Tom. II. pag. 208 et 209.

quotidie increscit magis magisque, et in vafe pleno illo die motus calorque fuffocatur, ut fere eo die cesfent. Hinc alterne fermentatio et calor jam in uno, jam in altero vafe definunt, refurguntque. Continuatur autem hocce opus donec tandem calor etiam in vafe pleno exftinguitur, neque motus amplius fit, tum fignum habetur fermentationis perfectae acetofae. Quare etiam acetum paratum cadis reconditum obturatis fervatur. Quo fervidiore calore aestuat officina haec, eo citius abfoluta est aceti confectio; quae aestivo tempore quindecim diebus perfecta est. Hyberna autem tempestate longe lentius protrahitur; quin etiam aestuante coeli fervore, aut officina valde calefacta, opus faepe erit fingulis duodecim horis de pleno femiplenum implere, quoniam aliter in femipleno tantus calor et fermentatio exoriretur, ut fpiritus vini volatiles, necdum fatis fixati, tanto fervore disfiparentur de vino, priusquam in acidum aceti fpiritum vincti esfent atque fixi. Tunc enim vappa quidem maneret, postea acida, fed quae nullo modo acetum generofum exhiberet. Propterea quoque vas femiplenum, in quo aestuans agitatio obtinet, operculo femper accurate accommodato fic claufum tegitur, ut agitati liquoris fpumans ebullitio coerceatur retundaturque, quo repulfi fpiritus eo diutius fortiusque agant in austerum corpus, ejusque reactione vinciantur. Opercula etiam haec de eodem conficiantur ligno. Vas autem repletum non

non tegitur operculo fed relinquitur femper apertum, quo aeri praebeatur ad liquorem mutandum liberrima accesfio.

Non autem ubique in Gallia hanc coquendi acetum vini methodum fequuntur. Aureliae, ubi optimum acetum vini fabricatur, fequenti modo procedunt: Fiunt fcilicet vafa, quae ad quadraginta fextarios gallicos vini continere posfunt, eliguntur autem talia, quae jam faepius hoc officium praeftiterunt, quaeque matres aceti nuncupantur. Horum vaforum tres feries fibi imponuntur, atque in ferie fuperiore fingula vafa foramine, cujus diameter duos aequat pollices, quod femper apertum manet, inftructa funt: his ita difpofitis implentur vafa centum fextariis boni aceti ebullientis, quibus, post octo dies, decem fextarii vini clarificati affunduntur, quod fingulis octo diebus iteratur donec vas plenum est. Decem ultimis fextariis affufis fibi adhuc per quatuordecim dies relinquitur, acetum antequam ad ufum adhibeatur. Nunquam autem mater aceti ulterius depromitur quam ad dimidiatam partem, quo facto, iterum eodem, quo antea, modo vinum illis affunditur.

Procesfus tardior vel celerior fermentationis facile examinatur ope asfulae in liquidum immerfae et fubito iterum retractae; quando nempe haec fpuma five flore aceti tegitur, concludere licet fermentationem quam maxime esfe actuofam, atque majorem vini quantitatem esfe affundendam.

Vinum autem, antequam ad acetum conficiendum adhibetur, per aliquod tempus relinquitur in cadis, quibus inest feries ramentorum fagineorum, quibus ramentis faex vini fefe affigit. Temperatura in officina fit 70°—80° Fahr 1).

Haecce methodus prae Boerhaviana fefe commendat ob fermentationem non tam cito peractam, ob odorem quendam aromaticum, quem facile retinet hujusmodi acetum, atque ob felectum vinum album.

Ad ufum oeconomicum optime fequenti modo praeparari potest acetum vini.

Primum fumitur cadus aceti optimae indolis, huic fubftrahuntur aliquot fextarii, atque locus nunc vacuus eadem quantitate vini limpidi impletur. Orificium jam leviter clauditur cortice fuberino, et cadus in loco modice calefacto deponitur; omni deinde menfe eadem quantitas aceti fubftrahitur, et vino compenfatur. Tali modo optimum accipitur acetum atque in cadis nullum fere fedimentum oritur, dummodo caveatur, ne vinum affufum fit turbidum, atque temperatura quantum fieri posfit conftans maneat 2).

1) A. A. Parmentier, Kunst des Brantweinbrennens und der Esfig-Fabrication, Pest. 1820. pag. 144.

2) M. J. A. Chaptal, Traité de Chimie appliquée aux arts, Par. 1807 Tom. III. pag. 158 feq.

SEC-

SECTIO SECUNDA.

DE ACETO E CEREVISIA.

Quemadmodum in introductione nostra monuimus etiam varia frumentorum genera in acetum transferri posſunt; continent enim amylum atque praeter illud majorem glutinis vegetabilis, minorem ſacchari et gummi quantitatem 1). Amylum vero frumentorum, antequam in acetum verti queat, primum mutari debet in ſaccharum; atque gluten vegetabile, quod facile, ſua indole ad regnum animale accedente, in putredinem abit, ſeparari. Hunc vero ſcopum attingimus germinatione, quae actio quando conſilio incitatur frumentum in maltum vertitur 2); in germinatione enim gluten ad radicem formandum conſumitur, amylum aquam decomponit, oxygenium asſumit et ſic ab una parte in ſaccharum, ab altera vero in gummi mutatur. Accepit jam ſaporem magis dulcem, imo fere ſaccharinum, atque omne fere gluten disparuit: ſi nunc cum aqua calida tractetur, ſolvuntur ſaccharum et gummi atque haec ſolutio facillime in vino-

1) C. F. Hermbstädt, Anleitung etc., pag. 174.

2) Egregie atque ſufficienter ſatis haec actio deſcripta est in libello Doct. C. W. Juch, cui titulus die Kunst der Esſig-Bereitung, Nürnb. 1818.

nosam atque deinde etiam in acetosam fermentationem abit.

Aceti species ex variis frumentorum generibus praeparatae communi nomine aceti e frumento veniunt: potest autem etiam acetum confici e cerevisia, potu e frumento vinosa fermentatione acquisito, quae species tunc proprie acetum e cerevisia vocatur, quo vero nomine aliquando etiam designatur acetum e frumento directe acquisitum.

Acetum cerevisiae proprie sic dictum secundum Cl. Chaptal, Gandavi, sequenti modo praeparatur 1). Primum sumuntur 1440 lib. malti hordeacei, 540 lib. malti triticei et 391 lib. fagopyri: ex his inter se commixtis et fermentationi expositis conficiuntur 18 cadi cerevisiae fortioris at 6 cadi cerevisiae tenuis; duae hae cerevisiae species aut inter se mixtae aut singulae seorsum vasis infunduntur majoribus, tantummodo ad dimidii pedis ab orificio distantiam implendis: vasa jam impleta in seriebus disponuntur atque fulcimentis imponuntur, ad pedis altitudinem a solo distantibus, sibi nunc relinquuntur illa vasa et in fermentationem ducuntur sub divo vel saltem ita, ut aditus solis radiis libere pateat. Vasa habent aperturam supernam 6—8 poll. quadratorum, quae nocte vel pluvioso tempore duabus oblique positis te-

1) M. J. A. Chaptal, Chimie appl. etc., Tom. III. pag. 164 seqq.

tegulis tegitur, caeterum aperta manet. Semper feliguntur vafa, in quibus vinum hispanicum vel etiam aliae fpecies vini dulces transportatae funt. Tale acetum intra quatuor vel quinque menfes confectum est. Semper vero utendum cerevifia forti, coloris experte et fine lupulo cocta Aliquando cerevifiae fermenti loco admiscetur acetum ebulliens in quo tartarus folutus est, vel etiam tartarus durus cum aceto ad far pinfitus 1).

Verum non tantum e cerevifia jam confecta, fed etiam, atque hoc praecipue in Patria nostra et in Germania locum habet, magnam aceti quantitatem conficiunt e malto; et quidem vel e malto hordeaceo folo, vel e triticeo, fed hoc femper cum quinta fui ponderis parte malti hordeacei tosti misceri debet, quoniam aliter non facile extrahitur. Duae dantur et malti hordeacei et malti triticei fpecies, una nempe ad aërem, altera ad furnum ficcata. Prima fpecies autem majori quantitate adhibetur, quam altera, duae tertiae partes nempe malti ad aërem et una tertia pars malti ad furnum ficcati; Expertisfimus Simon enim hancce proportionem optimam invenit 2). Sequenti modo ejusmodi acetum conficitur: fiquidem e. g. conficiendi fint 400 vel

1) A. Ypey, Systematisch Handboek der Scheik., Tom. IV. pag. 277.

2) Simon, volftändiger Unterricht vom Esfig-brauen, Dresd. A°. 1765.

vel 500 sextarii aceti, tunc 100 lib. malti hordeacei tosti vel etiam 80 lib. tritici cum 20 lib. hordeacei malti in molendina crassius comminuuntur, dein maltum bene molitum in lignea cupa tanta aquae tepidae quantitate commiscetur, quanta sufficit ad massam pultaceam uniformem reddendam. Post dimidiam horae partem 300 vel 400 sextarii aquae fervidae massae super affunduntur atque, hoc facto, massa per quadrantem horae bacillo ligneo bene agitatur, deinde inmittitur in colum vitile, atque tandem, aperiendo epistomio promte effunditur. Liquor effusus in magna ahena citissime ad ebullitionem usque calefit et dein rursus malto molito superfunditur. Binas post horas liquor iterum abstrahitur atque in vasa plura plana lignea distribuitur, ut eo citius refrigescat. Jam liquor refrigeratus ad 60° vel 65° Fahr. in labrum fermentationi inservientem infunditur, cum 4—5 sextariis boni fermenti e cerevisia miscetur atque tandem loco modice calefacto exponitur. Post aliquot tempus, miscela fermentare incipit, evolvitur acidum carbonicum, spuma in liquoris fermentantis superficie observatur et post decem vel duodecim horas omnia haec phaenomena cessare deprehenduntur; jam spuma separatur atque post aliquot tempus, epistomii labro appositi ope, a faece distrahitur liquor, qui dein in unum vel plura alia vasa transfusus et cum fermento quodam mixtus, loco cujus temperatura est 75°—80° Fahr., exponitur, donec acetum forma-

matum ſit. Acetum formatum nunc ſiphonis ope in vaſa ſaepius antea alcohole eluta depromitur, atque post aliquot tempus iterum depromtum ope ichthyocollae clarificatur 1).

Acetum e cereviſia odorem habet acrem ſpirituoſum, ſaporem satis acidum, colorem pallidum; aliquando, ſi maltum ad aërem et ad furnum ſiccatum aequali proportione adhibitum fuerit, brunneum; ſine depravatione ſervari potest, dummodo illi omni menſe parva quantitas alcoholis admisceatur.

SECTIO TERTIA.

DE ACETO E FRUCTIBUS.

Quando poma aut pyra ſive ligneis tudiculis, ſive, et hoc praestat, lapideo, in axi ſuo ſeſe movente cylindro conterantur, ſuccus dein exprimatur atque hoc facto in vaſis vinoſae fermentationi exponatur, tunc ſuccus ille mutatur in vinoſum liquorum, nomine *vini pomacei* cognitum; cujus vini bonitas, id est, quantitas alcoholis et principii ſaccharini quam continet a pomorum maturitate dependet. Tale vinum ex pomis facillime nobis praeparare posſumus comparando nempe ſufficientem

1) G. C. F. Hermbstädt, oper. laud., pag. 177 et ſeqq.

tem quantitatem fructuum illorum, modo jam descripto contusorum, ex his succum exprimendo atque mustum hoc modo acquisitum magnis vasis fulcimento impositis infundendo. Aperto orificio vasa musto repleta sibi relinquantur, atque nunc si tantummodo temperatura loci ubi deposita sunt 70°—75° Fahr. non superet, post 24 horas vinosa fermentatio incipit; sibilum edit mustum, atque ex vasis orificio spuma sponte elevatur et gaz acidum carbonicum evolvitur, quae fermentatio per 5, 10 vel 14 dies perdurat, pro ut major vel minor sit massa fermentans. Tandem expulsio faecis et motus fermentatorius non amplius observantur atque liquor vinosus factus est; ejus sapor saccharinus evanuit, sed odor et sapor vini in ejus locum veniunt. Tale vinum semper quandam gaz acidi carbonici quantitatem retinet, hinc facultatem habet spumescendi.

Si autem eo consilio vinum pomaceum conficiamus, ut deinde in acetum transmutetur, uti possumus pomis ante maturitatem de arboribus delapsis. Duae prostant hujus vini e pomis species, altera e malis, altera e pyris; sic etiam aceti varietates ex his paratae nomine aceti e malis et aceti e pyris distinguuntur; illis enim in locis, ubi mala et pyra magna quantitate crescunt, ex his acetum praeparari solet.

Ad acetum e malis conficiendum abhiberi solent vasa, quae ad 800 liquoris sextarios continere possunt,

ſunt, haec muſto implentur, modo jam enarrato e malis confecto. Praeterea ſex librae faecis acidae cerevifiae, ex fermento et farina ſecalina praeparatae, aqua dilutae, per orificium cadis infunduntur, tota maſſa porro bacillo bene agitatur et tandem per octo dies ſibi relinquitur, quibus praeterlapſis bonum confectum est acetum; cavendum autem, ne maſſa corrumpatur, quod facile praecavetur tempestive acetum depromendo 1).

Doctisſimi Godde et Thurry cum hoc aceto multa inſtituere experimenta: hic enim invenit acetum e vino $\frac{5}{8}$ partes plus acidi acetici quam acetum e malis ſub eodem volumine continere; ille vero acetum e malis malorum ſaporem et odorem aperte ostendere.

Nostrates hac aceti varietate praecipue utuntur ad cucumeres conficiendos et crythmum maritimum in Galliam transmittendum 2).

Ab aceto e malis non multum differt acetum e pyris, niſi forſan in eo, quod paulo magis acidum sit. Ad illud vero conficiendum primum colliguntur pyra caduca, contunduntur, cadis immittuntur, aqua miscentur et calori ſolari exponuntur. Ad fermentationem accelerandum faex dein additur ſi-

1) A. A. Parmentier, cours complet d'Agriculture redigé par Rozier, Tom. X. pag. 360.

2) A. A. Parmentier, Kunst der Brauntwein-brennens etc., pag. 164.

ſive, id quod praestat, certa quaedam acidi tartarici quantitas. Acetum jam confectum per colum linteum transmittitur, dein adhuc per quatuor dies ſibi relinquitur, atque tandem depromitur et ad uſum conſervatur 1).

SECTIO QUARTA.

DE ACETO VINI ARTIFICIALI.

Multis in locis praecipue illis in quibus vitis rarisſime colitur, nec facile uvae maturitatem adipiscuntur, non e vino acetum conficitur, hoc enim nimis dispendioſum foret, ſed quod vulgo aceti e vino nomine venit, praeparatur ex uvis pasſis, ſaccharo, vel melle.

Cum enim uvae pasſae nil aliud ſint, niſi ſiccatae uvae recentes, omnia principia continent in ipſis uvis obvia, hinc optime quidem abhiberi posſunt ad conficiendum acetum. Praeparatur autem, illud ſecundum Cl. Y p e y ſequenti modo 2). Sumantur ſcilicet 30 lib. uvarum pasſarum contuſarum, 2 lib. tartari in pulverem triti atque 140 lib. aquae; bene misceantur atque miscela per $\frac{1}{4}$ horae

1) Rogier, Dictionnaire d'agriculture, Tom. X. pag. 361.
2) A. Y p e y, ſyst. Handb. der Scheikunde, Tom. IV. pag. 276.

rae partem coquatur, dein liquor exprimatur atque huic jam addatur sufficiens fermenti cujusdam quantitas; quo facto ducatur in fermentationem vinosam, qua tandem peracta liquori admisceantur duodecim lib. alcoholis, ut sic denique liquor, in parva vasa, loco modice calefacto, exposita distributus, acetum producat. Clar. autem Hermbstädt minime addendum esse tartarum statuit, quoniam uvae passae illum jam inter sua principia contineant 1).

Ponamus conficiendos esse 400 sextarios aceti tunc primum 316 sextarii aquae in aheno stanneo ad ebullitionem usque calefiant, aquae huic ferventi dein addantur sex lib. tartari albi crudi in pulverem redacti atque tunc miscela tamdiu agitetur, donec tartarus solutus sit, tandem adhuc in liquore decem lib. sacchari puri solvantur. His omnibus ita solutis vasi infundatur liquor atque addatur fermentum cerevisiae, quo facto liquor in vinosam ducatur fermentationem; spuma deposita et fluidum clarefactum signum primae fermentationis periodi peractae exhibent. Fluidum vinosum jam depromatur in vas, acidae fermentationi destinatum atque illi addantur 24 sextarii alcoholis 28gr—30gr et 30 sextarii aceti e vino, cerevisia aut uvis passis: miscela deinde bene quassetur atque vas loco de-

1) C. F. Hermbstädt, Anleitung etc., pag. 134.

debite calefacto deponatur: post octo vel decem septimanas acetum paratum est 1).

Acetum hoc modo acquisitum est decolor, odoris atque saporis purissimi, satisque fortis, atque color aceti e vino stramineus illi facillime impertitur admixta parva sacchari adusti, in aceto calido soluti, quantitate.

Mel, quamvis multis dotibus saccharo simile, tamen penitus cum illo minime convenit. Praeter saccharum enim saepissime in illo adest materies quaedam alba granulosa in aqua et alcohole solubilis, tum etiam cera; chemico respectu igitur cum saccharo minime confundi debet, quamquam aeque facile ac saccharum in acetum mutetur 2); et quidem parva simul quantitate acetum vini artificiale e melle optime sequenti ratione praeparatur. Tres unciae tartari pulverisati et $4\frac{1}{2}$ unciae mellis communis flavi solvantur in 9 lib. aquae pluvialis ebullientis, quae solutio dein cum $10\frac{1}{2}$ lib. aquae pluvialis et 2 lib. boni aceti cerevisiae misceri debet atque in fermentationem duci, additione fermenti ex 3 vel 4 unciis panis secalini cum 2 lib. boni aceti, in pastam reducti, confecti. Haec miscela vasi immissa post octo vel decem hebdomades bonum

1) C. F. Hermbstädt, l. l. pag. 139.

2) M. Orfila, Élemens de Chimie, Par. 1824. Tom, II. pag. 30.

num exhibet acetum 1). Si autem majori quantitate v. c. ad 400 ſextarios, acetum parandum sit ſequenti ratione procedere posſumus. In ahena cuprea ſtanno obducta 6 lib. tartari pulveriſati in 100 ſextariis aquae ferventis ſolvantur atque, hoc facto, addantur 12 lib. mellis flavi. Solutio jam vaſi ligneo infundatur atque misceatur cum 292 ſextariis aquae frigidae atque octo ſextariis fermenti e cereviſia; masſa jam bene agitetur et dein vas tamdiu loco modice calefacto deponatur donec vinoſa fermentatio ſit peracta. Nunc liquidum vinoſum, ſiphonis ope, in aliud vas transfundatur atque tandem liquori 20 ſextarii alcoholis 28gr addantur. Ut autem hoc liquidum vinoſum in acetum mutetur cuique vaſi 40 ſextarii aceti infundantur, atque dein tantum vini e melle affundatur, quantum ſufficiat ad vas ad aperturam lateralem usque implendum; jam loco calido expoſitis vaſis, post novem vel decem hebdomades bonum ex illis acquiritur acetum, et ſiquidem ſemel tale acetum confectum est omnibus octo diebus 30 ſextarii depromi posſunt, dummodo eadem liquoris vinoſi e melle quantitate compenſentur. Acetum hoc modo acquiſitum ſapore odore et fortitudine excellit atque minus quam acetum e vino in mucorem transire

1) Bulletin des neuesten und Wisſensw. aus der Natur Wisſenſch., I Band. S. 282 ſeqq.

ire pronum est. Igiturque ad conficiendos fructus optime convenit 1).

SECTIO QUINTA.

DE ACETO E LIGNO.

Quando subſtantiae vegetabiles in vaſe clauſo destillantur, in exċipulo obtinetur liquidum coloris brunnei, odoris et ſaporis ingrati, attamen acidi atque hunc quidem liquorem tamquam acidum ſui generis chemici conſiderabant, illumque nomine acidi *pyro-lignoſi* deſignabant. Ignoraſse enim videntur, id quod Glauberus jam indicaverat 2), illud acidum esſe naturae aceti e vino, donec tandem anno 1811. Cl. Fourcroy et Vaucquelin annotasſent, acidum illud re vera esſe acidum aceticum, ſed magna olei empyreumatici quantitate inquinatum 3).

Ad acetum e ligno crudum magna quantitate conficiendum ſequenti modo procedi ſolet 4). In magna enim vaſa quorum pars inferior e ferro fu-

1) C. F. Hermstädt, l. l. pag. 149.

2) Glauberi, Apologia, art. 29 pag. 26.

3) Annales de Chimie, Tom. XXXV. pag. 161.

4) Orfila, elem. de Chimie, Tom. II. pag, 48.

fuso, reliqua pars e ferro cuso constat introducitur lignum, quantum fieri potest longum, rectum, crassitiem pugni habens. Ligno introducto, vasa operculis cochlearum ope affixis, clauduntur; jam in furnis deponuntur, eadem forma ac vasa gaudentibus. Fere ad fundum horum vasorum adest orificium tubi cuprei diametrum trium poll. habens. Hic tubus ad vasis parietes adscendit, atque in parte superiori sub forma infundibili e vase exit; hoc infundibulum conjungitur cum cylindro cupreo, 8 vel 9 poll. lato et 18 a 20 pedes longo; jam e taberna in qua vasa destillatoria adsunt exit cylinder, recurvatur et dein immergitur in magnum receptaculum, aqua plenum, quae continuo renovatur. Hoc loco cylinder definit in condensatorem 1), cui affixum est ab una parte parvum epistomium per quod liquida effluere posſunt, et ab altera cylinder priori similis, qui verticaliter adsendit, recurvatur, in tabernam redit, iterumque recurvatur et tandem in furno aperitur. His omnibus jam ita dispositis, ignis in furno accenditur; tunc primum transit aqua, dein quando substantiae vegetabiles in carbonem verti incipiunt, acidum carbonicum evolvitur, porro acidum aceticum maxime dilutum, magna pars gaz hydrogenii carbonati atque materiae oleosae, pici liquidae similis, formatur tum

1) Conf. omnino de condensatore illo Cl. Robiquet, in Dict. technologique, Tom. I. pag. 62 et 63.

tum et certa carbonici quantitas; in quocunque puncto masfae decompofitio locum habeat, integram tamen masfam producta gazformia transire debent, antequam exire posfunt per orificium hac de caufa ad inferiorem partem vafis conftructum. Producta autem illa, postquam cylindrum intraverint in condenfatore condenfantur, atque fic aqua, acidum aceticum et materies oleofa condenfata per parvum epistomium in commune receptaculum fluunt. Gaz vero acidum carbonicum, hydrogenium carbonatum et oxydum carbonis per fecundum cylindrum adfcendunt atque in furno ad combustionem infer-viunt.

Secundum Clar. Stoltze lignum diverforum arborum, refina et aliis partibus folubilibus liberum, aequalem quantitatem fluidi destillati exhibet, diverfa autem, quo ad acidum aceticum contentum, proportione. Sic betula alba et fagus fylvatica omnium lignorum fpecierum maximam, arbores vero coniferae minimam acidi acetici quantitatem praebent 1). Hoc acetum ligni crudum plures fubftantias peregrinas continet, a quibus depurgari debet; hanc vero depurationem capite nostrae commentationis tertio defcribere nobis propofuimus.

1) Conf. J. J. Berzelius, Lehrbuch der Chemie, Tom. III. pag. 1167.

SECTIO SEXTA.

DE ACETI USU CHEMICO ET OECONOMICO.

Nulla fere datur ſubſtantia vegetabilis, quae ad tam multiplices uſus adhibetur quam acetum. Ex aceto enim chemici primo quidem acidum aceticum concentratum tum et dilutum praeparant, ex quibus iterum multos acetates, uti acetatem ammoniae, potasſae, deutoxydi cupri et alios conficiunt. Deinde etiam inſervit ad cerusſam et ex ea ſaccharum ſaturni praeparandum: porro aetherem aceticum, acetaque aromatica ex aceto conficiunt. Ob virtutem disſolventem adhibetur ad camphoram, reſinas, gummi-reſinas, principia oleoſa volatilia, principium extractivum et alia ſolvenda 1). Ex eo jam porro acetum ſcilliticum, et oxymel ſcilliticum conficitur, quae praeparata in medicina magni ſunt momenti. Vires aceti medicae ſunt reſolventes, ſudorificae, antiſepticae. Aceto vero omnium maxime indigent pannorum xyllinorum fabricatores, ad ſolvendum nempe ferrum rubigine infectum, quo modo accipiunt liquorem corrodentem, pro colore nigro ſibi omnino necesſarium. Olim ad ferrum ſolvendum acetum e cereviſia adhibebant, hodie vero hunc in finem acetum e ligno

1) A. Ure, Dictionary of Chemistry, Lond. 1824, pag. 11.

no crudum adhibent, in quo oleum-empyreumaticum adhuc invenitur 1), quam ſolutionem nomine *pyro-lignitis ferri* deſignare ſolent; hoc enim ſal colores vividiores, puriores, tum et magis acutos producit quam acetas ferri cum aceto e cereviſia paratus. Metallorum fabricae aceto ad metalla paululum decoquenda et dein expolienda et a rubigine ſeparanda utuntur, quod praecipue quidem in fabricis laminariis, in quibus laminae cupreae et ferreae ſtanno obducuntur, locum habet. Ex eodem fonte etiam in officinis monetariis ad ipſas monetas excoquendas inſervit 2).

Verum non tantum ad uſum chemicum ſed etiam ad uſum oeconomicum ſaepisſime adhibetur acetum. Omnes enim ſubſtantiae animales et vegetabiles proprietatibus vitalibus gaudent, quibus si privantur decompoſitionem chemicam ſubeunt. Acetum jam ſaepius inſervit ad illas ſubſtantias a putredine incolumes ſervandas. Subinde ita apud plures homines caro recens bovina vel vitulina vel ferina, antequam ad alimentum adhibeatur, per viginti quatuor horas in acetum immitti ſolet, ut ſic odor et ſapor ingratus quem caro animalis, eo praeſertim tempore, quo beſtiae coitum appetunt, ſecum fert, tollatur et carnis teneritudo augeatur. Sic

1) Conf. Mémorial pratique du Chimiste Manufacturier, Par. 1824, Tom. II. pag. 429.

2) Hermbstädt, Anleitung etc., pag. 236.

Sic etiam plerique rustici carnem ſuam diu ſervandam in lacte acido facto macerant; haec autem caro tantummodo ſervatur incolumis acido acetico in lacte acescente evoluto. Neque minoris momenti est aceti ad ſervandos fructus et plantas ſiliquoſas usus 1). Fere quisque plantas aceto confectas quam maxime appetit, imo aliquando plantae per ſe non acidae in acetoſam fermentationem conjiciuntur antequam ad alimentum inſerviant, cujus rei exemplum nobis brasſica acida praebet. Antiquisſimis temporibus jam cognita erat aceti ad ceraſa, pruna, cappares, cinaras, agaricos campestres, fabas, atque multas alias ſubſtantias mucoſas conficiendas uſus, quales fructus nomine fructuum macaedoniorum menſae imponi ſolent 2). Et quidem haec conficiendi cibos conſuetudo quam maxime ſalutaris est; a multis etenim morbis ſcorbuticis tum etiam inflammatoriis humanum genus praeſervat, uſus vero nimium protractus ventriculum debilitat et integri corporis maciem producit.

Quando hae ſubſtantiae aceto conficiuntur, acidum aceticum ex aceto asſumunt, et aquam quam antea continebant deponunt. Ratio cur hoc ita fiat nobis adhucdum incognita est, tantummodo ſci-

1) Conf. Rogier, Dict. univerſ. d'Agricult. etc., Tom X. pag. 869.

2) Rogier, Dict. univ. d'Agricult. etc., Tom. X. pag. 370.

ſcimus, aceto atque omnibus aliis acidis proprietatem inesſe ſe facillime cum partibus gelatinoſis combinandi, atque has quam maxima condenſandi; cum autem ſubſtantiae quae aceto conficiuntur omnes vel majorem vel minorem quantitatem muci vel gelatinae vegetabilis continent, non mirandum, acidum aceticum principia ſibi admixta peregrina relinquere, ſeque cum gelatinoſis partibus combinare, ad quas majorem affinitatem habet, et quidem veroſimile est, hic acetum chemice cum gelatina e vegetabilibus esſe nuptum, abluendo etenim cum aqua ab illis ſeparandum non est. Non autem tantummodo in galatinam vegetabilem verum etiam in animalem ita agit acetum. Caro in aceto macerata illud abunde ſatis ostendit, cum hujus ſapor etiam ne quidem abluendo cum aqua amoveri potest 1).

Sic etiam olim adhibere ſolebant et adhuc ſolent acetum ad loca, in quibus aër deparvatus est uti noſocomia, carcera et alia depuranda; hodie vero in ejus locum ſubſtituuntur acida mineralia, vapores aceti enim videntur quidem celare non autem penitus destruere et neutraliſare miasmata 2).

1) Hermbstädt, lib. l. pag. 234 ſeq.

2) Conf. Doctisſ. Fodére, in Diction. des ſc. médic., Tom. LXVIII. pag. 134. art *Vinaigre*.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE

PRINCIPIIS PEREGRINIS SINGULIS ACETI VARIETATIBUS CONTENTIS.

Subſtantiae e quibus fermentatione acetoſa acetum acquiri potest a ſe invicem forma, origine atque characteribus externis quam maxime differunt, natura vero intima in hoc conveniunt, quod ſingulae exhibeant ſaccharum, mucum, acidum unum alterumve vegetabile, ſive etiam naturam farinaceam habeant. His principiis aptae evadunt, quo in fermentationem non tantum vinoſam, ſed et deinde in acetoſam facile tranſeant. Quamquam vero illa principia acetum producentia in omnibus adſint, tamen praeterea illis etiam alia principia sunt admixta, quaſi peregrina, quae aceti producti qualitates valdopere mutant. Acidum autem aceticum in omnibus aceti varietatibus est idem. Hisce praemiſſis videamus, qualia principia peregrina ſingulis contineantur.

Ace-

Acetum e vino. Principia peregrina aceto e vino contenta differunt cum natura vini, e quo fuerit productum. Cum autem secundum Cl. Orfila 1), in omni vino adsint, aqua, acohol, parva mucilaginis quantitas, principium vegeto-animale, acidum aceticum, supertartras potassae, tartras calcis, hydrochloras sodae, sulphas potassae etc., quibus in vino rubro adhuc minima quantitas principii coriarii atque principium quoddam colorans coeruleum, acidorum actione rubrum evadens, accedunt, atque in fermentatione acetosa secundum theoriam Cl. Berzelii tantummodo alcohol mutetur in aquam et acidum aceticum, caetera autem principia immutata maneant, ex inde sequitur in aceto e vino praeter acidum aceticum etiam adesse posse mucilaginem, principium vegeto-animale, supertartratem potassae, tartratem calcis, hydrochioratem sodae, sulphatem potassae, magnam aquae quantitatem, et alia plura principia minus constantia; atque in aceto e vino rubro accedere principium coriarium et colorans coeruleum. Atque haec, quam a priori fecimus, conclusio fere convenit cum illis, quae indicaverunt Cl. Westrumb, Fourcroy et Robiquet. Primus enim invenit 2), acetum e vino, praeter aci-

1) M. Orfila, elem. de chimie, Tom. II. pag. 370 seq.

2) Westrumb, in Annales de chimie, Tom. II. pag. 304, 305.

acidum aceticum, continere acidum tartaricum, tartarum, aquam, materiam saccharinam, terram calcariam et acidum oxalicum. Cl. Fourcroy praeterea invenit materiam extractivam colorantem, aliquando mucilaginis parvam copiam, acidum malicum et citricum, sulphatem potassae et sulphatem calcis (1). Atque tandem Cl. Robiquet principium quoddam vegeto-animale in aceto e vino adesse statuit 2).

Acetum e cerevisia. Haec aceti varietas quaedam etiam principia continet, ad naturam suam proprie non pertinentia, quibus distinguitur ab aceto e vino. Continet enim acetum e cerevisia praeter acidum aceticum et aquam semper magnam principii mucosi et gummi quantitatem. Evaporato ad siccitatem aceto e cerevisia, hae substantiae in capsula remanent, tanquam massa tenax, lenta, densa, alcohole insolubilis; praeter haec autem insuper acidum phosphoricum, quando enim hujusmodi acetum cum solutione aquosa acetatis plumbi tractatur oritur praecipitatum albi coloris, e phosphate plumbi constans, quod ope tubi ferruminatorii in globulum vitreum pellucidum funditur 3). Hoc aci-

1) Fourcroy, Systéme des connaisfances chimiques, Tom. VIII. pag. 193.

2) Robiquet, Dictionnaire technologique Art. *acid. acet.*, Par. 1822. pag. 57.

3) Conf. C. G. T. Schreger's, Beantwortung der im Reichs Au-

acidum phosphoricum verosimiliter repetendum est a glutine decompofito. A priori etiam concludere posfumus, haec principia adesfe debere; liquores etenim vinofi e malto confecti continent praeter aquam et alcohol etiam gummi, gluten, principium quoddam extractivum brunneum, phosphatem calcis in acido acetico et phosphorico folutum aliaque minoris momenti principia, quae omnia, praeter alcohol, immutata in aceto e cerevifia adesfe debent 1).

Acetum e fructibus. Hoc non tam multa principia peregrina continere videtur. Quemadmodum enim in fucco pomorum et pyrorum tantummodo adfunt aqua, faccharum, fermenti quaedam fpecies, magna mucilaginis quantitas, principium quoddam extractivum, acidum malicum et acidum aceticum 2), fic etiam in aceto et hoc fucco parato tantummodo invenitur aqua, acidum aceticum, mucilago, principium extractivum et magna pars acidi malici 3); faccharum enim in illo fucco contentum fub acetofa fermentatione primum in alcohol mutatur, quod alcohol dein in acidum aceticum et aquam

Anzeiger aufgeftellten Frage die Wein-esfig Verfalfchung betreffend. Reichs Anzeiger, A°. 1805. N°. 47. pag. 585 feq.

1) Berzelius, lib. l. Band III. Abth. II. pag. 956 feq.

2) M. Orfila, Elem. de chimie, Tom. II. pag. 372 et 373.

3) Conf. Nachet, dans le Dict. des fc. medic., Tom. I. Art. acid. acet.

aquam convertitur. Nulla ſalia continere videtur; evaporato nempe tali aceto usque ad $\frac{1}{10}$ ſui voluminis partem, nullum formatur ſedimentum ſalinum, neque illud vel atomum cremoris tartari continet. Hoc igitur experimentum egregie inſervire potest ad acetum e vino ab aceto e fructibus dignoscendum, cum acetum vini ad $\frac{1}{4}$ ſui voluminis partem evaporatum et dein refrigeratum magnam quantitatem cristallorum, pro maxima parte e cremore tartari conſtantium, deponat 1).

Acetum vini artificiale. Tale acetum ex uvis pasſis paratum nulla ratione differt ab aceto vini vero. Uvae pasſae enim omnia principia in uvis recentibus obvia continere videntur, excepta aqua, quae ante fermentationem additur. Si differentia quaedam adſit, illa tantummodo haerere potest in oleo illo, quod chemici in vino adesſe dicunt, non vero jam ſeparatum exhibuerunt, cuique vini aroma nonnulli adſcribunt, quod autem durante exſiccatione uvarum pasſarum evolvi videtur 2).

Acetum vini artificiale e ſaccharo praeter acidum aceticum et aquam, etiam tartarum, eo conſilio, ut melius aceto e vino asſimilaretur, ante fermentationem additum, atque materiam axtractivam ſaporis ingrati in aqua facile ſolubilem, post evapora-

ra-

1) M. Orfila, Leçons de médecine légale, Tom. II. pag. 482.

2) M. Orfila, Elem. de chimie, Tom. II. pag 570.

rationem remanentem, continet. Haec materies ejusdem est naturae ac illa, quam Cl. Thénard accepit, postquam residuam ¼ partem ex destillatione fluidi vinosi, e sacchari, cum aqua et fermento praeparati, ad siccitatem usque evaporaverat 1).

Acetum vini artificiale e melle continere videtur praeter aquam et acidum aceticum, etiam substantiam quandam, in alcohole insolubilem gummosam, cum principio quodam mucilaginoso junctam. Aliquando cerae indicia exhibet, quando nempe mel, e quo acquisitum fuit, vilioris esset notae 2).

Acetum e ligno. In aceto e ligno crudo quemadmodum post destillationem ligni in vasis clausis illud nobis sese offert, secundum Cl. Berzelium praeter acidum aceticum, etiam sequentia principia peregrina continentur; nimirum aqua, aliquando sed rarius acetas ammoniae, isque tantummodo, quando substantiae azotum continentes admixtae fuerint. Rarius continet alia acida empyreumatica, semper autem resinam empyreumaticam acidam, tum et oleum empyreumaticum et materiem extractivam azotum continentem, cui fluidi color brunneus et odor ingratus debentur. Tandem adhuc continet *spiritum pyro-aceticum* qui primum quidem in destillatione transit 3).

Jam

1) J. J. Berzelius, lib. l., Tom. III. pag. 944.
2) Hermbstädt, Anleitung etc., pag. 151.
3) Conf. Berzelius, lib. l. Tom. III. Pag. 1153.

Jam enarratis principiis peregrinis, quae in singulis aceti varietatibus adſunt, etiam hujus loci esſe duximus, enumerare principia quae in aceto adulterationis cauſa aliquando inveniuntur. Adulteratur autem diverſis modis acetum, et quidem:

1°. Acidis quibusdam mineralibus, uti acido ſulphurico, nitrico, hydrochlorico aliisque. Si acido ſulphurico adulteratum ſit, facillime fraus detegitur, carbonatis calcis purisſimi ope, ſufficiente ad acidorum ſaturationem quantitate additi. Tunc enim oriuntur acetas calcis ſolubilis et ſulphas calcis fere inſolubilis. Separetur hoc ultimum ſal, quod re vera esſe ſulphatem calcis ex eo probatur, quod ſcilicet in aqua destillata ebulliente ſolutum cum hydrochlorate barytae exhibeat praecipitatum in aqua et acido nitrico inſolubile 1). Si autem acidum nitricum ad adulterandum acetum esſet additum, tunc admixto acetate barytae vel acetate plumbi, nullum oriretur praecipitatum, ſi enim non adfuisſet acidum nitricum certe ortum esſet praecipitatum tartaris plumbi vel barytae 2). Acidum hydrochloricum, in aceto praeſens, detegitur quando tale acetum, primum leni calori exponitur in retorta cui excipulum appoſitum est, aquae destillatae certam quantitatem continens. Liquor qui transierit porro cum nitratis argenti ſolutione tractetur, quo

1) M. Orfila, leçons de médecine legale, Tom. II. pag. 484.

2) Vosmaer, Apothekers Woordenboek, Tom. I. pag. 238.

quo facto, certe oritur praecipitatum album, chlorureti argenti in aqua et acido nitrico insolubile, solubile vero in ammonia 1).

2°. Acerrimis quibusdam substantus vegetabilibus, uti *daphne mesereo*, *capsico annuo*, *anthemide pyretro* aliisque.

Haec fraus facillime detegitur, tale acetum evaporando leni calore in capsula porcelanea ad $\frac{1}{8}$ sui voluminis partem; residuum jam porro per 24 horas sibi relinquatur et dein separetur liquor supernatans a salibus depositis. Jam denuo evaporetur liquor ad extracti mollis consistentiam, atqui hoc extractum saporem acrem et amarum habebit, quando acetum acerrimis his substantiis fuerit adulteratum, tantummodo acidum saporem secum feret si admixtae non fuissent 2). Suadet vero Cl. Dörfürt tali in casu acetum cum potassa saturare et dein solutionem gustare, tunc enim sapor adulterationem aperte monstrabit 3).

3°. Aliquando adulteratio casui fortuito debetur, si nempe pars cupri, plumbi vel zinci, e quibus metallis instrumenta, quae ad praeparationem aceti adhibita fuerant, constabant, soluta fuerit; hoc autem facillime detegitur: ammonia enim cuprum; acidum hydrosulphuricum plumbum vel zincum praesens indicabunt.

1) M. Orfila. Leçons de méd. leg., Tom. II. pag. 485.

2) M. Orfila, Leç. de méd. leg. Tom. II. pag. 483.

3) Dörfürt, deutsches Apotheckers Buch, Tom. I. pag. 5.

CA-

CAPUT TERTIUM.

DE

MODO, QUO A PRINCIPIIS PEREGRINIS ACETI VARIETATES DEPURGARI POSSUNT ET SOLENT.

Vidimus, capite praecedenti, acetum crudum non esſe purum acidum aceticum, ſed praeter illud, quod omni aceto baſi est, etiam alia continere principia ad naturam ſuam minus pertinentia, a quibus, ut aliquando ſeparetur oportet. Quo ad quatuor priores varietates acetum nimirum vini, cereviſiae, fructuum et artificiale hoc conſilium duabus operationibus asſequi posſumus, in quarum altera nempe acetum ſeparatur ab illis principiis minus volatilibus acidis vigetabilibus ſcilicet, tartaro, glutine, partibus mucoſis et aliis admixtis; in altera autem ab aqua, quae in prima operatione, cum acido acetico transierat.

Primo enim destilletur acetum, quae destillatio quando parvis ſimul quantitatibus inſtituitur, peragi

agi potest in vasis destillatoriis vitreis, majori autem quantitate metallicos apparatus in auxilium vocare debemus, et quidem vel vas destillatorium cupreum interne stanno bene obductum, vel e stanno puro confectum, tunc enim certi esse possumus, nullum fore periculum, quod e cupro in aceto tam facile solubili, caeterum certe oritetur 1): in utroque autem casu uti debemus stanno purissimo anglico. Cl. Robiquet vero suadet, excipulum aeque ac tubos ex argento conficere, quoniam minima stanni soluti quantitas liquori destillato impertiretur colorem albicantem ejusque odorem depravaret 2).

Sequenti modo jam ad destillationem procedi solet 3). Impletur alembicus ad $\frac{7}{8}$ sui voluminis partes aceto crudo, atque adduntur pro singulis duobus sextariis duae drachmae carbonis vegetalis bene exusti, contusi, exacte cum aceto miscendi. Deinde alembicus imponitur, et commissuris probe clausis, fasciis linteis, luto ex farina et aqua illinitis, primum leni, deinde sensim aucto, igne destillatur; pars vero primo transiens rejicitur, cum enim aqua acido acetico sit volatilior prius etiam transiit; postquam vero $\frac{1}{4}$ pars aceti adhibiti e retorta disparuit excipulum apponitur et destillatio con-

1) Hermbstädt, lib. l., pag. 214.

2) Diction. technolog., Art. *acid. acet.*, pagt 58.

3) Hermbstädt, lib. l., pag. 214. §. 550 seq.

continuatur, donec tantummodo fupcrest $\frac{1}{12}$ aceti adhibiti pars in retorta; quoniam destillatione, ulterius protracta, acetum facile empyreumaticum evaderet. Additur autem carbo ut praecaveretur quominus portio quaedam aceti empyreumatica transiret, tum et ob carbonis proprietatem, acetum ab odore crudo, quem ceteroquin facile retinet, liberandi. Post destillationem hic remanet masfa acida extractiva, olim *Sapa aceti* vocata, quae facile empyreumaticas proprietates acquirit, quaeque, quando acetum v. c. in commodum fabricatorum cerusfae destillatione paratur, femel adhuc cum dimidio fui voluminis aquae mixta destillatur 1).

Liquor hoc modo in excipulo acquifitus est decolor atque aeque ac pura aqua pellucidus. Est autem minus concentratum acidum, quam acetum crudum, e quo acquirebatur 2); atque ratio fimplicisfima est, acidi quaedam pars maxime concentrata, quae, vergente ad finem destillatione, transire debuisfet, in retorta remanet. Est autem acetum hoc modo destillatum combinatio purisfimi acidi acetici cum aqua, et mucilaginis parva quantitate, atque tantummodo aquofae partes et mucilago ut feparentur oportet, ut acquiratur tandem purisfi- mum

1) J. J. Berzelius, Lehrb. der Chimie, III. Band Abth. II p. 1072. i. n.

2) Diction. technolog. Art. *acid. acet.*, pag. 58.

mum atque quam maxime concentratum acidum aceticum.

Ab aqua autem et mucilagine ſeparatur acetum destillatum, vel repetitis vicibus illud congelando, vel etiam illud ope ſubſtantiae alcalinae ſaturando et dein ſal, hoc modo acquiſitum, cum additione acidi ſulphurici destillando.

Prima methodus per congelationem veteribus chemicis jam cognita erat. Stahlius etenim atque Geoffroy jam initio ſaeculi XVIII. experimenta magni momenti, hunc in finem, inſtituerunt. Repetita congelatione enim Geoffroy acetum vini ad illum usque gradum concentrabat, ut duae drachmae ad ſaturationem 44 grana ſub carbon. pot. exigerent 1), atque Stahlius monuit, ex ſeptem vel octo partibus aceti vini crudi, unam tantummodo aceti concentrati ſe accipisſe portionem 2). Cum autem hi chemici uterentur aceto vini crudo, nullo modo acceperunt acidum aceticum concentratum purum, ſed multis principiis peregrinis commixtum. Lowitsius autem Cl. Geoffroy methodum corrigere conatus est, primum igitur acetum vini congelationi ſubmiſit, dein partem fluidam manentem ſeparatam ex balneo aquae destillavit, portionem ultimo transeuntem tanquam fortisſimam collegit, hanc iterum frigori gla-

1) Conf. Dörfurt, deutſches Apoth. Buch, Tom. I. pag. 7.

2) Stahl, Opuscula, pag. 150.

glaciali exposuit, atque tandem residuam partem fluidam semel adhuc cum addito carbone vegetabili destillando, accepit acidum aceticum, ab omni fere aqua liberum 1).

Potius autem, quemadmodum proposuimus, acetum primum destilletur, dein in vase ligneo frigori glaciali nempe 25°—26° Fahr. exponatur; post 24 horas, crusta glaciei diffracta, fluidum hactenus non congelatum effundatur, atque tunc, hac congelatione saepius repetita, valde concentratum acquiritur acidum aceticum; semper autem in memoria tenendum est, acidum aceticum fere aeque facile ac aquam congelari, atque igitur acetum destillatum fortiori gelu non esse exponendum.

Est autem haec methodus valde sumtuosa, quoniam semper pars acidi glaciei adhaerens simul cum illa tollitur; nec etiam in omnibus regionibus et omni anni tempori exerceri potest; praestat igitur, acetum destillatum cum alcali saturare atque dein sali, hoc modo acquisito, acidum sulphuricum addere et tandem destillare 2). Hunc in finem determinata quantitas, v. c. 16 lib., subcarb. calcis sicci pulverisati in stanneo vase de tempore in tempus cum illa aceti destillati quantitate misceatur, quae requiritur ad subcarbonatem calcis penitus sol-

1) Klaproth und Wolff, chem. Wörterb., Tom. II. pag. 83.

2) Hermbstädt, Anleitung etc., pag. 216. §. 553.

ſolvendum, et acidum aceticum neutraliſandum; actio acidi acetici in ſubcarbonatem calcis leni calore ſublevetur. Acidum aceticum cum calce ſe combinat, acetatem calcis format atque evolvitur acidum carbonicum. Abſoluta ſaturatione liquidum per linteum coletur et dein ad 40 lib. evaporetur. Residuum jam porro aheno cupreo, ſtanno anglico obducto, immisſum, misceatur cum 12 lib. acidi ſulphurici concentrati, antea octo lib. aquae dilutis; nunc, alembico impoſito, etiam excipulum apponatur, quo facto ad ſiccitatem usque destilletur, tunc in excipulo inveniemus acidum aceticum, quam maxime purum et valde concentratum. Loco ſubcarbonatis calcis, uti per ſe patet, etiam ſubcarb. pot. adhiberi potest.

Acidum aceticum in hac operatione ſeſe conjungit cum calce, formatur igitur acetas calcis non volatile. Si igitur fluidum ad 40 lib. evaporatur tunc aqua ſuperflua ſecedit et acetas calcis in minima, qua potest, aquae quantitate ſolutus remanet; acidum ſulphuricum additum ob majorem affinitatem cum calce ſeſe jungit, atque acidum aceticum jam liberum, cum minima aquae quantitate nuptum, inſtituta destillatioue, in excipulum tranſit.

His duabus operationibus igitur a principiis peregrinis optime depurari posſunt, quatuor priores aceti varietates. Acetum ſcilicet vini, cereviſiae fructuum et acetum vim artificiale; non vero ap-

pli-

plicari posſunt ad acetum e ligno, cum ſimplex distillatio hic nil fere efficiat, nam liquor post destillationem in excipulo receptus odorem empyreumaticum, quem ante destillationem habebat acetum, adhuc ſecum fert; ex quo conficere posſnmus, etiam olei empyreumatici quantitatem, cum aqua et acido acetico ſimul tranſiisſe. Exſtant autem duae methodi, quibus acetum ligni a principiis peregrinis depurari potest, quarum prima est ſequens.

Destilletur primo ad reſidui ſiccitatem usque acetum ligni crudum, atque dein liquor destillatus flavus, in excipulo receptus, ab oleo empyreumatico ſequenti ratione liberetur. Quantitas ejus nimirum determinata v. c. amphora, (*oxhoofd*) misceatur, ſive cum 12. lib. peroxydi mangaueſii bene pulveriſati, ſive cum 12. lib. acid. ſulph., ſive, et hoc minoris est pretii, cum 7½ lib. peroxydi manganeſii et 11. lib. acid. ſulph., ſive tandem cum 9. lib. hydrochloratis ſodae, 3½ lib. per oxyd. manganeſ. et 5½ lib. acid. ſulph., atque dein miscela per ſex horas temperaturae 90° exponatur, quo tempcre praeterlapſo, addantur 19 lib. carbonis ligni contriti bene exusti, atque iterum miscela par 12 horas quieti detur, quo facto denique, inſtituta destillatione, in excipulo acquiritur liquidum, ab odore et ſapore empyreumatico prorſus fere liberum. Theoria hujus rei huc redit: videtur ſcilicet, his ſubſtantiis admixtis, oleum

empyreumaticum oxydari et in resinam empyreumaticam transmutari, quae post destillationem in retorta remanet 1).

Acidum hoc modo acquisitum est decolor, odoris et saporis adhuc leviter empyreumatici; debet igitur semel adhuc cum $\frac{1}{5}$ sui voluminis parte carbonis ligni, cui, quando acidum sulphuricum adhibitum fuit, ad odorem acidi sulphurosi auferendum, peroxydum manganesii addatur, digeri. Post hanc digestionem destilletur liquor, atque, si tunc adhuc empyreumaticas proprietates exhiberet, post ultimam acidi, cum additione $\frac{1}{8}$ sui ponderis parte carbonis ligni, destillationem, accipiemus acidum, ab odore et sapore empyreumatico prorsus liberum.

Altera methodus est sequens 2); acetum scilicet ligni crudum saturetur hydrate calcis; calx hoc modo cum magna resinae empyreumaticae quantitate se conjungit et format combinationem brunneam difficillime solvendam. Liquor limpidus a calce deposita separetur, et dein sulphatis sodae, minima quantitate aquae soluti, ope decomponatur. Formatur sulphas calcis qui praecipitatur. Nunc liquor abstrahatur et in vasis planis evaporetur, qua durante evaporatione, magna pars resinae empy-

1) J. J. Berzelius, lib. 1., III. Band. II. Abth. pag. 1164.

2) Conf. Dict. Thechnol. Art. *acid. acet.*, pag. 66.

pyreumaticae fluidi ſuperficiei ſupernatat, quae ſtatim ſeparari debet. Ad certum usque gradum concentratum liquidum loco frigido ſeponatur ad criſtalliſationem, quo facto a criſtallis ſeparetur lixivium mater et ad novam criſtalliſationem evaporetur, tandem remanet fluidum nigro-brunneum, quod nulla amplius criſtalla exhibet, quodque, praeter acetatem ſodae, etiam extractum empyreumaticum et combinationem reſinae empyreumaticae cum ſoda continet.

Sal criſtalliſatum jam iterum ſolvatur et denuo ad criſtalliſationem ſeponatur, criſtalla formata, tandem leni igne in ahenis ferreis in aqua criſtalliſationis ſolvantur, ſub continua agitatione; fuſis autem cryſtallis ad illum usque gradum elevetur calor, quo ſal griſeum colorem, incipiente carboniſatione, inducit. Sollicite jam augeantur temperatura et agitatio, quod quidem eo conſilio fit, ut ſal fere ad illum gradum, quem ſine de compoſitione ferre poteſt calefieret, ſic enim oleum empyreumaticum adhuc praeſens aeris et ignis actione in carbonem mutatur. Tandem ſal carboniſatum ſolvatur, atque ſolutum criſtalliſetur, ex quo ſale, acetate ſodae, ab aqua criſtalliſationis libero, decompoſitione per acidum ſulphuricum ſequenti ratione acidum aceticum purisſimum acquiri poteſt. Sal enim mixtum cnm 0,36 ſui voluminis partibus acidi ſulphurici concentrari in aheno cupreo, adhibitis tubis et excipulo ex argento con-

fect-

fectis, ad ſiccitatem usque destilletur. Acidum hoc modo acquiſitum est ſine colore, ſaporem acerrimum habet, pondus ſpecificum 1,05, odorem vero adhuc ſenſibilem empyreumaticum habet, a quo admixta parva carbonis animalis quantitate depurari potest 1).

In ſtatu purisſimo acidum aceticum gasforme esſe videtur 2), cum minima aquae quantitate nuptum liquorem conſtituit conſistentem, ad 38 Fahr. cristalliſabilem. Ejus pondus ſpecificum differt ab 1055—1063. Mirandum omnino est, acetum magis concentratum minus pondus ſpecificum habere, quam acidum majori quantitate aquae nuptum, et inde igitur conficere licet, acidum aceticum e natura ſua gasforme certam aquae quantitatem requirere ut ad maximum denſitatis gradum perveniat, quod confirmatur experimentis Cl. Gehlen et Mollerat. Hic enim invenit 3), acidum aceticum ponderis ſpecifici 1,0709 cum aequalibus voluminibus aquae mixtum pondus 1,0553 et, additis adhuc duobus aquae voluminibus, pondus 1,0503 accipere, quamquam ſecundum computationem pondus ſpec. = 1,0354 et 1,0177 esſe debuisſet. Mollerat autem invenit, duas acidi ace-

1) J. J. Berzelius, lib. I., Tom. III. pag. 1166.

2) Klaproth et Wolff, Chem. Wörtb., II. Band pag. 84.

3) Schweiggers, Journ. für Phyſik und Chem., IV. Band p. 15.

acetici ſpecies, quarum una 0,87125, altera tantummodo 0,41275 acidi acetici partes continebat, ejusdem esſe ponderis ſpecifici nempe 1,0630 1).

Acidum aceticum cum minima aquae quantitate nuptum, accenſum, cum flamma coerulea exardescit; caloris actioni expoſitum in vapores abit, non autem decomponitur; quando autem ducitur per tubum ferreum candescentem, penitus decomponitur in gas acidum carbonicum et hydrogenium carbonatum 2).

1) Annales de Chim., Tom. LXVI. pag. 88.

2) Trommsdorf, neues allgem. Journ. der Chemie, Band V. pag. 373.

CA-

CAPUT QUARTUM.

DE

ACEDI ACETICI CHEMICA COMPOSITIONE.

Quando acidum aceticum cum acido nitrico miscetur, mutatur in aquam et acidum carbonicum, atque quando acetates alcalini, v. g. acetas potasſae, igne decomponuntur tunc acidum aceticum in hoc ſale contentum mutatur in aquam, ſpiritum pyro-aceticum, gas acidum carbonicum et gas hydrogenium carbonatum 1). Ex his igitur patet, acidum aceticum esſe compoſitum ex oxygenio, hydrogenio et carbonico. Proust vero putaverat, etiam azotum in acido acetico adesſe, credens ſcilicet ſe obſervasſe, residuum et destillatione acetatis potasſae conſtare ex carbonate et hydrocyanate potasſae, atque productum ex destillatione acetatis calcis et acetatis plumbi quaedam ammoniae ſigna exhibere. Cl. Trommsdorf autem haec expe-

1) Conf. Vosmaer, Apoth. Woordenb., Tom. I. p. 263.

perimenta accuratius repetiit, nec vero ammoniam neque hydrocyanatem potasſae invenit 1). Accepit autem gas acidum carbonicum, gas hydrogenium carbonatum ſpiritum pyro-aceticum, oleum empyreumaticum, atque in retorta reſiduum e carbonate potasſae et carbonico conſtans. Clar. Lowits autem voluit, acidum aceticum etiam continere acidum phosphoricum, quod erroneum esſe ex iisdem experimentis patet 2).

Aliquot ante annos multi chemici, praeunte Cl. Berthollet 3), ſtatuebant acidum aceticum ex destillatione acetatis cupri differre ab acido acetico ex aceto destillato acquiſito, atque proponebant hoc acidum *acetoſum*, illud vero *aceticum* vocare. Bertholletus enim invenerat, dum acidum aceticum praeparatur per destillationem acetatis cupri, cuprum redire in ſtatum metallicum, atque exinde concluſerat, acidum acetoſum in hoc experimento ſe combinare cum oxygenio oxydi cupri ex ſic formari acidum aceticum. Post illum Exp. Dabit conatus est ex alio experimento rem probare; ex eo nimirum, quod ex reactione acetatis potasſae et acidi ſulphurici acidum ace-

1) Trommsdorf, neues algem. Journ. der Chemie, Tom. V. pag. 573.

2) Lowits, in Crells Chem. Annal., A°. 1793, I. Band pag. 227.

3) Berthollet, Memoires de l'Acad. des ſciences, A°. 1788.

aceticum acquireretur fortisſimo aceto glaciali aequale, ex decompoſitione vero acetatis potasſae, per acidum hydrochloricum, acidum dotibus ſuis cum acido ex aceto deſtillato prorſus conveniens, addito vero peroxydo mangaueſii in acidum priori fortitudine aequale tranſiens 1).

Cl. Chaptal etiam utrumque acidum differre ſtatuit, differentiam autem non ex oxygenio ſed e differente carbonici quantitate repetiit, majore in acido ex acetatibus, minore in acido ex aceti deſtillatione acquiſito; quod quidem concludit ex actione acidi ſulphurici et e differente quantitate carbonici in retorta remanentis poſt decompoſitionem per ignem duplicis generis acetatis potasſae ex utroque acido praeparati; tum et ſe obſervasſe putavit, utriusque acidi actionem in oxyda metallica differre 2).

Celeberrimi autem chemici Adet, Darracq et Prouſt dein hanc ſententiam prorſus refutaverunt. Cl. Adet enim invenit, in deſtillatione acetatis cupri gas acidum carbonicum et hydrogenium carbonatum evolvi atque aquam generari. Oxygenium ex oxydo cupri igitur inſerviebat pro maxima parte ad gas acidum carbonicum formandum, parva ejus quantitas ad aquam formandam, ex quo fonte igitur facillime explicatur do-

1) Dabit, Ann. de Chim., Tom. XXXVIII. pag. 66.
2) Chaptal, les de Chim., Tom. XXVIII. pag. 113.

desoxydatio oxydi cupri a Bertholeto observata, sed praeterea idem invenit, acetum destillatum et peroxydo manganesii mixtum non assumere oxygenium, penitus vero destrui et nunquam acquirere proprietates acido acetico ex acetate cupri adscriptas, atque utriusque generis acida cum oxydis metallicis aequales formare combinationes. Ex his omnibus conclusit, duo illa acida non nisi aquae contentae quantitate differre 1). Haec experimenta dein a Cl. Darracq atque Proust repetita sunt et comprobata. Statuerunt igitur, unicam differentiam inter utrumque acidum consistere in substantiae mucilaginosae parva quantitate, quae sponte separatur, quando acidum, quod ut acetosum considerabatur, combinationes ingrediatur; tum etiam majori aquae proportione. Utriusque enim generis acidum, ad idem pondus specificum reductum, eandem subcarbonatis potassae quantitatem ad saturationem requirit, atque eandem carbonici portionem residuam post destillationem relinquit. Constat igitur, unum tantummodo acidum aceticum adesse, in *vulgari* aceto magis dilutum et cum tenerrima mucilagine conjunctum, in *radicali* aceto magis concentratum et mucilaginis expers 2).

Omnes etiam chemici acidum aceticum ex oxyge-

1) Adet, Ann. de Chimie, Tom. XXVII. pag. 299.

2) Conf. Darracq., Ann. de Chimie, Tom. XLI. pag. 264.

genio hydrogenio et carbonico conſtare agnoscunt, non vero ita de illorum principionem quantitate relativa inter ſe conſentiunt. Primus Cl. Higgins conatus est, proportiones in quibus principia mediata in acido acetico combinata ſunt, determinare, atque hunc in finem in congruo apparatu 7680 grana acetatis potasſae combustione decompoſuit, accepit vero ſequentia producta et educta.

Potasſam	3892,994. gr.
Gas acidum carb.	1473,564.
Gas hydrogen. carb.	1047,6018.
Reſiduum ex carb. conſtans	78,6000.
Oleum	180,0000.
Aquam	340,0000.
	6982,1598. gr.

Ex aëre ſimul disparuerant 29,1. gr. oxygenii, tota igitur jactura excurrit ad 726,9402 gr, quam ex eo repetiit Higgens, quod pars aquae et olei a fluidis elasticis ſimul ſit protruſa et deinde ab illis depoſita, quantitatem aquae hoc modo deperditae existimat 700 gr., et olei 26,9402 gr. Cum autem acetas potasſae conſtet ex acido acetico et potasſa, et omnis in hoc ſale contenta potasſa immutata remanſerit exinde concludit, acidum aceticum fuisſe decompoſitum in gas acidum carbonicum, gas hydrogenium carbonatum, carbonem, oleum empyreumaticum et aquam, quae om-

omnia composita sunt ex hydrogenio, oxygenio et carbonico et quidem;

1473,564 gr. acid. carbonici constant ex 1060,966 gr. oxygenii et 412,598 gr. carbonici.

1047,6018 gr. hydrogenii carbonati ex 714,6008 gr. carbonici et 333,010 gr. hydrogenii.

206,9402 olei gr. constant ex 163,4828 gr. carbonici et 43,4570 gr. hydrogenii.

1040 gr. tandem aquae ex 884 gr. oxyg. et 156 gr. hydrog.

Igitur 3817,006 gr. acidi acetici composita sunt ex:

1944,966 — 29,1 gr. oxyg. = 1915,866 gr.
532,4675 . . . hydrog. et
1290,6816 . . . carbon.

100 partes acidi acetici igitur constant ex 50,09 oxyg.
13,94 hydr.
35,97 carbon.

Hoc vero experimentum rudi quodam modo est institutum et tantummodo tanquam approximatio ad veritatem est assumendum 1).

Post illum Cl. Gay Lussac et Thenard etiam acidi acetici analysin instituerunt, sequenti modo procedentes 2). Combinationem faciebant aci-

1) Higgens, On. acetous Acid. tum et Klaproth et Wolff, Chem. Worterb., II. Band pag. 88 seq.

2) G. Lussac et Thenard, Récherches physico chimiques, Paris 1811, Tom. II. pag. 308 seq.

acidi acetici antea aqua diluti cum baryta dum illud acidum aceticum cum excedente carbonate barytae calefaciebant, donec liquor chartam heliotropio tinctam non amplius rubram reddebat; acetatem barytae, in temperatura aquae ebullientis exſiccatum, jam analyſi ſubjiciebant; non autem illud calcinando, ſed decompendo pondus definitum ſulphatis ammoniae ope. Sumebant triginta grana, quae primo in aqua ſoluta praecipitabantur ope ſulphatis ammoniae. Praecipitatum, quod continebat parvam ſulphatis et acetatis ammoniae quantitatem, injiciebatur in crucibulum e platino confectum et post calcinationem pondus habebat gr. 25,445. Ex his igitur concludunt, (poſito 100 partes ſulphatis barytae continere 67 partes barytae et 33 partes acidi ſulphurici) 100 partes acetatis barytae continere acidi acetici partes 43,17, barytae 56,83.

Acetatem barytae hoc modo acquiſitum bene trituratum cum chlorate potasſae bene contrito miscebant, utriusque autem ſubſtantiae quantitatem ante combinationem bene determinabant. Hoc facto miscelam humectabant atque in pillulas reducebant, quas dein, temperatura aquae ebullientis exſiccatas, comburebant in congruo apparatu. Supra mercurium producta gasformia combustionis recipiebantur, atque tunc exacte determinabantur volumina relativa gas acidi carbonici et ges oxygenii: quo facto omnia data, ad proportionem principiorum mediatorum in ſubſtantia vegetabili determi-

minandam necesſaria, habebant. Quantitatem ſubſtantiae combustae cognoscebant, tum et quantum oxygenii requireretur ad illam in aquam et acidum carbonicum transformandam, hoc enim computabant e differentia inter oxygenium in chlorate potasſae et in gaſibus contentum. Tandem cognoscebant quantum acidi carbonici esſet formatum, et calculo conficiebant volumen aquae formatae, e pondere nempe oxygenii et acidi carbonici evoluti cognito, ſubſtracto a primitivo pondere ſubſtantiae analyſi ſubjectae. Hoc modo procedentes Gay Lusac et Thénard invenerunt 100 partes acidi acetici esſe compoſitas ex:

Carbonici	50,224.
Oxygenii	44,147.
Hydrogenii	5,629.
	100,000.

Vel ex. Carbonici	50,224.
Hydrog. et Oxyg. in proportione aquae	46,911.
Oxyg. Superpondii	2,865.
	100,000.

Cl. Berzelius autem ſequentes objectiones in hanc analyſin protulit 1).

1. Quod apparatus, quo utebantur viri Cl. habeat epistomium, per quod pillulae transire debent, quod ut ſuum praeſtet officium, adipe bene illinitum esſe debet, atque igitur vix aliter fieri pos-

1) Annales de Chimie, Tom. XCIV. pag. 7 ſeq.

posfit, quin partem adipis asfumant pillulae, quae cum illis decompofita ad certum usque gradum experimenti eventum incertum reddit.

2. Quod necesfe fit, fubftantias in pillulas redigendas humectare, unde igitur vix exacte ad illam ficcitatem reduci posfunt, qua antea gaudebant.

3. Quod quantitatem hydrogenii determinaverint per jacturam, qnae femper paullo major esfe debet, quam quantitas aquae formatae, atque cum volumen hydrogenii parvi fit ponderis ex inde fequitur parvo in experimento errore plura volumina hydrogenii nimia computari, quam revera adfunt, quod etiam oxygenii et carbonici quantitatem mutat.

Deinde vero Cl. Berzelius analyfin acidi acetici ipfe fequenti ratione inftituebat.

Acetatem plumbi fumfit et quidem partem unam in pulverem redactam in vacuo cum acido fulphurico per 48 horas relictam (ut ab omni aqua liberaretur); addidit 5 vel 6 partes chloratis potasfae et 50 vel 60 partes chlorureti fodii. Hanc miscelam dein in congruo apparatu, temperatura ad miscelam decomponendam conveniente, comburebat. Jam acquirebat aquam, gas acidum carbonicum, gas oxygenium, fubchloruretum plumbi, fubcarbonatem fodae. Gafa fupra mercurium recipiebat; aqua in recipiente chlorureto calcii impleto condenfatur; chloruretum potasfii fubchloruretum plumbi, tum et fubcarbonas fodae in tubo ma-

manent, in quo miscela decompoſita fuit. Jam autem Berzelius tantummodo aquam et acidum carbonicum productum determinare conabatur; aquae productae quantitatem cognoscebat ex tubo alembicoque, in quibus chloruretum calcii aderat, ante et post cumbustionem ponderatis; acidi vero carbonici quantitatem determinabat; 1°. tractando gas receptum per potasſam cauſticam puram, 2°. determinando quantum in ſubcarbonate ſodae adesſet. Hoc modo jam procedens 1,06 partes acetatis plumbi analiſabat, in quibus 0,333 acidi acetici partes aderant, atque jam invenit, illas esſe compoſitas ex 0,18 aquae et 0,574 acidi carbonici; ſequitur igitur 100 partes acidi acetici esſe compoſitas ex:

Hydrogenio	6,35
Carbonico	46,83.
Oxygenio	46,82.

His numeris jam respondent 3 vol. oxyg. 4 vol. carb. 6 vol. hydrogenii.

Et ſi porro ſupponamus acidum aceticum esſe compoſitum ex $6H + 4C + 3O$ tunc ejus compoſitio est:

Hydrogenium	6,195.
Carbonicum	46,871.
Oxygenium	46,934.
	100,000 gr.

Differentia quae inter experimenta Cl. Gay Lu-

Lussac et Thenard, atque Berzelii, intercedit reputenda esse videtur ex eo, quod illi pillulas, quibus utebantur, ad illum usque finem calefaciebant, ut non solum omnis aqua sit elapsa, sed etiam pars hydrogenii ex acido esset oxydata. 1)

Tandem nuperrime Cl. Doebereiner proposuit in omni casu chlorureto potassae oxydum cupri praeferre in analysi substantiarum vegetabilium. Cum hoc oxydo cupri tum etiam analysin acidi acetici instituebat et invenit 2), decomponendo acetalem cupri cum oxydo hujus metalli mixtum, in tubo, illud acidum esse compositum ex:

Oxygenii	64,64.	Sive ex una proportione hydrogenii carbonati et 3 acidi carbonici.
Carbonici	32,42.	
Hydrogenii	2,94.	
	100,000.	

Haec vero experimenta adhuc confirmari merentur; certitudo enim cum oxydo cupri aequirenda est maxima, verum non semper cum bonis methodis bona instituuntur experimenta, alias certe concludendum foret analysis Cl. Gay Lussac et Thenard, atque Berzelii esse falsas. Difficillimum omnino est exacte determinare proportio-

1) J. J. Berzelius, Annales de Chimie, Tom. XCIV. pag. 301.

2) Annales de Chimie et de Physique, Tom. IV. pag. 107.

tionem relativam principiorum mediatorum in ſub-ſtantia vegetabili contentorum, illud enim magnum ingenii acnmen, et manus in talibus experimentis ſubtilibus faciendis bene verſatas requirit. Exinde etiam est, quod diverſi homines tam diverſas de una eademque ſubſtantia vegetabili, quoad analyſin, evaluationes obtinuerunt.

TANTUM.